Digitized by Google

Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
STATUTI
138
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



CONSTITVTIONES CONGREGATIONIS CLERICORVM REGVLARIVM

AB
ALEXANDRO PEREGRINO
CAPVANO
CONGREGATIONIS EIVSDEM
PRESBYTERO

COMMENTARIIS ILLVSTRATÆ

ROMÆ. 1628. Superiorũ permiſsu
ex Typographia. R. Cam: Apoſt.

138

Digitized by Google

1407304

Digitized by Google

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ETſi ex debito Paſtoralis officij, ſingulos Religioſos, qui ſpretis huius mundi vanitatibus, iugum Religionis, vt Altiſsimo liberius inſeruirent, ſunt amplexi, paterna dilectione proſequimur, tamen dilectorum filiorum Congregationis Clericorum Regularium præcipuus in Dei ſeruitio feruor, regularis diſciplinæ obſeruantia, & vberes in Eccleſia Dei fructus, quos aſsidua Verbi Dei prædicatione, frequenti Sacramentorum adminiſtratione, probatæ vitæ exemplo, & bonæ famæ odore aſsiduè producunt, a nobis exigunt, vt laudabile eorum inſtitutum, ſpecialibus fauoribus, & gratijs atque Apoſtolica protectione foueamus: Sanè cum Conſtitutiones, & Statuta prædictæ Congregationis Clericorum Regularium à Dilecto filio noſtro Pompeio Arrigonio Tit. S. Balbinæ S R E. Cardinali de ordine noſtro diligenter viſa, recognita, & examinata typis cudere, & ad communem dictæ Congregationis vtilitatem, & commoditatem in lucem emittere expediat, Nobis propterea ex parte dictorum Clericorum fuit humiliter ſupplicatum, vt Conſtitutiones, & Statuta huiuſmodi Apoſtolicæ auctoritatis robore communire, aliàſq; in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Congregationem prædictam ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, ac ſingulos dictæ Congregationis Clericos, à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſiquibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, huiuſmodi laudabile prædictæ Congregationis inſtitutū, & prædictas omnes, & ſingulas Conſtitutiones, Ordinationes, & Statuta, quæcunque à prædicto Pompeio Cardinale, vt præfertur, viſa, & examinata quarum, & quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſsis haberi volumus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus: illiſq; perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus: ac omnes, & ſingulos tam iuris, quàm facti defectus: ſiqui in eiſdem interuenerint, ſupplemus: illaſque, & illa perpetuo valida, firma, & efficacia fore, & eſſe: ac per Clericos prædictos, & alios ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit perpetuò inuiolabiliter obſeruari debere, ac in lucem edi, & typis mandari poſſe decernimus, & declaramus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Congregationis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis: Statutis, & conſuetudinibus, cæteriſq; contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die 28. Iulij 1604. Pontificatus Noſtri anno xiij.

M. Veſtrius Barbianus.

R. P. D. Alexandri Peregrini Clericorum Regularium Congregationis in eiuſdem Conſtitutiones Commentaria, nos infraſcripti ex commiſſione Admodum R. P. noſtri Generalis D. Philippi Mariæ Guadagnij recognouimus, & nihil in eis reperimus, quod bonos mores, ac orthodoxã Religionem offendat: quin potius tanquam ad communem tum noſtri, tum aliorum Ordinum vtilitatem digna, vt typis mandentur iudicauimus. Datum Romæ in Domo S. Syluestri Montis Quirinalis die 29. Aprilis 1628.

D. Leonardus Duardus Cler. Regul. Theol. & V. I. D.
D. Thomas de Afflictis Sac. Theol. profeſſor.

D. Philippus Maria Guadagnius Congregat. Cleric. Regul.
Præpoſitus Generalis.

CVm hæc in noſtræ Congregationis Conſtitutiones Commentaria à P. D. Alexandro Peregrino compoſita, iuxta præfixam in ſcriptis fidelem aſſertionem prænominatorum grauium, ac Doctorum Patrum noſtrorum, quibus id commiſimus recognita, atque approbata fuerint, vt typis mandentur (modo ijs, ad quos ſpectat id viſum fuerit) facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtræ Congregationis munitas damus Romæ in ædibus noſtris S. Syluestri in Monte Quirinali die 3 Maij 1628.

D. Philippus Maria Guadagnius Præp. Gen.

COmmentaria in Conſtitutiones Clericorum Regularium, ab Adm. R. P. Alexandro Peregrino Capuano confecta, mandante mihi Reuerendiſsimo P. Nicolao Rodulfio, Sacri Palatij Magiſtro, libenter, & diligenter perlegi, nihilq; in ijs reperi, quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus aduerſetur, ideo typis mandari, & in lucem edi poſſe arbitror.

Martinus Bonacina.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſ. P. M. Sac. P.
A. Epiſc. Bellicaſtren. Viceſg.

Imprimatur.
Fr. Hyacinthus Lupus Socius Reuerendiſſ. P. M. S. P. Apoſtolici, & Vicarij Generalis Ordinis Prædicat.

RR.DIS IN CHRISTO PP.
AC FRATRIBVS CONGREGATIONIS
CLERICORVM REGVLARIVM.

D. Alexander Peregrinus auctor Commentariorum. S. D.

CVM nullis meis meritis, ſed Diuino prorſus beneficio vocatus in hanc Religionem fuerim: eò ſemper mea deſudauit induſtria, vt quidquid temporis è cæteris noſtræ Religionis curis ſurripere licuit, quantulumque mihi ingenij, ac facultatis à Deo conceſſum eſt: id omne in eiuſdem diuinæ maieſtatis gloriam, noſtræq; Religionis vtilitatem conferrem. Ne ſcilicet, & temporis à me tranſacti nullam planè reddere viderer rationem, & ingratitudinis notam (qua nihil turpius) incurrerem. Quare, cùm ſuperioribus annis noſtræ Congregationis priuilegia, in vnum primùm collecta, dein in compendium digeſta, ſcholijs illuſtrauerim, & RR. VV. lubenti ſanè animo dedicauerim; nunc rurſus ipſas Conſtitutiones vnà cũ præcipuis Capitulorum Generalium Decretis ad eaſdem ſpectantibus, Commentarijs à me vtcumque explanatas, eadem animi alacritate offerendas cenſui. Nam & ſi illæ claræ per ſe ſe, ac dilucidæ ſint; fieri tamen nequit, quin nonnulla interdum nubecula obſcurentur, vt opus propterea ſit clarioris luce ad eas rectè percipiendas. Id quod an ſim hiſce meis Commentarijs aſſequutus, veſtrum eſto iudicium. Equidem illud ſperauerim, fore, vt ex ijs non nihil quiſque emolumenti ſit percepturus. Quod ſi ita fiet, Deo bonorum omnium largitori optimo gratias agant; ſin minus, atque alicubi erratum aduerterint, me vt excuſatum habeant, rogo. Vniuerſa autem S. R. E. iudicio, ac cenſuræ ſubijcio. Valete Romæ Kal. Decemb. M DC XXVIII.

INDEX

INDEX CAPITVM
CONSTITVTIONVM.

Partis Primæ.

DE Horis Canonicis. Cap. I. fol. 41
De Ritibus & cæremonijs. Cap.II. 55
De Munditia & nitore eccleſiæ. Cap. III. 57
De miniſtris altaris, eorumq; ordinibus. Cap. IV. 59
De adminiſtrãdis ſacramentis. Cap. V. 70
De regendis Monialibus. Cap. VI. 99
De Cõcionatoribus. Cap. VII. fol. 102
De orõne mentali. Cap. VIII. fol. 107
De ſuſcipiendis ſacramentis. Cap. IX. 109
De orationibus pro Defunctis. Cap. X. 120

Partis Secundæ.

DE tribus Religionis votis. Cap. I. 123
De veſtibus. Cap. II. 183
De menſa atque ieiunijs. Cap. III. 185
De curandis infirmis. Cap. IV. fol. 189
De recipiendis & inſtituendis Nouitijs. Cap. V. 191
De ſtudijs, & ſcholaſticis. Cap. VI. 231
De ſeruando ſilẽtio. Cap. VII. fol. 236
De recipiendis Hoſpitio. Cap. VIII. 238
De domo egredientibus. Cap. IX. 241
De honeſta remiſſione animi. Cap. X. 244

Partis Tertiæ.

QVinã ex Patribus Capitulo Generali debeãt intereſſe. Cap. I. 247
De modo, loco, & tempore celebrandi Capitulum Generale. Cap. II. 268
De Sacerdotibus in Vocalium numerum adſcribendis. Cap. III. 283
De Definitorib᾿. Cap IV. 295
De electione, & auctoritate PP. Cõſultorũ. Cap. V. 307
De Cognitoribus cauſarum. Cap. VI. 323
De Præpoſito Generali. Cap. VII. 323
De Viſitatorib. Cap. VIII. 338
De Præpoſito, & Vocalibus cuiuſq; dom᾿. Cap. IX. 343
De loco, & ordine cuiuſque inter ſe. Cap. X. 386

IN-

INDEX
DECRETORVM CAPITVLARIVM,
QVÆ DECLARANTVR IN COMMENTARIIS
CONSTITVTIONVM.

Eſt aduertendum quòd Prima, Secunda, & Tertia pars, Cap. & Numeri Decreta Capitularia ſignificant. Folia verò, lit. & §. præſentis Operis Conſtitutiones cum Commentarÿs.

Primæ Partis.

Cap.6.nu.1. & 2. Nemo noſtrum. & Imò neque. fol.113.lit.c
nu.3. Nemo ex Clericis. 69.lit.c

Secundæ Partis.

Cap 4. nu.5. Si qua bona. 222.lit.r.§.2
nu.12. Nemo ante. 223. lit.r.§.4
nu.13. Vt ea. 224.lit.r.§.7
nu.15. Hoſpitij. 226.lit.r.§.10
nu.16. Quotieſcunque. 226. verſic. in Decretis.
nu.19. Clarici etiam. 231. verſic. in Decretis. lin.4.
Cap.5.nu.16. Qui præcipuas. 235.lit.c §.1
nu.18. Exacto. 87.lit.f
Cap.7. nu.1. Qui ad aliam. 240.lit.b.§.1

Tertiæ Partis.

Cap.1. nu.5. Qui alba. 264.lit.o
nu.6. Si forte. 265.lit.
nu.9. Si qua orta. 265. verſic. Si qua orta fuerit.
Cap.2. nu.1. Patre Generali. 281. verſic. In Decretis Capitularibus.
nu 3. Conſtitutiones. 282. verſic. Alterum Decretum eſt.

Cap.

Cap.3 nu.1. Qui lectionibus. 292. ſub lit.f
Cap.5. nu.6. Tres ſaltem: 322. verſic. In Decretis.
Cap.7. nu.4. Præpoſitus. 371.lit.t.§.1
nu.7. Vrgēte neceſſitate &c. 375. verſic. In Decretis.
nu.9. Ordinationes. 376.lit.t.§.7
nu.11. Nullus. 377.lit.t.§.8
nu.15. Abſente. 378. verſic In Decretis.
nu.17. Tum Clericorum. 358.lit.i
nu.18. Ad Capitulum. 379.lit.t.§.12
nu.19. Vt charitatis. 383.lit.t.§.14
nu 20. Sacerdos. 385. verſic. In Decretis.
nu.23. Secularibus negocijs. 386. verſic. In Decretis.
Cap.8. nu.1. Viua voce. 391.lit.d.§.2
nu.2. Si quis noſtrum. 393.lit.d.§.8
Cap.9. nu.1. Statuimus leuiores. 10.lit.a.§.6
nu.2. Statuimus pœnas. 11.lit.a.§.7

Anni 1624.

Die 3. Maij, Ad euitandam. 363.lit p
Die 6. Maij, In ſingulis domibus. 357.lit h. & §.1
Die 6. Maij, Qui à P. Generali. 335 lit.g.§.4
Die 6. Maij, Vt vitentur. 254. lit.f. vſque ad folium 258. lit.g

Anni 1627.

Die 29. Aprilis, Decretum alias. 358. verſic. Et alio Decreto.
Ne quis vltra ſexennium. 330. verſic. Ratio dubitandi.
Vt autem certo ſequatur. 262. verſic. Et circa Decretum.

F I N I S.

CON-

CONSTITVTIONES CONGREGATIONIS CLERICORVM REGVLARIVM.[b]

Commentaria ſuper Titulum Conſtitutionum.

Summa Commentariorum ſuper Titulum.

Quot legibus particularibus regatur, & gubernetur noſtra Religio. lit. a

Decreta Sacræ Congregationis inter Conſtitutiones, & Ordinationes poni debent. lit. a. §. 1.

Clerici Regulares noſtræ Congregationis quare Theatini appellentur. lit. b.

a CONſtitutiones. Cum decreuerim aliqua annotare pro maiori claritate noſtrarum Conſtitutionum, conueniens mihi viſum eſt à Titulo incipere, & ideo ſciendum eſt, quòd noſtra Religio tribus legum generibus particularibus regitur, & gubernatur.

Primæ Conſtitutiones appellantur, & ſunt illæ, quæ Romæ anno Domini 1604. impreſſæ fuerunt, & à Clemente VIII. confirmatæ eodem anno, die 28. menſis Iulij.

Secundæ leges, Decreta appellantur, quæ fiunt in Capitulis generalibus, & eundem vigorem habent, quem

A Con.

Conſtitutiones; quia cùm occurrat in dies, aut aliqua Cõſtitutio declaranda, aut aliquid de nouo ordinandum, vel ob temporum varietatem aliquid mutandum, mos iam antiquitus fuit in noſtra Congregatione, in Capitulis generalibus illa determinare, penes quæ ſolùm eſt authoritas nouas condendi leges, & veteres abrogandi, vt patet in Proœmio noſtrarum Conſtitutionum. Tertiæ leges, Ordines nuncupantur, qui à Præpoſitis generalibus fieri ſolent; & licèt propriè leges non ſint, cùm poteſtatem non habeant nouas condendi leges, nec veteres abrogandi, ſed tantùm interpretandi illas cum voto Patrum Conſultorum, vt patet in noſtris Conſtitutionibus parte 3. capite 7. §. Pater Generalis, verſiculo Interpretari &c. tamen, ne res, quæ de nouo occurrere ſolent, nec differri poſſunt vſque ad Capitulum Generale, remedio careant, ſolent generalibus Ordinibus ordinare, quid faciendum, vel vitandum ſit; qui Ordines, quia per Decretum Capituli Generalis anni 1610., quod eſt in 3. p. Decretorum c. 7. nu. 9. in ſuo robore permanent, quouſque à generali Capitulo, vel à ſucceſſore ſpeciatim abrogentur, quodammodò vim legis habent.

a. §. 1. Vltra ſupradictas leges adſunt etiam Decreta Sacræ Congregationis Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium Concilij Tridentini facta ordinatione Sanctiſſimi Vrbani Papæ VIII., quæ poni debent inter Ordines, & Conſtitutiones cuiuſque Religionis vt obſeruari poſſint, vt apparet ex Decreto quadrageſimo ſub Titulo, Decreta pro reformatione Regularium, In quo Decreto interdicitur cuique facultas illa declarãdi, atque aduerſus ea vnquam diſpenſandi, ſub pœna priuationis officij, & perpetuæ inhabilitatis ad alia quæcunque munera ipſo facto.

Sed

Sed aduertendum eſt, quòd quamuis prohibeatur illa declarare, intelligitur authoritatiuè vt Superiores, & non vt Doctores in aliquo particulari caſu.

Aduertendum etiam eſt, quòd bis in anno publicari debent dicta Decreta in publica, & communi menſa, vt apparet in Decreto, quod incipit: Ne qua verò difficultas &c. & in fine ſub Titulo Decreta Sacræ Congregationis Concilij de Regularibus Apoſtatis, & Eiectis.

b Clericorum Regularium. In Breui fundationis noſtræ Congregationis, facto à Clemente Septimo, die 24. Iunij 1524. fuit ordinatum à dicto Summo Pontifice, vt noſtra Congregatio nominaretur ſub hoc titulo, Clericorum Regularium, abſque alia additione. Poſtea verò, vulgo nuncupati ſumus Theatini, quod duplici ex cauſa puto accidiſſe, tum ſcilicet, quia D. Ioannes Petrus Carrafa vnus ex noſtris fundatoribus erat Epiſconus Theatinus antequam profeſſionem emitteret: Et facta profeſſione fuit primus Præpoſitus electus in noſtra Congregatione, vt apparet ex inſtrumento profeſsionis ſtipulato die 14. Septembris 1524.; tum etiam quia vſus iam obtinuerat, vt vnuſquiſque (vti fuere illi primi noſtri Clerici) caſtigatius ſeueriusq. viuens, non alio quam Theatini nomine appellaretur.

PROOEMIVM.

Summa Proœmij Conſtitutionum.

Conſtitutiones noſtræ non obligant nos ad culpam, ſed ad pœnam tantum. num. 1.
Superiores noſtri habent auctoritatem obligandi nos ad culpam etiam mortalem. num. 2.
Superiores noſtri ne temerè præcipiant. ibid.
A multitudine præceptorum caueant noſtri Superiores. ibid.
Superiores noſtri habent facultatem excommunicandi. nu. 3.
Raro vero, nec ſine conſilio dicto gladio vti debent. ibid.
Capitulum Generale noſtræ Congregationis habet auctoritatem nouas condendi leges, & veteres abrogandi. nu. 4.
Capitulum Generale tantùm poteſt noſtris Conſtitutionibus aliquid mutare, addere, vel minuere. ibid.

QVAM nos religioſè viuendi rationem, ex Apoſtolorum Actis excerptam, Clementis VII. aliorumq; Summorum Pontificum auctoritate firmatam, Patrum noſtrorum vſu, & conſuetudine tot annos receptam, in Generalibus Capitulis ſæpius roboratam, Congregatione, Deo fauente, in dies aucta, Conſtitutionum more ſcriptam hactenus ſeruauimus, eam nunc accuratè recognitam

typis mandare viſum eſt; vt quæ vitanda, aut
ſequenda ſunt, præ oculis quiſque habeat. In his
ſcribendis, edendiſvè ea mens noſtra eſt, tum vt
quæ naturali, Euangelica, & ſacrorum Canonũ
lege ſanciuntur, probè ſeruemus, tum verò, vt
trium ſacrorum Votorum nexu, hiſq; religioſis
Conſtitutionibus communiti, aditum nobis ad per-
fectæ charitatis adeptionem, Deo iuuante, facia-
1 mus. Cæterum, vt animorum conſulamus tran-
quillitati declaramus[a] nullas Conſtitutiones, aut a
Regulas noſtras obligare nos ad culpam, ſed ad
pœnam tantùm: niſi propter præceptum, aut con-
temptum[b]: præceptum autem apud nos nullũ aliud b
haberi, quàm quod aut Naturali, aut Diuina,
aut Eccleſiaſtica lege[c], aut trium Votorum ratio- c
2 ne continetur. Quamuis autem[d] ad culpam obli- d
gandi etiam peccati mortalis Superioribus noſtræ
Congregationis non deſit auctoritas, maximè in
rebus grauibus, & ſi præceptum his verbis expri-
mat, Præcipimus[e] in virtute Sanctæ obedientiæ, e
aut horum ſimilibus: caueant tamen, ne quid vn-
quam præcipiant temerè, & à multitudine præ-
ceptorum abſtineant, ne laqueum ſubditorum ani-
3 mis iniiciant. Excommunicandi etiam, quam-

uis

uis habeant facultatem, ſobriè tamen, et cum
4 *conſilio vtantur hoc gladio. Nemo autem, excepto Generali Capitulo (penes quod per Summorum Pontificum Priuilegia, eſt auctoritas nouas condendi leges* [f] *& veteres abrogandi* [g]*) audeat his noſtris Conſtitutionibus, aliquid mutare, addere, vel minuere. Hæ in tres præcipuas partes ſunt diſtributæ. In quarum prima agitur, De ijs quæ ad Diuinum cultum pertinent. In Secunda, De Obſeruantijs quibuſdam noſtræ Congregationis. In Tertia, De vniuerſi Ordinis adminiſtratione.* f g

Commentaria ſuper Procemium Conſtitutionum.

Summa Commentariorum ſuper Procemium.

Conſtitutiones noſtras non obligare nos ad culpam, quomodo intelligatur. lit. a

Quando ſit peccatum veniale tranſgreſsio noſtrarum Conſtitutionum, & quando mortale. lit. a. §. 1. & 2.

Pæna regulariter dari non debet vbi non eſt culpa; Fallit ſiquis voluntariè ſe obligauerit ad pænam. lit. a. §. 3.

Pæna quando non eſt taxata, arbitrio Iudicis eſt taxanda. lit. a. §. 4.

Religioſus tenetur exequi pænitentiam ſibi à Superiore impoſitam. lit. a. §. 5.

Pæna

Pœnæ leues quæ ſint . lit.a.§ 6.

Pœnæ graues quæ ſint . lit.a.§.7.

Pœnæ impoſitæ ab inferioribus Prælatis tolli non debent à ſuperioribus Prælatis ſine iuſta & rationabli cauſa . lit.a.§.8.

Tranſgreſſiones graues quæ ſint ? lit.a.§.9.

Pernitioſi communitati iudicio vocalium , ſunt in carcere recludendi . lit.a.§.10.

Præpoſitus localis quando poſſit ſacerdotem aliquem carceribus mancipare ? lit.a.§.11.

Quando agitur de pœna imponenda , vota dari non debent ſecretè, quia ſcrutinandæ ſunt rationes . lit.a.§,12.

Quando imponitur aliqua pœna à Capitulo domus , Præpoſitus ſequi debet determinationem factam à maiori parte vocalium . lit.a.§.13.

Delictum commiſſum per menſem ante viſitationem quomodo intelligatur . lit.a.§.14.

Menſis quot dies debet habere . lit.a.§.15.

Ad quem pertineat decernere , an cauſa expedienda ſit regulariter vel iudicialiter . lit.a.§.16.

Capitulum Generale an poſſit nouas leges ſtatuere obligantes nos ad culpam mortalem . lit.a.§.17.

Quando dicatur quis peccare ex contemptu . lit. b

Prælati negligentes ad extirpandas malas conſuetudines in Monaſteriys peccant mortaliter . lit.b.§.1.

Lex quando obliget ad culpam mortalem . lit. c

Quiſnam ex noſtris Superioribus habeat facultatem faciendi præcepta . lit. d

Verbum præcipimus quando importat peccatum mortale , quando non . lit. e

Facultas condendi leges nobis data, quomodo intelligatur . lit. f

Noſtris Conſtitutionibus quis poſſit diſpenſare . lit. g

Epikeia quando uti poſſint noſtri Prælati . lit.g.§.1

Præpoſiti

Præpoſiti Domorũ an poſſint Conſtitutionibus diſpenſare. lit.g.§.2.
Diſpenſans ſine iuſta cauſa an peccet. lit.g. §. 3.
Diſpenſans in ſuis præceptis ſine iuſta cauſa an peccet. lit.g.§.4.
Superiores an poſſint diſpenſare cum ſeipſis in Conſtitutionibus & Decretis? lit.g.§ 5.
Superiores an poſſint coarctare ſubditis immunitates ipſis conceſſas à Conſtitutionibus, vel ab alijs Superioribus altioris Ordinis? lit.g. §. 6.
Noſtræ Conſtitutiones an abrogari poſſint? lit.g.§.7.

a DEclaramus nullas Conſtitutiones, aut Regulas noſtras obligare nos ad culpam, ſed ad pœnã tantùm. Eſt aduertendum, quòd licet noſtræ Conſtitutiones non obligent nos ad culpam, ſed ad pœnam tantùm temporalem, tamen non tollunt culpam, quæ alia lege, vel ratione eſt annexa illi actioni, quæ fit contra Conſtitutiones, ſed intelligitur de ea re, quæ eſt pura Conſtitutio. Ita Magiſter Vincentius Bandinellus Generalis Ordinum Prædicatorum in ſuis Declarationibus ad Conſtit. Ordinis Prædicatorum in Procemio verſ. Vt igitur vnitati, & paci. fol. 13. col. 2. lit. L. & Gregorius de Valentia in 2.2.D.Tho.t.3.Diſput.10.quæſt. 4. puncto 5. ad finem, & Sanchez in Præceptis Decalogi to.2.lib.6.c.4 nu.14.

Vnde ſiquis facit aliquam actionem ex ſe indifferentem, ſed à noſtris Conſtitutionibus prohibitam, quæ illi videatur honeſta, & bona, quamuis ſit minus bonum id, quod facit, quàm ſeruare regulam, non tamen committit aliquam culpam: Non ex vi Conſtitutionis, quia non obligat ad culpam, nec etiam ex vi illius actionis, quia non tenetur

quis

quis ſemper facere, quod melius eſt; ita Valentia, & Sanchez in locis præallegatis, & Vaſquez in 1. 2. D. Thom. q.96.diſp.158.c.3.nu.16. & Suarez de Religione t.4.tract. 8 lib.1.c.3.nu.12.

a. §. 1. Quando verò tranſgreſſio ſupradicta Conſtitutionis oritur ex nimia cupiditate erga aliquid, & non ex alio malo fine, eſt peccatum veniale; quia dato, quod non eſſet à Conſtitutione prohibita illa actio, eſſet tamen culpa ex libidine, ideſt ex nimia cupiditate; Ergo à fortiori eſt culpa venialis dum à Regula eſt prohibita.

Et ſimiliter, quando quis ex nulla alia cauſa, quã ex animi torpore, & negligentia ducitur ad tranſgrediendã Conſtitutionem, committit culpam venialem, quia rationi diſſonat moueri ad aliquid ex animi torpore abſque alia cauſa, vel fine rationabili. ita D.Thom. in 2.2.q.186.art.9. in reſp. ad primum, & ibidem Caiet.art.9.in reſp. ad primum dubio 4.Sanchez in Præceptis Decalogi t.2.lib 6.c.4.n.15. Greg. de Valentia in loco præallegato, qui addit comm. admiſceri culpam in tranſgreſſione huiuſmodi regularum, vel ex torpore, vel ex libidine, quem ſequitur Sanchez in loco præallegato, & Suarez, vbi ſupra nu.12. in fine.

a. §. 2. Ex contemptu etiam poteſt aliquis Conſtitutionem tranſgredi, & tunc regulariter eſt peccatum mortale, quia contemptus eſt peccatum inobedientiæ formalis. ita Greg. de Valentia in t.2.D.Tho.diſp.7.q 5 pũcto 6.caſu 1. Vaſquez in 1.2. D.Tho. q 96. art.4.diſp.158.c.4.num 37. Sanchez in Præceptis Decalogi lib.1.c.5.nu.9. Alphonſ. à Caſtro de lege pœnali lib.1.c.5. D.Barthol. à Sancto Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib.6.q.157.nu.4.Quando dicatur quis peccare ex contemptu, videbimus infra ſuo loco, verbo contemptum.

a. §. 3. Circa pœnam ſciendum eſt, quòd quamuis dari non debeat, vbi non eſt culpa, c.fin. de his, qui filios oc-

ciderunt, tamen ijs, qui voluntariè ſe obligant ad aliquam pœnam, poteſt eis dari talis pœna ſine culpa, Bandinellus in loco prææallegato. Et tales ſunt Patres, & Fratres noſtræ Congregationis, qui voluntariè in profeſſione ſe obligauerunt talibus legibus, promittendo obedientiam,& reuerentiam debitam ſecundum regulam trium votorum eiuſdem Congregationis.

a. §. 4. Præterea pœna intelligitur, aut taxata in noſtris Conſtitutionibus, aut taxanda à Superioribus; quia regulariter, quando pœna à lege non eſt taxata contra illius tranſgreſſores, arbitrio Superioris eſt taxanda, Panorm. in c. Grauis de Cenſibus. nu. 1.

a. §. 5. Tenetur tamen ſub culpa Religioſus ſubditus exequi pœnam à Superiore ſibi impoſitam pro tranſgreſſione Conſtitutionum; ita Toletus in inſtr. ſacerdo. lib. 8. c. 16. n. 1. Syl. verb. Religio. 6. q. 6. Corduba in Regula S. Frăciſci c. 10. q. 1. dicto. 6. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in Præceptis Decalogi lib. 6. c. 2. nu. 45.

Si verò eſſet taxata à lege, non teneretur illam exequi, ſed pati tantùm poſt condemnationem, ſi eſſet corporis afflictiua, vt carceris, &c. ita Syl. v. Religio. 1. §. 12. in principio.

a. §. 6. Supradictæ pœnæ, quæ imponi ſolĕt pro tră ſgreſſione Conſtitutionũ, aliquæ ſunt leues, & aliquæ graues. Leues ſunt notatæ in Decreto Capituli Generalis anni 1621. quod eſt p. 3. c. 9. n. 1. tenoris ſequentis.

Statuimus leuiores eſſe pœnas haſce in tranſgreſſores rerum leuium Conſtitutionum, Decretorum, vel Ordinationum, tum Capituli Generalis, tum ceterorum Superiorum noſtrorum, videlicet, in medio refectorio genibus flexis comedere: Pane tantùm, & aqua veſci: Pedes Fratrum deoſculari: Vaſa cibaria

tergere:

tergere: ac ceteris huiuſmodi regularem mortificationem præſeferentes, modo pro ſingulis culpis ne vltra ſexies infligantur. Illas, tum Superior, tum qui locum tenet Superioris pro tempore, abſque etiam vocalium conſenſu imponat: Ab ijs ad ceteros etiã noſtræ Congregationis Superiores appellatio non admittitur. In earum irrogatione non tenetur Superior iudicialiter inquirere de culpa, acta conficere, teſtes euocare, ſententiam in ſcriptis ferre, latæq; pœnæ rationem reddere; cum huiuſmodi ſint apud Religioſos viros mortificationis; humilitatisq; potiùs exercitationes, quàm pœnæ.

a. §. 7. Graues pœnæ ſunt notatæ in Decreto, quod eſt p. 3. cap. 9. nu. 2. tenoris ſequentis.

Statuimus pœnas grauiores in tranſgreſſores rerum grauium noſtrarum Conſtitutionum, Decretorum, & Ordinationum, tum Capituli Generalis, tum ceterorum Superiorum, vel in quoquo pacto grauiter Superioris arbitrio delinquentes, cenſendas eſſe haſce, nempe à cõficiendo Sacro etiam Vocales per trimeſtre interdicere, loco profeſſionis eos, qui Vocales non ſunt per ſemeſtre priuare. Sacerdotes ad vocis ferendæ ſuffragium non adhuc propoſitos miſſarum miniſterio mancipare. Fratres laicos per trimeſtre detinere in carcere. aliasq; eiuſmodi dependere pœnas, quas Præpoſitus irrogabit ex conſenſu maioris partis Vocalium ſuæ domus, vel Viſitatorum viſitationis tempore, modo delictum ſit per menſem

ante viſitationis tempus, & non ante perpetratum, nec de eo quouis tempore ante viſitationem aliquid fuerit à Vocalibus actum. Ab eiuſmodi pœnis decernimus non dari ad Superiores noſtros appellationem. nec Superiores de eiuſmodi culpis teneri acta conficere, nec forenſem exequi formulam, ſed ore, & extraiudicialiter facti veritate inſpecta delinquentem de ſuo errato monere, vt ſi quid in ſui defenſionem habeat, exprimat, ac deferat. ac demum ſimplici facti enarratione, pœnaq; irrogata ſcripto prolata à ſe, & Vocalibus, ſiue à Viſitatoribus viſitationis tempore, ac nominibus ſubſcriptis, regularem pœnam dependere, auctographum in Archiuo ſuæ domus ſeruare, exemplar verò ad P. Generalē tranſmittere in Archiuo Rŏmano recludendum. Declaramus autem neminē per huiuſmodi grauiores pœnas regulares, aliquam iuris, aut facti infamiam incurrere, ſed tantùm regulari diſciplina fore emendatum.

a. §. 8. Sed circa hoc Decretum, hæc ſunt aduertenda. Primo, quod Prælati Superiores ſine iuſta, & rationabili cauſa non poſſunt, nec debent indulgere, aut tollere pœnas impoſitas ab inferioribus Prælatis contra eorum volūtatem, niſi per viam ſupplicationis in caſu, quo illam iniuſtam eſſe repererint. Et ratio eſt, ne Prælati ordinarij deſpiciantur. ita habetur in Conc. Trid. ſeſſ 14. c. 1. & docet Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum t. 2. q. 30. art. 11. concl. 1. in fine. Poſtquàm verò Prælatus inferior functus fuerit officio ſuo, poterit ſuperior Prælatus relaxare; idem vbi ſupra.

a. §. 9.

a. §. 9. Secundo, quòd Tranſgreſſiones graues poſſunt eſſe ſequentes, (quæ in alijs Religionibus tales reputatæ ſunt, vt apparet in Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorũ diſtinctione 1.c.17.tit. de graui culpa,& c.18.eod.titulo .)

Si quis cum aliquo grauiter contempſerit: vel opprobrium, vel iniuriam dixerit.

Si quis mendacium pernicioſum de induſtria Prælato, vel alteri dixerit.

Si quis murmuret, vel detractet de Patribus, & Fratribus, & multo magis de Superioribus, etiam finito officio.

Si quis literas miſerit, vel ſibi miſſas legerit, ſiue aperuerit abſque licentia Prælati.

Si quis per contumaciam, vel manifeſtam rebellionem inobediens Prælato ſuo extiterit, vel proteruè contendere auſus fuerit.

Si quis leuiter percuſſerit Fratrem.

Si quis rem ſibi donatam, abſque ſui Superioris licentia ſibi appropriauerit, vel alteri donauerit.

Si quis de die extra domum etiam cum Socio, abſque licentia ſui Superioris exierit, dato quod aliam culpam non commiſerit.

Si quis inhoneſtatis grauem ſuſpicionem dederit; & aliæ ſimiles.

a. §. 10 Tertio aduertendum eſt, quòd ſi aliqui iudicio Prælati, & Vocalium domus ſunt pernitioſi communitati, & ſine graui periculo, vel ſcandalo, in communi tolerari non poſſunt, in carcerem ſunt recludendi, vel ſi in eo ſint, non ſunt liberandi: nam vtilitas communis eſt præferenda vtilitati vnius cap. Reſecandæ.24.q.3. Magiſter Vincentius Bandellus in Comment. Conſtitutionum Dominicanorũ. diſt.1.c.19 lit b. verſiculo, ſi aliqui ſunt, fol. 65. col.2. ſed ab A. R. P. noſtro Generali, & ſuis RR. PP. conſultoribus ſupradicta fieri debent.

a. §. 11. Quarto, quòd ſi Præpoſito locali videretur carcerandum eſſe aliquem Sacerdotem, vel Vocalem per paucos dies pro aliqua impertinentia, vel manifeſta inobedientia, vel ad vitandum ſcandalum, poſſet hoc facere cũ conſenſu Capituli domus, & PP. Viſitatorum, tempore viſitationis, vt in præſenti Decreto abſque proceſſu; ſed non ſine graui cauſa debet ad hunc actum deuenire.

Nec obſtat præſens Decretum, quod pœnam hanc taxet pro Fratribus laicis, quia ſunt exempla, quæ demonſtrant quid regulariter agendum ſit, ſed non conſtringunt, vt contra alios fieri non poſſit in aliquo particulari accidenti. l. ſcire oportet. §. fin. ff. de excuſ. tutorum. l. damni infecti ſtipulatio pertinet ff. de damno infecto. Chriſtoph. Portius Inſtit. Tit. Quibus modis re contrahitur obligatio n. 2. in princ. Tuſcus t. 3. lit. E. concluſ. 547. fol. 445.

a. §. 12. Quinto eſt aduertendum ibi, *Ex conſenſu maioris partis Vocalium*. Hic primo dubitari poteſt, Vtrum iſte conſenſus dari debeat per vota ſecreta, iuxta Decretũ p. 3. c. 7. nu. 21. an per vota manifeſta? Reſpondeo, quòd dum agitur de pœnis imponendis, debent ſcrutinari rationes, quæ pro, & contra reum faciunt, & proinde per vota manifeſta dari debent; quia ratio vnius poteſt ad ſe trahere votum alterius: Et Iudices hoc modo proferre ſolent ſua vota, quando plures ſunt, & non ſecretè.

a. §. 13. Secundo dubitari poteſt. Ponamus, quod Capitulum Domus determinationem faciat contrariã opinioni, & voluntati Præpoſiti; Vtrum poſſit Præpoſitus relicta illa determinatione, reo imponere aliquam pœnitentiam regularem ex illis, quas ipſe ſolus imponere poteſt, vt in præcedenti Decreto primo? Reſpondeo, negatiuè, ſed tenetur ſequi determinationem factam à maiori parte Vocalium: Et ratio eſt, quia conuocato Capitulo, & propoſita cauſa in Capitulo, iudicauit culpam rei eſſe grauem, &

per

per conſequens Vocales eſſe Iudices illius cauſæ, & eorum votum in hoc caſu eſt deciſiuum, & non conſultiuum, Vnde diſcedere non poteſt à determinatione facta à maiori parte Capituli, ſed illi ſtare debet.

a. §. 14. Sexto ibi, *Modo delictum ſit per menſem, &c.* Hic dubitari poteſt quando incipiat currere iſte menſis, ante ne viſitationem Prouinciæ, an Domus, vbi eſt commiſſum delictum? Reſpondeo, quod intelligitur menſis antequam incipiatur viſitatio domus, in qua commiſſum eſt delictum, quia ſi aliàs intelligeretur, caſtigatio culparum per longum tempus differreretur, quod eſt inconueniens.

a. §. 15. Præterea dubitari poteſt, Quot dies debeat habere iſte menſis? Reſpondeo, quòd debet habere triginta dies; primo, quia menſis regulariter pro triginta diebus accipitur, l.vbi lex.ff.de Reg.Iuris. ſecundo, quia quando fit mentio menſis, in dubio de menſe triginta dierum intelligitur, ſecundum Bartolum in l.Cum biſextus.ff.de verborum ſignif. & Baldus in Authen. qui ſemel. C.quomodo & quando Iudex, & in l. eos.C.de appellat.& Socin.in Regula 318.

a. §. 16. Septimo ibi, *Regularem pœnam dependere.* Si Præpoſitus localis, vel Generalis vellet expedire aliquam cauſam regulariter, & reus vellet expediri iudicialiter; Vtrum teneatur Præpoſitus illam iudicialiter expedire? & è contra, ſi reus vellet expediri regulariter, & Præpoſitus iudicialiter, Vtrum teneatur regulariter illam terminare? Reſpondeo, quod à principio ſtat in arbitrio Præpoſiti, quia quæ à lege non ſunt determinata, arbitrio Iudicis ſunt determinanda. c. De cauſis.§.1.de offic.Deleg. l.1. ff.de Iure delib.Nauar.conſil.63.de Præbendis.Cardin.Tuſcus lit.A. concl.471.nu.4. niſi delictum ſit ita graue, quod de Iure, iudicialiter cauſa ſit terminanda. Si Iudicium eſt incœptũ iudicialiter cum Aſſeſſore, & voto Capituli Domus, & in

progreſſu

progreſſu cauſæ colligitur, delictum non eſſe tale, vt mereatur reus puniri pœna iudiciali debet iudicialiter terminari cauſa, imponendo reo aliquam pœnam regularem; pro qualitate culpæ: Si verò incœptum eſt regulariter, cũ Voto Capituli Domus, & in progreſſu informationis detegitur delictum eſſe graue, & proinde iudicialiter puniendum, poteſt Præpoſitus cum conſenſu Capituli, & conſilio Aſſeſſoris iudicialiter formare proceſſum, & iudicialiter cauſam terminare. Nam Iudex iuxta probata ſe regulare debet. l. illud. ff. de Officio Præſid. l. Res aliena. C. de rei vendicat.

a. §. 17. Quæritur vtrum Capitulum Generale noſtræ Congregationis, cui commiſſa eſt facultas cõdendi nouas leges, & veteres abrogandi, poſsit nouas leges ſtatuere obligantes nos ad culpam mortalem, dum noſtræ Conſtitutiones non obligant nos ad culpam, ſed ad pœnam tantùm?

In hac difficultate tres inueni Doctorum opiniones, quæ applicari poſſunt ad noſtrum propoſitum.

Prima opinio eſt multorum Theologorum (quos infra referam) qui docent non poſſe Capitulum Generale condere nouas leges obligantes ſuos ſubditos ad culpam, ſed requiri ſingulorum conſenſum. Probant ſuam opinionem; primo quia, ſicut nemo virtute ſuæ profeſſionis in vna Religione emiſſa, poteſt compelli, vt tranſeat ad aliam Religionem arctioris Regulæ: Eodem modo nõ poteſt in ſua Religione ad arctiorem vitam obligari; ſed nos virtute noſtræ profeſſionis non obligamur ad culpam pro obſeruantia noſtrarum Conſtitutionum: Ergo Capitulum Generale non poteſt nouas condere leges, quæ obligent nos ad culpam, quia obligarent nos ad arctiorem modum viuendi, ad quem non tenemur virtute noſtræ profeſsionis; & per conſequens abſque ſingulorũ conſenſu id facere nõ poteſt.

Secundo

Secundo Capitulum Generale noſtræ Congregationis poteſt condere nouas leges, & veteres abrogare; Ergo par eſt poteſtas condendi, & abrogandi: Sed leges quas poteſt abrogare non obligant ad culpam, ſed ad pœnam tantùm; Ergo, & nouæ leges, quas ſtatuit non poſſunt nos obligare ad culpam, ſed ad pœnam.

Tertio in Procemio noſtrarum Conſtitutionum habetur Superiores noſtræ Congregationis habere facultatem præcipiendi, & ſuis præceptis poſſe obligare ſubditos ad culpam etiam mortalem: monentur tamen ne temere aliquid præcipiant, & vt abſtineant à multitudine præceptorum, ne laqueum ſubditorum animis inijciant; Ergo ſi intentio Fundatorum noſtræ Congregationis fuiſſet, vt Capitulum Generale poſſet condere leges, obligantes nos ad culpam, expreſsiſſent, ſicut expreſſerunt de Superioribus.

Quarto, Cum hoc negocium tangat omnes, & ſingulos profeſſores noſtræ Congregationis, ſequitur, quòd iuxta regulam iuris, debeat ab omnibus, & ſingulis profeſſis approbari, c. Quod omnes tangit de reg. iur. in 6.

Hanc opinionem ſuſtinent D. Tho. in 22. q. 104. art. 5. in reſp. ad tertium, & q. 186. art. 9. & Quodlib. 10. art. 10. Gerſon lect. 3. de Vita Spirituali alphabeto. 62. lit. R. circa finem corol. 13. S. Bonauentura in 2. ſent. diſt. 4. art. 3 q 2. Durandus ibidem. q. 4. & Carthuſianus q. 5 S. Antoninus in 3. p tit. 16. c. 1. §. 9. & 13. Turrecrem. in expoſitione Regulæ S. Benedicti tit. 45. Rodriquez t. 2. Regular. quæſt. q. 22. art. 6. & q. 45. art. 3. & t. 3 q. 19 art. 3 Valentia. in 2. 2. D. Tho. diſp. 7. q. 3. puncto 2. §. Addit. & diſp. 10. q 4 p 3. §. Nunc verò, & alij, quos refert Io. de Salas in ſuo tractatu de legibus diſp. 8. ſect. 12. nu. 57.

Secunda opinio eſt Canoniſtarum, quos infra referam, qui oppoſitam tenent ſententiam; nempe poſſe Capitulũ

generale inſtituere leges obligantes ſingulos ad arctiorem modum viuendi: Nec requiri ſingulorum conſenſum, ex qua ſequitur, poſſe condere leges obligantes ſubditos ad culpam etiam mortalem, dato quod Conſtitutiones non obligent nos ad culpam: Probant ſuam opinionem. Primo ex c. vnico de ſtatu Regularium lib. 6. vbi Monialibus profeſſis indicitur clauſura ſub præcepto, quæ non erat in Regula, & arctiorem eam facit; & idem præcepit Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 5. de Regularibus, Pius V. & Gregorius XIII. in ſuis Bullis.

Secundo, quia in Voto obedientiæ intelliguntur leges, & ordinationes, quas facere poſſunt Prælati; Ergo eo ipſo, quod ſunt factæ tenentur ſubditi ex voto obedientiæ illas ſeruare.

Tertio, probari poteſt, quia Capitulum Generale habet iuriſdictionem ordinariam in ſuos ſubditos, & eandem, quam habent Epiſcopi in ſua Diœceſi in ſubditos ſuos, vt docet Victoria in ſua relectione de Poteſtate Eccleſiæ q. 2. nu. 28. & Soto in 4. ſent. diſt. 27. q. 1. art. 4. quos refert, & ſequitur Miranda in ſuo Manuali Prælatorum to. 1. q. 13. art. 5. & habent auctoritatem condendi leges, vt patet in Procemio noſtrarum Conſtitutionum. §. Nemo autem. Sed leges eo ipſo, quod publicatæ ſunt ex genere ſuo obligant ad culpam venialem, vel mortalem; Ergo Capitulum Generale habet auctoritatem condendi leges obligantes ſingulos ad culpam.

Quarto, in procemio noſtrarum Conſtitutionum; quamuis declaretur noſtras Conſtitutiones non obligare nos ad culpam, declaratur etiam non deeſſe poteſtatem noſtris Superioribus obligandi ſuos ſubditos ad culpam etiam peccati mortalis, quod poteſtatem in praxi poſuerunt Patres Capituli Generalis anni 1610. 1612. & 1615. & hanc opinionem ſuſtinent Innoc. in c. ſuper eo de Regularibus. & ibidem

ibidem Panor. Vincentius, & Hoſtienſis, Præpoſitus in c. ante triennium, verſ. tamen ſi per ſtatutum, diſt.31. gloſ. in regula, quòd omnes de reg. iur. in 6. Io. Andreas in c. Ioannes.§.ſed nunquid Papa de Regularibus. Felin in c.ad noſtram.§.ſecundo conſidera nu.4.5.& 6. de appellat.& alij, quos refert Ioannes de Salas in ſuo tract. de legibus diſp.8.ſect.12.nu.58.& Vaſquez in 1.2.D.Tho.q.95.art.2. diſp.154.c.4.ſub nu.24.§.oppoſitam ſententiam.

Tertia opinio mihi videtur media inter dictas opiniones, & illam propriè probat tex. in c. vnico de ſtatu Regular. in 6. ſi rectè conſideretur. & illam tenent Sylu.in verbo Religio 6.q.6.nu.6. verſ. ego verò dico, & c. Angelus, verbo Religio nu. 30. Ioannes de Sala in ſuo tract. de legibus diſp.8 ſect.12.nu.58. ibi, Mihi placet, quod ait Syl. & Gabriel Vaſquez in 1.2.D.Tho.diſput.154 c.4. nu. 25. & Sanchez in Præceptis Decalogi to.2. lib.6.c.2.per totum.

Pro deciſione propoſitæ difficultatis ſtatuo infraſcriptas Concluſiones.

Prima Concluſio. Capitulum Generale noſtræ Religionis, vel eius maior pars, apud quod eſt poteſtas condendi leges, poteſt pro temporis occaſione, vel alia iuſta de cauſa, ſi iudicauerit medium ſimpliciter neceſſarium (quod raro accidere poterit, quia per præceptum generale, quod licitè facere poteſt, poterit cogere ſubditos ad dictam obſeruantiam) condere leges, quæ obligent ſuos ſubditos ad culpam etiam mortalem pro obſeruantia alicuius rei pertinentis, vel accommodatæ ad obſeruantiam trium votorum, ſiue ſit expreſſa in Conſtitutionibus à Sede Apoſtolica approbatis (quæ loco Regulæ apud nos ſunt) ſiue non: Et etiam pro obſeruantia alicuius Conſtitutionis (ſi viderit communiter non obſeruari) vel alterius rei, quam aliquo modo ad eius obſeruantiam iudicauerit neceſſariam; (cum implicitè, & indirectè contineatur in Regula) dato quòd *Deciſio Quæſtionis.*

ex ſua prima inſtitutione, noſtræ Conſtitutiones nõ obligent nos ad culpam, ſed tantùm ad pœnam.

Probatur primo. Ex Breui Clem. VII. facto in fundatione noſtræ Religionis, ex quo clarè liquet poteſtatem, quam habet Capitulum Generale noſtræ Religionis condendi leges non eſſe limitatam ad condendas leges non obligantes ad culpam, ſed ad pœnam tantùm. Nec etiam eſſe limitatam quoad materiam, ſed eſſe ſimplicem, condendi Conſtitutiones. & Statuta de omnibus, & ſingulis, quæ ad huiuſmodi vitæ propoſitum clericaliter viuendi conducere videbuntur; licita tamen, & honeſta, rationabilia, & bonis moribus ac Sacris Canonibus non contraria, & pro tempore ſactæ corrigere, reformare, & in parte, vel in totum mutare, & de nouo alia inſtituere.

Secundo probatur ex c. vnico de ſtatu Regularium lib. 6. vbi Monialibus præcipitur clauſura, ad quam non erant obligatæ ante profeſſionem, tamen quia expediebat ad obſeruantiam caſtitatis fuit illis præcepta.

Tertio probatur ex Clementina, Exiui de Paradiſo, de verb. ſignif. §. declaramus, & dicimus, &c. cuius verba ſunt hæc; *Declaramus, & dicimus, quod dicti Fratres, non ſolùm ad illa tria vota nudè, & abſolutè accepta; ex profeſſione ſua Regulæ obligantur; ſed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ ſunt pertinentia ad ea, quæ regula ipſa ponit.*

Quarto. Non minor eſt poteſtas, quam habet Capitulum Generale noſtræ Religionis reſpectu totius Religionis ad edendas leges, & ſtatuta, illa, quam habent Præpoſiti particulares Domorum in ſuos ſubditos ad imponenda præcepta: ſed Præpoſiti particulares Domorum poſſunt ſuis præceptis, quæ expirant finito officio, vel ipſis mortuis, obligare ad culpam etiam mortalem (vt patet ex Procemio Conſtitutionum §. quamuis autem) omnes ſuos ſubditos, vel aliquem illorum (cum poteſtas ſit indefinita)

pro

pro obſeruantia alicuius rei pertinentis, & accommodatæ ad obſeruantiam trium votorũ, vel pro obſeruantia Conſtitutionum, vel alicuius Conſtitutionis, ſi ita viderint expedire, cum ipſis incumbat procurare, vt in loco ſibi ſubiecto, perfectè ſeruetur Regula, & eam collapſam reſtaurare, & ideo poſſunt eis imponere præcepta neceſſaria, quæ ad eum finem conducunt, tanquam implicitè, ſeù indirectè contenta in Regula, vt docent communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez in Præceptis Decalogi, tom.2.lib.6.cap.2.nu.9.fol.mihi 59. Ergo, & idem facere poterit Capitulum Generale per legem, vel ſtatutum reſpectu totius Religionis, cum iudicauerit medium ſimpliciter neceſſarium.

Quinto. Hæc Concluſio eſt communiter ab omnibus Doctoribus approbata, tam primæ, quàm ſecundæ, & tertiæ opinionis.

Secunda Concluſio, Capitulum Generale noſtræ Congregationis, vel eius maior pars, apud quam eſt poteſtas condendi leges, ſi viderit obſeruantiam noſtrârum Conſtitutionum eſſe relaxatam (quod Deus auertat) & iudicauerit expedire obligare ſubditos ad culpam etiam mortalem, pro eorum obſeruantia, vt ad priſtinam obſeruantiam reſtituantur, poterit per viam præcepri generalis hoc facere. Probatur.

Primo, quia ſubijciens ſe quis alicui ad aliquem finem, ſe quoque illi ſubijcit in ijs, quæ neceſſaria ſunt ad illum finem, quale eſt regulam collapſam reformari. ita Salon in 2.2.D. Tho. to.1 q.62.art.2. contr.13.concl.2. & ratio eſt, quia eadem eſt ratio finis, & eorum quæ tendunt ad finem. l. oratio. ff. de ſponſalib.

Secundo. Sponte profitens in ſua Religione, ſe ita Regulæ, ac vitæ Religioſæ ſubiecit, vt paratus eſſe debeat quantum ex ſe eſt ad conſeruationem ipſius procurandã: Vnde

Vnde ſi bonus Religionis ſtatus collapſus ſit, tenetur pati vt inſtauretur; & per conſequens tenetur Conſtitutiones ſic inſtauratas obſeruare. vt docet Sylu. v.Religio 6.q.6. Tabiena. v. Religio. q.21.nu.22. in fine. Gabriel Vaſquez in 1.2. D.Tho.q.95.art.2.diſput.154.cap.4.num.25.26. & 27. Sanchez in præceptis Decalogi t.2.lib.6.c.2.n.35.

Tertio. Omnes rationes allatæ ad probandam primam Concluſionem, probant etiam, & hanc.

Quarto. Hæc Concluſio eſt definita in Concil. Trid. ſeſſ.25.c.1. ſub decreto de reformatione Regularium, vbi ſic habetur: *Sancta Synodus neceſſarium eſſe cenſuit, quo facilius & maturius, vbi collapſa eſt vetus, ac regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantius, vbi conſeruata eſt perſeueret præcipere, &c.* Dixi per viam præcepti, & non legis generalis, quia dum præcepto (quod eis licitum eſt) poſſunt malo occurrere, non poſſunt per viam legis hoc ſtatuere, quia in perpetuū ligarent conſcientias ſubditorum, & per conſequens ad aſperiorem vitam contra eorum voluntatem; Nam votum non obligat vltra intentionem vouentis: Et ipſi in profeſſione non habuerunt voluntatem obligandi ſe ad obſeruātiam Regulæ obligantis ad culpam, ſed ad pœnā tantùm.

Non tamen deſunt Doctores qui dicunt poſſe hoc facere etiam per viam legis, vt ſunt Innoc. in c. ſuper eo. n.1. verſ. Auſteritatem de Regularibus. & ibi Anton.num 9.in fine. Cardin. nu.2.q.4. Anchar.nu.4. Abbas nu.6. Albericus in ſuo dictionario verbo Religio.2.§.vltimo. Felin in c. cum omnes nu 15.verſ. pro qua fallentia de conſtit. Gabr. Vaſquez in 1.2. D.Tho.q.95.art.2.diſput.154. c 4.nu 25. 26. & 27. Azor. t.1. Inſt. moral. lib 13.c 11.q.17.& alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep. Decal. lib 6.c.2. nu.35. Sed melior eſt facere per viam præcepti generalis, quia ſi obſeruantia reſtauratur, præceptum expirat in alio Capitulo, & ſic remanent Conſtitutiones in ſuo principio;

ſi verò

ſi verò non fuerit ſufficienter reſtaurata, poterit in alio Capitulo renouari præceptum, donec obſeruantia reſtauretur.

Tertia Concluſio, Capitulum Generale noſtræ Congregationis non poſſet pro ſua voluntate abſque ſingulorum conſenſu ferre nouas leges obligantes nos ad aſperiorem vitam, & per conſequens non poſſet ferre tales leges obligantes nos ad culpam, quia obligaret nos ad aſperiorem vitam, & excederet Conſtitutionum præſcriptum: Dato, quod eſſent licitæ, honeſtæ, rationabiles, & bonis moribus, ac Sacris Canonibus non eſſent contrariæ.

Dixi, pro ſua voluntate, quia in caſibus expreſſis in prima Concluſione, poſſet, vt ibi probatum eſt, & ſimiliter poſſet, ſi omnes, & ſinguli conſentirent.

Probatur Concluſio. Primo, quia debitum obedientiæ in Religioſis. conſurgit ex ſolo obedientiæ voto, iuxta Religionis Regulam, ſiue exprimatur in ipſo voto, ſiue non exprimatur; Ergo in ijs ſolis, quæ ad Regulam pertinent, ſiue directè, & expreſsè, ſiue indirectè, & implicitè tenentur obedire.

Secundo. Sicut nemo virtute ſuæ profeſſionis in vna Religione poteſt compelli tranſire ad aliam arctioris regulæ Religionem: Eodem modo nequit in ſua Religione ad arctiorem vitam obligari. Vnde S. Gregorius relatus in c. Geſta. diſt. 74. ait, Iuſtum eſt, vt nemo creſcere compellatur inuitus.

Tertio Hanc Concluſionem probant communiter Doctores, & præcipuè Theologi allegati pro prima opinione, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præceptis Decalogi lib. 6. c. 2. nu. 15. contra Canoniſtas, quos refert idē Sanchez, vbi ſupra nu. 17. in fine, & Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælat. t. 1. q 26. art. 10. concl. 1.

Quarta Concluſio. Capitulum Generale noſtræ Congrega-

gregationis, ſi ferret leges obligentes ſubditos ad aſperiorem, & arctiorem vitam, vt dictum eſt in tertia Concluſione: licet non obligaret ſubditos, vt probatum eſt in dicta tertia Concluſione, obligaret tamen ipſoſmet, qui concurrerunt ad talem legem faciendam, & omnes inpoſterum profeſſores; ſi in receptione habitus manifeſtaretur eis,& ipſi ſponte conſentirent.

Probatur quoad ſemetipſos, quia illi, qui talem legem ſtatuerunt poterant obligare ſeipſos. Quoad futuros verò profeſſos etiam probatur, quia cum profiteantur ſecundum Conſtitutiones Religionis, & illa Conſtitutio ſit facta ante profeſſionem, & eis manifeſtata, & ad illam obſeruandam conſenſerunt, conqueri nequeunt, quod auſterior vita ipſis imponatur, quàm alij profeſſi ſunt, & ita tenet Sanchez in præceptis Decalogi lib. 6. cap. 2. n. 20. fol. mihi 61.

Quinta Concluſio, Capitulum Generale noſtræ Religionis, vel eius maior pars, ſi præceptum conderet obligans ſuos ſubditos ad culpam etiam mortalem, & ſubditi dubitarent exceſſiſſe, nec ne limites ſuæ poteſtatis, dum non apparet manifeſtè exceſſiſſe limites ſuæ poteſtatis, tenentur obedire legi Superioris; Et maximè quando clarè conſtat, rem præceptam eſſe licitam: Probatur.

Primo, quia in caſu dubij melior eſt conditio Superioris, qui ſtat in poſſeſſione ſuæ poteſtatis præcipiendi ſubditis, qua ſpoliandus non eſt, niſi clarè conſtiterit limites ſuæ poſſeſſionis exceſſiſſe. Ita docet Sayrus in lib. 1. Clauis Regiæ cap. 13. nu. 40. & Sot. de Ratio. teg. ſecr. membro 3. q. 2. concl. 1. Præterea mandatum Superioris in dubio præſumitur iuſtum; Et ſubdito ineſt debitum parendi, cum abdicauerit ſuam voluntatem in Superiorem; Ergo Superior habet ius, & poſſeſſionem præcipiendi.

Secundo. Poteſtas Superiorum eſt ad gubernandos ſubditos

ditos ne errent: quæ gubernatio maximè in rebus dubijs eſt neceſſaria, vt ex ſe patet; nec tenentur Superiores reddere ſubditis rationem eorum quæ iubent. Ita Sayrus in lib. 1. Clauis Regiæ cap. 13. nu. 40. & Sot. de ratio. teg. ſecr. membro 3. q. 2. concl. 1.

Tertio. Regi indicenti bellum obediendum eſt à ſubditis, dum non conſtat eſſe iniuſtum, cap. quid culpatur in fine 23. q. 1. & Doctores communiter.

Quarto. Hanc concluſionem tenet Syl. v. bellum 1. q. 9. concl. 3. & v. conſcientia q. 2. Tabiena v. bellum q. 11. n. 14. & verbo conſcientia q. 3. num 4. & verbo obedientia q 11. nu. 12. Caiet. in ſummula v. bellum. & in 2. 2. D. Tho. q. 169. art. 2. circa finem ad quartum in dubio 2. Victoria de iure belli, propoſit. 5. nu. 31. & alij communiter, quos refert, & ſequitur Sanchez in Præceptis Decalogi lib. 6. cap. 3. nu. 3. in fine, & D. Bartholomæus à S Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum. lib. 6. q. 59. & 60. Lud. Mir. in ſuo Manuali Prælatorum. t. 1. q. 26 art. 6.

Sexta Concluſio. Capitulum Generale noſtræ Religionis, vel eius maior pars, pro temporis occaſione, vel alia iuſta de cauſa, ſi viderit expedire, poterit cōdere leges pro obſeruantia alicuius rei, quam ad propoſitum noſtræ vitæ clericalis regularis conducere videbit: dummodo ſit licita, honeſta, rationabilis, & bonis moribus, ac Sacris Canonibus non contraria. Et dato, quod illa res, quæ præcipitur obſeruanda, non ſit neceſſaria, vel non pertineat ad obſeruantiam trium votorum, vel noſtrarum Conſtitutionum, dummodo ſit accommodata, vel pertineat, ad regularem obſeruantiam, quam profeſſi ſunt. Probatur.

Primo, quia Summus Pontifex poteſt condere talem legem, cùm ab ipſo Deo iuriſdictionem abſolutam in omnes fideles habeat, vt eis licita, & honeſta præcipiat, & pertinentia ad Chriſtianitatem; ergo, & Capitulum Generale

noſtræ Congregationis, cum ab illo talem poteſtatem acceperit, vt patet ex Breui fundationis noſtræ Religionis à Clem. VII. nobis facto.

Secundo, quia in voto obedientiæ includuntur ſtatuta, & ordinationes quas facere poſſunt Prælati: Ergo ex Voto tenentur illas obſeruare.

Tertio. Hanc concluſionem probant Doctores ſecundæ opinionis, & Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum t. 1. q. 26. art. 9. Nec hæc concluſio eſt contraria tertiæ concluſioni; nam ibi agitur de obligatione ad culpam, & per conſequens ad aſperiorem vitam, hic verò ad pœnā tantùm, & non ad culpam. Ibi agitur de præcepto facto ex mera voluntate, hic de mandato facto ex iuſta cauſa, & communi vtilitate.

Nunc reſpondendum eſt ijs, quæ videntur obſtare; & ad rationes primæ opinionis reſpondeo;

Ad primam, & quartam dico non obſtare, quia procedunt, quando Capitulum Generale conderet leges obligātes nos ad arctiorem modum viuendi ſupra Regulam, & in hoc caſu requireretur ſingulorum conſenſus, vt dictum eſt in tertia concluſione. ſecus vero quando conderet legem, quæ eſſet ſimpliciter neceſſaria pro obſeruantia votorum, vel regulæ relaxatæ, vt probatum eſt in prima, & ſecunda concluſione.

Ad ſecundam, & tertiam patet reſponſio ex quarta ratione allata ad probandam primam concluſionem.

Ad rationes ſecundæ opinionis reſpondeo.

Ad primam dico, quod procedit in his, quæ expediunt pro obſeruantia votorū, & hoc eſt, quod probat ille textus.

Secunda non obſtat, imò probat primam, & ſecundam noſtram concluſionem.

Ad tertiam nego paritatem iuriſdictionis, nam Epiſcopi habent iuriſdictionem à Summo Pontifice, & Summus

Pontifex

Pontifex immediatè à Chriſto, & abſque limitatione: ſed Capitulum Generale habet limitatam iuriſdictionẽ in ſuos ſubditos (qui vltro ſe ſubiecerunt per votum obedientiæ) nempe iuxta Inſtitutum, & Regulam, quam profeſſi ſunt. Ita docet Ioannes de Salas in ſuo tract. de legibus diſput. 8. ſect. 12. nu. 57. & 59. & Gabriel Vaſquez in 1. 2. D. Thom. diſp. 154. c. 4. nu. 27. in fine.

Ad quartam dico, verum eſſe, quod dicitur, ſed iuxta primam, & ſecundam concluſionem, non autem iuxta tertiam, vt probatum eſt in dictis concluſionibus.

b. Contemptum. Quæri hic poteſt, quando quis dicatur peccare ex contemptu.

Pro faciliori intelligentia huius materiæ ſciendum eſt.

Primo, quod contemptus eſt duplex, formalis, & interpretatiuus. Formalis eſt quando eſt cauſa efficiens violationis legis, aut ordinis Superioris ex eo, quod non vult illi ſubijci, ita D. Tho. in 2. 2. q. 186. art. 9. ad tertium. Interpretatiuus eſt, quando quis ex malitia, aut praua conſuetudine, aut ex indignatione, aut alia ſimili cauſa violat legem, aut ordinem Superioris, non autem ex eo, quod nõ vult illi ſubijci; ita Sanchez in Præceptis Decalogi lib. 1. cap. 5. nu. 8. & Syl. v. contemptus nu. 1. & 2.

Secundo ſciendum eſt, aliud eſſe contemptum legis, & mandati Superioris ſimpliciter, & abſolutè; & aliud contemptum, non quidem illorum; ſed dumtaxat executionis illorum hic, & nunc. ita Sanchez vbi ſupra nu. 10.

Tertio ſciendum eſt, quod quando deſpicitur, ſeu contemnitur Prælatus, non ex eo quod eſt Prælatus, ſed quia eſt imprudens, aut infimæ ſortis, &c. non eſſet contẽptus ſimpliciter, ſed ſecundum quid. ita Caſtr. de lege pœnali lib. 1. c. 5. concl. 2. Leonardus Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 46. nu. pen. & vlt., quos refert, & ſequitur Sanchez, vbi ſupra nu. 13. Nunc reſpondeo ad Quæſitum,

Dico primo. Quod quando noſtri Religioſi ideo violāt Conſtitutiones (quæ apud nos ſunt loco Regulæ) aut Decreta Capitularia, aut Superiorum ordines, ſeu mandata; quia nolunt ſubijci illis, vel paruipendunt quia ſuperiores ſunt: peccant mortaliter ex contemptu, quia hic eſt contemptus formalis, & peccatum inobedientiæ formalis. ita docet Corduba in Regula S. Franciſci cap. 10. q. 3. p. 2. Vaſquez in 1. 2. D. Tho. q. 96. art. 4. diſp. 158. c. 4. nu. 37. Nauar. in Manuali c. 23. nu. 42. Valentia in 1. 2. D. Tho. diſp. 7. q. 5. p. 6. D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib. 6. q. 155. & Doctores communiter, quos refert, & ſequitur Sanchez in Præceptis Decalogi lib. 1. c. 5. nu. 8.

Et ſi alia lege, vel ratione actio illa violationis eſſet peccatum mortale, vt quia eſſet contra præceptum Iuris Canonici &c. in hoc caſu duplex eſſet peccatum mortale, vnum ratione violationis præcepti, & alterum ex contemptu. ita Caiet. in ſummula v. contemptus, & D. Barthol. à S. Fauſto, vbi ſupra q. 156.

Si verò actio illa violationis facta ex contemptu ſupradicto eſſet tantum contra noſtras Conſtitutiones, quæ non obligant ad culpam, vel de releui, ordinata à Superiore, eſſet ſimiliter peccatum mortale, ſed vnum tantùm, ratione contemptus, quia quamuis materia ſit leuis, contemptus tamen eſt grauis, & formalis. ita Nauar. Corduba; Valentia. & Vaſquez in locis præallegatis, & D. Barthol. à S. Fauſto ſimiliter in loco præallegato q. 157.

Sed hoc vltimum dictum limitatur in aliquibus caſibus, & primo limitatur, non procedere, quando ſubditus non ex contemptu formali, ſed ex indignatione ne Prælato rē gratam faciat, in vna re eſſet inobediens, ſed in alijs paratus eſſet obedire, quia in hoc caſu iſte contemptus nō eſſet mortalis; ſed venialis, quia eſſet tantùm interpretatiuus; ita Caiet. in ſummula ver. contemptus, & D. Barthol. à

Sancto

Sancto Fausto, vbi ſupra q. 157. verſ. limita &c.

Secundò limitatur non procedere quando ſubditus non contemnit legem, vel mandatum Superioris, quia nolit illis ſubijci; ſed contemnit dumtaxat exequutionem illorum hic, & nunc in re leui: ita Gregorius de Valentia in 2. 2. D. Tho. diſp. 10. q. 4. puncto 5. col. pen. verſ. cæterum diligenter &c. quam ſequitur Sanchez in Præceptis Decalogi lib. 1. cap. 5. nu. 10. & 11. & D. Barthol. à Sancto Fausto in ſuo theſauro Religioſorum lib. 6. q. 157. nu. 3.

Dico ſecundo, quod noſtri Religioſi, qui paſſim, & ex conſuetudine violant noſtras Conſtitutiones, & Decreta Capitularia, quæ non obligant ad culpam, non peccant mortaliter ex contemptu; Et ratio eſt, quia contemptus incluſus in dicta conſuetudine non eſt formalis, ſed interpretatiuus: nam formalis contemptus in ſolo actu interiori voluntatis perficitur, ac proinde ob ſolam externi operis multiplicationem, contemptus formalis induci nequit. Præterea actus replicati ſunt eiuſdem ſpeciei cum primo, ac proinde eiuſdem malitiæ: ſi ergo primus venialis eſt, cæteri etiam veniales ſunt. Benè verum eſt, quod conſuetudo ſupradicta diſponit ad contemptum formalem, ſicut venialia peccata, ſæpe reiterata, diſponunt ad mortale. ita D. Tho. in 2. 2. q. 186. art. 9. ad tertium, & ibi Caietanus, Syl. v. contemptus nu. 2. Valentia in 1. 2. D. Tho diſp. 7. q. 3. puncto 6. col. pen. Sanchez in Præceptis Decalogi lib. 6. c. 4. nu. 17. D. Barthol. à S Fausto in ſuo theſauro Religioſorum lib. 6. q. 152. Nauar. in manuali c. 23 nu. 42.

b. §. 1. Eſt tamen aduertendum, quod licèt in ſubditis iſta tranſgreſſio frequens Conſtitutionum, non ſit peccatū mortale, cum non ex contemptu formali procedat, ſed ex libidine, ideſt ex nimia cupiditate, vel ex negligentia, vel ex alia cauſa; tamen Prælatis erit peccatum mortale, ſi fuerint negligentes ad extirpandas iſtas malas conſuetudines

nes in monaſterijs. Et ratio eſt, quia Prælatis ex officio incumbit cura boni publici: & ideo tenentur notabile damnum publicum ſub reatu mortali purgare ſi poſſunt; & peccata venialia quando ſunt frequentia in Republica magni momenti eſt illa extirpare. Ita docet Soto de ratione tegendi, & detegendi ſecretum, membro 2. q. 2. concl. 3. verſ. ſecundam vero partem &c. Bannes in 2.2. D. Thom. q. 33. art. 2. dubio 2. Suarez in tract. de Charitate diſp. 8. ſect. 2. ſub n. 6. verſ. addendum eſt vltimo, &c. D. Barthol. à S. Fauſto, vbi ſupra, q. 152. nu. 3.

Dico tertio, quod quando quis deſpicit, vel contemnit Prælatum, non ex eo quod eſt Prælatus, ſed quia eſt imprudens, aut infimæ ſortis, &c. non committit peccatum mortale. Et ratio eſt, quia non eſt cõtemnere ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ita Alphonſus à Caſtro de lege pœnali lib. 1. c. 5. concl. 2. Leonardus Leſſius de Iuſtitia c. 46. nu. pen. & vlt. quos refert, & ſequitur Sanchez in Præceptis Decalogi lib. 1. c. 5. nu. 13.

c. *Eccleſiaſtica lege*. Quando lex Eccleſiaſtica, vel Ciuilis obliget ad culpam mortalem, latè docet Sanchez in Præceptis Decalogi t. 2. lib. 6. cap. 4. à nu. 24. vſque ad 46. vbi tradit diuerſas regulas ad id dignoſcendum à Doctoribus collectas.

d. *Quamuis autem etc.* Hic queri poſſet, qui nã ex noſtris Superioribus habent auctoritatem faciendi præcepta, quæ nos obligent ad culpam mortalem, & auctoritatem excõmunicandi? Reſpondeo primo, illam habere non ſolum Patres Capituli Generalis Capitulariter congregatos, ſed etiam Generales, & omnes Præpoſitos noſtrarum particularium domorum in ſuos ſubditos. Et ratio eſt, quia habẽt iuriſdictionem Eccleſiaſticam, non ſolùm fori pœnitentiæ, ſed etiam fori iudicialis, quod clarè videtur in dicto loco Procemij Conſtitutionum. §. Quamuis autem, & §. Excom-

muni-

municandi, &c. & ſic ſemper fuit, & eſt in vſu in noſtra Religione. Sed differunt in hoc; nam Patres Capituli Generalis Capitulariter congregati poſſunt, non ſolùm præcepta facere, ſed etiam nouas leges condere, & veteres abrogare, quod facere non poſſunt Præpoſiti domorum; nec Præpoſitus Generalis, vt apparet ex eodem Procemio. §. Nemo autem &c. ſed tantùm facere poſſunt præcepta, & ordinationes, quæ durant, durante officio; vigore noſtrarum Conſtitutionum, & vigore Decreti Capituli Generalis anni 1610. quod eſt in Decretis p.3.c.7. nu 9. perſeuerant eo vſque quod non ſint à Superioribus, vel ſucceſſoribus reuocata.

Secundo, Patribus Viſitatoribus in eorum Prouincia, etiam tempore viſitationis, licet ex vi noſtrarum Conſtitutionum nulla detur eis authoritas obligandi ad culpam, nec excommunicandi, ſed tantum ſimplex poteſtas delegata viſitandi, vt in Conſtitutionibus eſt ordinatum p. 3. cap. 8. tamen quia nunc vigore Decreti Capituli Generalis anni 1621. quod eſt p.3. c. 9. nu. 8. ſunt conſtituti Iudices ordinarij ſecundarum cauſarum, & etiam primarum in caſu præuentionis: poſſunt in caſibus occurrentibus ratione dicti officij facere præcepta obligantia ad culpam mortalem, & excommnnicare, quia habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam fori contentioſi in illis caſibus, in quibus occurrerit iudicare.

Tertio, Vicepræpoſitus S. Siluestri, & Vicarij domorũ, in quibus actualiter adeſt Præpoſitus, licet non habeant facultatem faciendi præcepta obligantia ad culpam, nec excommunicandi, quia non habent iuriſdictionem iudiciariam, ſed tantum œconomicam adminiſtrationem: tamẽ mortuo Præpoſito, vel depoſito officio, & quando fuerit abſens à Ciuitate, habent hanc facultatem. Et ratio eſt, quia in iſtis caſibus habent iuriſdictionem fori cõtentioſi,

quia

quia Præpoſitorum vices gerunt vigore noſtrarum Conſtitutionum p.3.cap.9. §. In ſingulis domibus, verſ. Abſente Præpoſito. Et idem dicendum eſt de Patre Vocali, qui in abſentia Præpoſiti, & Vicarij regimen domus habet; vt apparet ex noſtris Conſtitutionibus p.3.c.9. §.qui voce caret, verſ. abſente tamen.

Quarto, Vicarius domus Vici Aequenſis, & domus Tuſculanæ, & alij, qui à P. Generali ſunt electi, & immediatè illi ſubduntur, habent facultatē faciendi præcepta obligantia ad mortalem culpam, & excommunicandi ſuos ſubditos, quia habent iuriſdictionem fori contentioſi, & pœnitentiæ in ſuos ſubditos, ſicut Præpoſiti locales in ſuis domibus, vt patet ex Ludouico Miranda in ſuo Manuali Prælatorum t.2.q.20.ar.1.concl.1. & licèt ſubdantur alijs domibus, tamen illa ſubiectio intelligitur in rebus Capitularibus, & grauibus, ideſt, quæ Capitulariter ſunt definiēda ſecundum noſtras Conſtitutiones, vt apparet ex Decreto p.3.c.7.nu.14. ibi in rebus Capitularibus &c. De Vicario S. Petri de Arena Ianuæ, iudicandum eſt, ſicut de alijs Vicarijs domorum vbi ſunt Præpoſiti: & mortuo Præpoſito S. Syri, & tempore Capituli Generalis, habet in ſuos ſubditos eandem poteſtatem, quam habet Vicarius S. Syri Ianuæ eodem tempore in ſubditos ſuæ domus, & vnus non dependet ab altero; niſi quòd in rebus Capitularibus, & grauibus dependet à Capitulo domus S Syri, Vicarius S. Petri de Arena; nam ipſe in ſua domo non poteſt conuocare Capitulum; ſed tam ipſe Vicarius, quàm alij Vocales, qui ſunt in dicta domo, habent vocem in Capitulo domus S. Syri Ianuæ, in rebus, quæ Capitulariter ſunt definiēdæ.

e. *Præcipimus, etc.* Licèt verbum præcipimus ſinè alia additione (vt in virtute ſanctæ obedientiæ, aut ſimilium verborum) in lege Eccleſiaſtica poſitum, regulariter denotet mentem Superioris eſſe obligare ad peccatum mortale, vt

docet

docet Alphonſus de Caſtro de lege pœnali lib. 1. c. 5. documento 4. Nauar. in manuali c.23. nu. 52. 53. & 54. Valentia in p.2. D.Tho. diſp. 7. q. 5. p 6. quæſtiuncula 3. in ſexto ſigno, Sayrus in lib. 3. Clauis Regiæ c.7. nu.27. & alij, tamẽ quando materia eſt leuis impropriatur ob ſubiectam materiam, vt docet Angelus v. Religioſus n.28. quem refert, & ſequitur Sanchez in præceptis Decalogi t.2. lib.6. cap.4. nu.3. in fine.

f. *Condendi leges*. Aduertendum eſt, quod hæc facultas condendi leges intelligitur, de legibus & Cõſtitutionibus, bonis moribus, & ſacris Canonibus non aduerſis, vt apparet ex priuilegio Clem. VII. & Pauli III. quæ habentur in Compendio noſtrorum Priuilegiorum p.1. tit. Cõſtitutiones §. 1. Non enim poſſumus Conſtitutiones facere contrarias ſacris Canonibus, ſine expreſſa facultate Summi Pontificis, vt docet Nauar. in conſil. 1. de electione, & conſil. 26. nu. 8 de Regularibus lib. 3. quem refert, & ſequitnr Salas de legibus diſp. 8. ſect. 12. nu. 56. Et ſimiliter non poſſumus Conſtitutiones facere tangentes facultatem Admodum R. P. noſtri Generalis, niſi prius per Sedem Apoſtolicam approbatæ, & confirmatæ fuerint, vt apparet ex Breue Clementis VIII. facto anno 1595. die 13. Iunij, ſui Pontificatus anno 4.

g. *Veteres abrogandi*. Hic primò dubitari poſſet, Vtrum noſter P. Generalis, qui non poteſt veteres leges abrogare, poſſit in noſtris Conſtitutionibus, & Decretis Capitularibus diſpenſare? Reſpondeo, quod regulariter non poteſt, vt patet ex c. inferior 21. diſt. Clem. Ne Romani, de electione, l.2. C. de legibus, Syl. v. diſpenſatio q.4. cum ſequen. Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælatorum t.2. q.30. art. 11. concl. 1. Et ratio eſt quia, qui inferioris, & minoris eſt poteſtatis, ius, & auctoritatem contra Superiorem non habet; vnde ſicut Romanus Pontifex nequit in iure naturali,

E vel

vel Diuino cum aliquo diſpenſare, ſic nec inferior in legibus ſui Superioris.

Hinc ſequitur primo. Quòd non poteſt diſpenſare in ijs, quæ ſunt eſſentialia ſtatus Religionis: qualia ſunt tria eſſentialia, & ſubſtantialia Vota Religionis, Obedientiæ ſcilicet, Caſtitatis, & Paupertatis, vt patet ex c. cum ad monaſterium de ſtatu monachorum. & docet Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælatorum t. 2. q. 9. art. 6. concl. 1. & Syl. v. diſpenſatio nu. 20. q. 14. verſ. 7.

Secundò. Nec etiam poteſt diſpenſare in communi, & per totam Religionem in alijs, quæ non ſunt ita eſſentialia, nempe ne horæ Canonicæ perſoluantur in Choro, vt annui redditus in communi poſſideri poſſint &c.

Tertiò, ſimiliter non poteſt diſpenſare in communi, & per totam Religionem in obſeruantijs regularibus, nempe in ſilentio, in literis ſcribendis abſque licentia Superioris, & alijs: & ratio eſt, quia diſpenſatio ſic in communi facta, eſſet diſſipatio, & abrogatio, & P. Generalis non habet facultatem abrogandi leges à Capitulo Generali factas, vt patet ex Procemio conſtit. verſ. nemo autem. Et omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur: c. 1. extra de reg. iur. vnde cum à Capitulo Generali ſint factæ ab eodem diſſolui, & abrogari debent.

Dixi regulariter, quia in aliquibus caſibus poſſunt inferiores Prælati in legibus Superiorum diſpenſare.

Et primo in caſibus ab eiſdem legibus permiſſis expreſsè, vel tacitè, vt docent Doctores in cap. at ſi Clerici §. de adulterijs de iudicijs, Abbas, & Doctores in c. fin. de off. legati, & Ludouicus Miranda, vbi ſupra.

Secundò, vbi adeſt conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, c. cùm dilectus extra de conſuetudine, l. ſi de interpretatione ff. de legibus; nam, & dare poteſt iuriſdictionem, c. cum contingat de foro competenti; c. duo mala de

officio

officio Ordinarij: Et per contrariam cõſuetudinem poteſt tolli, & abrogari etiam tota lex, c. cum tanto de conſuetudine l. de quibus ff. de legibus.

Tertiò, in caſu vrgentis neceſſitatis, in quo expectari non poſſet Capitulũ Generale, nec aditus haberi ad S. Pontificem. ita Speculator in tit. de diſpenſationibus S. nunc Epiſcoporum nu. 30. in fin. Felinus in cap. 1. fallentia 7. de conſtit. & alij quos refert, & ſequitur Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 40. nu. 3. qui licet loquatur de Epiſcopis reſpectu legum Summorum Pontificum, & Conciliorum Generalium, tamen eadem ratio procedit de Præpoſito noſtro Generali, qui eſt Prælatus exemptus, & habet iuriſdictionem Epiſcopalem in ſuos ſubditos.

Quartò. Poteſt diſpenſare in pœna à lege conſtituta, & iam contracta per tranſgreſſionem legis: dummodo talis pœna non ſit actualiter reſeruata. Et ratio eſt, quia cum ſit ordinarius in ſuos ſubditos, poteſt omnia, quæ nõ ſunt ei prohibita. Doctores communiter teſte Ludouico Mirãda in ſuo man Præl. t. 2 q. 30. art. 11. concl. 1. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib. 6. q. 128. nu. 2.

Quintò. Poteſt diſpenſare in caſibus leuibus particularibus, cum aliqua perſona particulari, ex iuſta, & rationabili cauſa, vt in obſeruantijs regularibus, & in alijs etiam aliquo modo eſſentialibus, dummodo non pertineant ad tria eſſentialia Vota ſupradicta. Vel ſpecialiter non ſit ei prohibitum; & ratio eſt, quia habet Epiſcopalem iuriſdictionem in ſuos ſubditos. Et legiſlatores non poſſunt prouidere omnibus caſibus particularibus, ſed prouident vniuerſalibus, & de particularibus relinquunt iudicium arbitrio Prælatorum, vt cum iuſta cauſa poſſint diſpenſare, vt late probat Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælatorũ t. 2. q. 9. art. 6. concl. 3. & q. 30. art. 11. cõcl. 2. & ante ipſum docuit Syl v. diſpenſatio nu. 20. q. 14. caſu 7. Angelus eodẽ

verbo diſpenſatio §.8. Bonacina de Horis Canonicis diſt. 1. puncto 2.nu.9. Sot. de iuſt.& iur. lib.1.q.7.art.7.& D.Barthol. à S.Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib.6.q.128. nu. 4. & q. 129. Debent tamen Superiores eſſe parci in dictis diſpenſationibus, ne relaxetur obſeruantia regularis.

g. §. 1. Sextò. Vti poteſt Epikeia, & æquitate, quæ eſt interdum à verbis legis diſcedere, ſeruata tamen eiuſdem intentione: & reſpectu habito ad illud, quod determinaret, vel definiret legiſlator conſultus in tali caſu;

Quæ Epikeia, licet in rigore loquendo non ſit diſpenſatio, imò multum ab ea differat, quia diſpenſatio eximit à lege, & ideo in ea requiritur iuſta, & rationabilis cauſa, ſed Epikeia explicat, & declarat, quòd in illo caſu non tenetur ſubditus ſeruare legem, quæ ad regimen Reipublicæ, & ad pacandas conſcientias Religioſorum, multum confert aliquando illa vti, vt latè probat Ludouicus Mirãda in ſuo manuali Prælatorum t.2.q.31.art.12.per totum.

g. §. 2. Secundo dubitari poſſet, Vtrum Præpoſiti particulares domorum, poſſint ſimiliter, & ipſi diſpenſare cũ ſuis ſubditis in Cõſtitutionibus,& Decretis Capitularibus? Reſpondeo, quod regulariter non poſſunt, quia inferior non poteſt diſpenſare in lege Superioris, vt probatum eſt in præcedenti dubitatione in principio, per tex. in c. inferior 21. diſt. &c. ſed recurrere debent ad Præpoſitum Generalem. Si verò caſus vrgens, & grauis occurreret, nec eſſet locus recurrendi ad Superiorem, poſſet in hoc caſu Præpoſitus cum conſenſu Capituli Domus cum quo res graues debent Præpoſiti communicare, vt apparet ex noſtris Conſtitutionibus par.3. cap.9. §. Præpoſitus quandoque, verſiculo denique in rebus, Et deinde quamprimum certiorem facere Patrem Generalem, quia ſic eſt vſus noſtræ Congregationis; & ratio eſt, quia ſicut Epiſcopi non poſſunt regulariter in Canonibus diſpenſare, tamen ſi

occurrat

occurrat vrgens caſus, & non poſſit abſque ſcandalo differri, poſſet Epiſcopus in hoc caſu tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus diſpenſare,& abſoluere, vt latè probat Sanchez de matrim.t.1.lib.2.diſp.40.nu.3. ita etiam Præpoſiti particulares noſtrarum domorum, quia habent iuriſdictionem Epiſcopalem in ſuos ſubditos; cum limitatione tamen ſupradicta, conſenſus Capituli domus.

Dixi, regulariter non poſſunt, quia in caſibus enumeratis in præcedenti dubio, in quibus Præpoſitus Generalis poteſt diſpenſare, poſſunt etiam Præpoſiti domorum cum ſuis ſubditis diſpenſare, eadem ratione ſupradicta. Benè verum eſt) quòd ſi Præpoſitus Generalis non debet eſſe facilis in iſtis diſpenſationibus: multo magis Præpoſiti inferiores debent eſſe circunſpecti.

g. §. 3. Tertiò, dubitari poſſet, an Prælatus, qui abſque iuſta cauſa cum ſubdito diſpenſat in obſeruantia regulari peccet? Reſpondeo, quod peccat, & ratio eſt, quia facit contra rectam rationem, ſed cum iſtæ diſpenſationes ſint de materia leui, & ſine præiudicio tertij, peccat venialiter tantùm, vt docet D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib.6. q.131. ſed ſi eſſent de materia graui, proculdubio peccarent mortaliter, ita D. Tho in 1.2.q.79. art.4. Rodriquez in quæſtionibus regularibus t.1.q.22.art. 4. à S. Fauſto in loco prææallegato. Et ſimiliter, meo iudicio peccaret mortaliter, ſi nimis frequens diſpenſaret ſine cauſa, etiam in materia leui, quia introduceret relaxationem regularis obſeruantiæ; ſubditus verò petens talem diſpenſationem ſcienter ſine iuſta cauſa, peccaret venialiter ſi materia eſſet leuis, mortaliter verò ſi eſſet grauis, quia faceret contra rectam rationem, & amplius cooperaretur peccato diſpenſantis, inducendo illum ad peccatum.

g. §. 4. Quartò dubitari poſſet, An Prælatus peccet ſi abſque iuſta cauſa cum aliquo diſpenſet in ſuis præceptis gene-

generaliter factis? Reſpondeo, quod Syl. in v. diſpenſatio q.3.nu.5. Angelus eodem verbo nu.3. Roſella nu.6. & Armilla nu.14. tenent, quod non, & ratio eſt, quia tota vis præcepti dependet ex voluntate Prælati. Alij verò tenent peccare, & ratio eſt, quia violat ius naturale, dictans partem debere conformari cum ſuo toto; vnde excipiens temerè, & imprudentèr agit, ita D.Tho. in 1.2.q.97 art.4. & Caiet. ibidem q.96. art.4. Sot. de iuſt. & iure lib.1.q.7. art.3. Et ſi materia legis humanæ, in qua diſpenſatur ſine cauſa eſt grauis, erit peccatum mortale, ſi leuis, erit veniale, ita Caiet. in 1.2.D.Tho.q.96.art.5. quem refert, & ſequitur Gregorius de Valentia in 1.2. D.Tho.diſp.7.q.5.p.9. verſ ac propter eandem rationem. Et ita ſimiliter peccat vtens tali diſpenſatione ſine cauſa, in præceptis generaliter factis.

g. §. 5. Quintò dubitari poſſet, Vtrum P. Generalis & alij Præpoſiti inferiores poſſint diſpenſare cum ſeipſis in Conſtitutionibus, & Decretis Capitularibus in illis caſibus, in quibus poſſunt cum ſibi ſubditis diſpenſare?

Et ratio dubitandi eſt, quia nullus in ſua propria cauſa poteſt eſſe Iudex; Vnde cum diſpenſare ſit actus iuriſdictionis, nemo poteſt in ſeipſum illam exercere.

Pro deciſione difficultatis dico, quod poſſunt; Et ratio eſt, quia nō ſunt actus iuriſdictionis, vel iudiciariæ poteſtatis, ſed tantummodo ſuperioritatis; ita docet Corduba in Comp. priuil. minorũ, verbo Accedere ad monaſteria Monialium, quem refert, & ſequitur Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælatorum t.2.q.31.art.5.concl.1. Ad rationem vero dubitandi patet reſponſio ex ſupradictis, nam diſpenſatio in ſupradictis caſibus non eſt propriè actus iuriſdictionis, aut iudiciariæ poteſtatis, ſed ſuperioritatis, vel dici poteſt, quod ſit actus iuriſdictionis voluntariæ, quam poteſt exercere in ſeipſum mediante Confeſſario, ideſt facul-

facultatẽ tribuẽdo Confeſſario,vt illam exerceat in ipſum.

g.§.6. Sextò dubitari poſſet,An poſſit Superior libertates, & immunitates in Conſtitutionibus conceſſas ſubditis coarctare cõtra Conſtitutionũ,vel altioris Superioris præſcriptum, teneaturq; ſubditus obedire? Reſpondeo, quod ſi concedantur in Conſtitutionibus ſubditis, & non interdicatur Prælatis poteſtas coarctandi in parte, vel in toto; in caſu occurrenti, & ex cauſa iuſta poterit coarctare, & tenebitur ſubditus obedire, quia quamuis Prælati non poſſint eas in vniuerſum immutare, ſubditiſq; interdicere, at poſſunt in particulari caſu, cauſa iuſta ducti coarctare. Si autem eæ ita concedantur, vt denegetur omnino Prælatis facultas coarctandi, non erit eis integrum coarctare. Ita etiam dicendum eſt, quando Prælatus inferior limitaret licentiam, & immunitatem à Prælato ſuperiori conceſſam alicui, quia eadem ratio militat.

In dubio autem an poſſit Prælatus coarctare, & an cauſa iuſta ſubſit, perpendendum eſt ex Conſtitutionum litera, & ex circunſtantijs. ita Corduba in Regula S. Franciſci c.10. q.2. diſt.6 quem refert, & ſequitur Sanchez in præceptis decalogi t.2.l.6 c.3.nu.9.

g.§.7. Septimò dubitari poſſet, An noſtræ Conſtitutiones ex toto,vel ex parte conſuetudine abrogari, aut tolli poſſint? Reſpondeo, quod quatenus tria vota, ſcilicet Obedientiam,Caſtitatem,& Paupertatem continent, quæ ad ſubſtantiam Religionis ſpectant, conſuetudine abrogari, aut tolli non poſſunt, nam contra eſſentialia Religionis Vota, Conſuetudo (quæ potius corruptela dicẽda eſt) nulla vim habet; quatenus verò continent, quæ tribus votis ſunt adiuncta, conſuetudine tolli poſſunt; cùm Religionis ſubſtantiam non conſtituant. ita Azor.lib.13.inſtit.moral. c.11.q.15. quem refert, & ſequitur D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib.6. q.117.

PRI-

PRIMA PARS.

DE IIS QVÆ AD DIVINVM CVLTVM PERTINENT.

Summa Capitis Primi Conſtitutionum.

Officium Diuinum iuxta ritum Breuiarij Romani noſtri ſacerdotes, & clerici in Choro ſtatis horis recitent. nu. 1.

Sanctorum alicuius Ciuitatis officium, quando debeant noſtri celebrare. nu. 2.

Miſſa ſolemnis diebus feſtis celebretur. nu. 3.

Horæ Canonicæ quomodo erunt à noſtris celebrandæ. ibidem.

Officium paruum B. Virginis, & Defunctorũ iuxta Rubricas recitetur in Choro; & priuatim, quando non recitatur in Choro. n. 4.

Pſalmi Pœnitentiales, & Graduales iuxta Rubricas recitentur in Choro. num. 5.

Sedere poſſunt noſtri in Choro quando recitantur Pſalmi Graduales, Lectiones ad Matutinas preces, Martyrologium ad Primam, & Officium Defunctorum. ibidem.

Muſica noſtri non vtantur, nec in Miſsis celebrandis, nec in Horis Canonicis recitandis. nu. 6. Secularibus concedi poterit bis in anno, & in Oratione publica. ibidem.

Horis Canonicis omnes interſint. nu. 7.

Negocia domeſtica differantur, ad hoc vt in Choro intereſſe poſsint noſtri. ibidem.

Exemptiones à Choro aſſumere nemo audeat, niſi is cui à Conſtitutione conceſſæ fuerint. nu. 8.

Exemptionem à Choro aſſumere ne audeant Lectores, Prædicatores, & Scholaſtici, qui actu non legunt, prædicant, & lectionibus non interſunt. nu. 9

Clerici,

Clerici, qui ſtudiorum cauſa exempti ſunt à Choro, matutinis horis ad eccleſiam prius veniant, Orationes ante altare maius fundant, & benedictionem a Superiore in Choro petant. nu. 10.

Laici ad matutinas preces vna cum alijs ſurgant, & benedictionem à Superiore in Choro ſimul petant poſt Inuitatorium. nu. 11.

Qui in Chorum ad Horas Canonicas poſtquam incepta fuerint venerit, quid agere debeat, habetur nu. 12.

Culpam dicant in Choro noſtri clerici & ſacerdotes de erratis commiſsis in Diuinum cultum. nu. 13.

De Horis Canonicis.[a] Cap. I. a

1 DIVINI[b] preces Officij, nocturnas quidē horis matutinis, diurnas verò interdiu, ſtatis horis, tum Sacerdotes, tum Clerici omnes, ex præſcripto, rituq; Romani Breuiarij, in Choro deuotè[c] alacriterq; per- b c
2 ſoluant. Integrum tamen nobis erit, pro conſuetudine locorum, Patroni tantùm, vel præcipui alicuius Sancti[d] illius Ciuitatis diem feſtum, Officiumq; celebrare. d
3 Miſſa ſolēnis[e] diebus feſtis celebretur: quibus mane, Prima: proximè ante Miſſam, Tertia: ea peracta, ſtatim Sexta recitetur. Cæteris diebus Prima, Tertia, Sexta ſimul dicantur. Nona, ſi quidem ieiunandum ſit antè cænam: ſin minus, ſtatim à prandio. Veſpertinæ pre- e

ces, ſiue feſtus dies, ſiue profeſtus ſit, hora cōgruente, vnà cum Completorio. In ieiunijs Quadrageſimæ, Veſpere ante cænam, Completorium, vigeſimaſecunda hora: niſi ob ſacras conciones aliter quandoque fieri neceſsitas, aut populi commoditas poſtulauerit.

4 Officium [f] paruum B. Virginis, Officium f
Mortuorum, [g] Septem Pſalmi Pœnitentiales, g
& Quindecim Graduales, quibus diebus in Breuiarij rubricis præſcribitur, ijs in Choro recitentur. Liberum tamen Præpoſitis erit ex rationabili cauſſa permittere quandoque, vt Matutinū B. Virginis in Choro omittatur. Quo autem tempore, ſiue ex Breuiarij rubricis, ſiue ex Superioris facultate omittitur Officium B. Virginis in Choro, faciet quiſque, vt apud ſe priuatim dicat: id enim poſtulat, quæ præcipua noſtra debet eſſe in tantam Virginē pietas.

5 Pſalmos Pœnitentiales, genibus flexis, Graduales, & pro defunctis, ſedentes; reliquos, ſtantes in Choro recitent. Dum quis in Choro medio ſtans, de more, ad Matutinas preces, Lectiones, vel ad Primam Martyrologium legit, cæteri ſedentes audiant, & Reſponſoria ad ſingulas Lectiones reſpondeant. In Miſsis ſolemnibus Sacerdos, & miniſtri ne ſedeant.

Nulla

6 Nulla nos muſica, vel cantus modulatione nec in Miſsis quantumuis ſolemnibus celebrandis, nec in quibuſuis Horis Canonicis recitandis, in eccleſijs noſtris vtimur. *Sæcularibus* tamen ſeorſum, cum indicitur oratio publica, id bis in anno concedi poterit. *Conemur autẽ* (vt inquit S. Bernardus) *purè ſemper, ac ſtrenuè diuinis intereſſe Laudibus, non pigri, non ſomnolenti, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis, nec remiſſis vocibus, muliebre quiddam balba de nare ſonantes, ſed virili, vt dignum eſt, ſonitu, & affectu, voces Spiritus ſancti depromentes.* Hæc ille. Simul incipiamus, [h] ſimul deſiſtamus: cõmodam in verſibus medijs pauſam faciamus; in penultima, vel antepenultima pro ſyllabarum quantitate immoremur: in vltima moram ſemper cauebimus. h

7 Præpoſiti, quammaximè poterunt, domeſtica negotia in aliud tempus differãt, quò ſingulis Horis Canonicis cum alijs in Choro recitandis interſint. Idem ſeruent Vocales, Sacer-

8 dotes, & Clerici. Nevè ſibi quis remiſsionem quampiam à Diuinis Officijs aſſumere audeat, niſi cui, vt ſtudijs, aut Lectioni, aut prædica-

tioni operam det, ſit aliqua conceſſa poteſtas.
9 Qui tamen ſi actu ipſo non ampliùs legat, aut
prædicet, aut lectionibus non interſit, vnà cum
10 cæteris conuenire in Chorum teneatur: Cleri-
ci, quibus à matutinis horis ſtudiorum cauſſa
datur aliqua immunitas, ad eccleſiam prius
veniant: ante altare ſanctiſsimi Sacramenti
orationes fundant, benedictionem in Choro à
Superiore petant: tum in ſuis quiſque cellulis
ſedulò ſtudijs vacent.

11 Laici ad matutinas preces vnà cum alijs ſurgant, benedictionem in Choro poſt Inuitatorium ſimul petant, preces in eccleſia fundant, tum ad ſua ſe opera recipiant. De precibus quas laici debent perſoluere, dicetur infra.

12 *Si* quis ad Horas Canonicas poſtquam fuerint inceptæ venerit, ad ſuum locum ne accedat, niſi prius genuflexo à ſuo Superiore benedictionem acceperit. Quòd ſi iam Inuitatorium, & Hymnus in Matutinis precibus, primus Pſalmus in Veſperis, Hymnus, & Antiphona in ſingulis Horis ſint recitata, genuflexus in Choro medio permaneat, donec Superior ſurgendi fecerit ſignum, & benedictione accepta ad ſuum locum ſe conferat. Poſt Officium negligentiæ ſuæ culpam in medio fateatur.

teatur. Qui iuſta de cauſſa detentus, ad Officium tandem venerit; Superiorem in Choro adeat, cauſſam aperiat, benedictionem petat.
13 Quæ item vel in Diuinis Laudibus recitandis, vel in celebrandis Miſsis, vel in præſtandis eccleſiaſticis functionibus, vel omninò in his, quæ ad Diuinum cultum pertinent, errata cōmiſſa fuerint ſtatim, ac Diuinum Officium in Choro fuerit abſolutum, ſpontè proferantur. Pœnas[i] Præpoſitus, aut qui Præpoſiti eo loco vices gerit, vnicuique debitas imponat.[k] i k

Commentaria in primam partem Conſtitutionum.

Summa Commentariorum ſuper Caput I.

Vtrum noſtri teneantur recitare Horas Canonicas in Choro. lit.b.

Prælati mortaliter peccant, ſi ex ipſorum negligentia vna die omittatur in Choro cantus omnium horarū canonicarum; imò etiam vnius ſolius horæ. lit.b.§.1.

Prælati negligentes in corrigendo ſubditos, qui omittunt recitare horas canonicas in choro, ſunt rei eiuſdem culpæ, cuius & tranſgreſſores. lit.b.§.2.

Religioſus profeſſus noſtræ Congregationis qui ſine iuſta cauſa omittit recitare horas canonicas in choro, quamuis priuatim illas recitet, peccat quandoque mortaliter, & quandoque venialiter. lit.b.§.3.

Noſtri profeſſi non recitantes horas canonicas in choro, tenentur priuatim illas recitare. lit b.§.4.

Nouitij non profeſſi non tenentur recitare horas canonicas, nec in choro, nec priuatim. lit b.§.5.

Quibus applicandæ ſint horæ canonicæ, quæ à noſtris recitantur, ſiue in choro, ſiue priuatim. lit.b.§.6.

Si quis tenetur ex præcepto horas canonicas recitare, & ſtatuat expreſsè, per illud opus impletum ſe nolle præcepto ſatisfacere, an verè nihilominus ſatisfecerit? lit.b.§.7.

Religioſus deſtinatus ad chorum ſi iuſta aliqua de cauſa Superioris auctoritate ad conuerſorum ordinem transferatur, an ſit liber à Diuino officio perſoluendo? lit.b.§.8.

In recitatione officij requiritur attentio. lit.c.

Sanctorum alicuius Ciuitatis officium quando debeant noſtri celebrare. lit. d.

Miſſam ſolemnem an teneantur noſtri celebrare in noſtris eccleſiis? lit. e.

Officium paruum B. Virginis an ex conſuetudine teneamur recitare in choro, vel extra? lit. f.

Officium mortuorum licet ſoleant noſtri recitare, non tamen ad id tenentur. lit. g.

Pſalmos Pœnitentiales licet noſtri recitare ſoleant, non tamen ad id tenentur. ibidem.

Pſalmos Graduales recitare ſolent noſtri, licet non teneantur. ibid.

Litanias in feſto S. Marci, & in diebus Rogationum, tenentur noſtri, qui in choro non interſunt, priuatim recitare. lit.g.§.1.

Vniformes non ſolum in choro, ſed etiam in cæremonijs & obſeruantijs eſſe debemus. lit. h.

Dubia quæ occurrunt inter recitationem officij, Præpoſitus poteſt determinare. lit. i.

Com-

Commentaria in Caput I.

a DE Horis Canonicis. De hac materia vide in noſtro Compendio Priuilegiorũ p.1.titulo Officium Diuinum per totum.

b Diuini preces Officij in Choro, &c. Hic dubitari poſſet Primo; Vtrum noſtri Sacerdotes, & Clerici teneantur recitare horas Canonicas in Choro?

Reſpondeo, quod in eccleſijs, in quibus ſunt Præpoſiti, recitare tenentur in Choro; & ratio eſt, quia apud nos ſunt eccleſiæ collegiatæ, & conuentuales; & mos noſtræ Religionis talis fuit à fundatione.

Dixi,in quibus ſunt Præpoſiti,quia in iſtis eccleſijs adeſt numerus ſufficiens ad canendum horas canonicas in choro; Vbi verò non ſunt Præpoſiti,ſed Vicarij canere non tenentur in Choro, licet ſoleant noſtri ex deuotione recitare in Choro, abſque cantu ſolito, ſed ſubmiſſa voce.

b.§.1. Imò adeo ſunt obligati, quod ſi Superiores eſſent in hoc negligentes, & ex eorum negligentia, vna die non canerentur horæ canonicæ in Choro, peccarent mortaliter, niſi ex aliqua iuſta cauſa excuſarentur; neque id ſolùm intelligendum eſt de omnibus horis ſimul ſumptis, verumetiam de vnica hora, ſi vna die omittatur, cùm ſit pars notabilis. Clem. 1. de celebr.miſſarũ. Filiucius tract. 23.moral.quæſt c.6.nu.205.& 206.Bannes in 2.2.D.Tho. q.33.art.3.§.dubitatur tertio, verſ. reſpondetur, &c. Aragon de iuſt. & iure q.83.art.12 concl.1.

Nec Prælatus poſſet diſpenſare, niſi ex grauiſsima neceſſitate: ita Suarez de Religione t.2.tract.4.de Oratione vocali lib.4.c.13.nu.2.

b.§.2. Et ſimiliter ſi Prælatus eſſet negligens in corrigendo

gendo ſubditos, qui ex negligentia omitterent recitare horas canonicas in Choro, eſſet reus eiuſdem culpæ quam committerent tranſgreſſores; imò maioris, quam ſubditi, ratione officij.

b. §. 3. Religioſus etiam, qui ſine iuſta cauſa omittit recitare horas canonicas in Choro, quamuis priuatim illas recitet, peccat quandoque mortaliter, & quandoque venialiter, iuxta grauitatem culpæ: mortaliter peccat, ſi habet conſuetudinem non recitandi in Choro: aut ſua abſentia, eccleſia, notabile detrimentum patitur in celebratione Officij. ita Syl. v. Hora, nu. 12. Angelus eodem verbo nu. 25. & 26. De ſecundo caſu concordant alij Doctores, de primo vero, nempe de conſuetudine, diſcordant; nam alij tenent peccare venialiter tantum; ſed ante factũ opinio Angeli & Syluestri eſt amplectenda, cum liberet negligentes à periculo.

Et hæc obligatio ad culpam tam in Prælatis, quàm in ſubditis, non oritur ex vi præſentis Conſtitutionis, ſed ex conſuetudine vniuerſali Eccleſiæ, & ex lege Canonica, Clem. 1. de celebrat. miſſarum. §. ne igitur. ita Angelus in ſumma v. Hora canonica §. 25. verſ. quoad Eccleſias. Syl. eodem verbo §. 10. verſ quod intellige. Graffius in deciſionibus aureis t. 1. lib. 2. cap. 52. nu. 8. Nauar. in ſuo tract. de Oratione, & Horis Canonicis c. 5. nu. 14. Emanuel Roder. in ſuis quæſt. regular. t. 1. q. 42. art. 20. Aragon. de iuſt. & iur. q. 83 art. 12. aduertentia 3. concl. 1. Sot. de iuſt. & iur. lib. 10. q 5. ar. 3. ad verſ. his verò non obſtantibus. Corduba in ſuis annotat omnibus ad Compendium priuil. Minorũ tit. Moniales à verſic, quæritur vtrum Moniales &c.

b. §. 4. Quando verò ex aliqua iuſta cauſa, vel neglig̃etia non recitarent horas canonicas in choro, tenentur priuatim recitare, non ſolùm illi, qui ad ordines ſacros ſunt promoti, ſed etiam illi, qui non ſunt promoti, dummodò profeſ-

profeſſionem emiſerint; & hæc obligatio non oritur ex vi præſentis Conſtit.; ſed ex conſuetudine vniuerſali Eccleſiæ, quæ obligat ad culpam mortal. m, vt communiter docent ſupradicti Doctores.

b.§.5. Nouitij Clerici, dum ad Ordines Sacros non ſunt promoti, non tenentur recitare horas canonicas, nec in choro, nec priuatim, quia non ſunt propriè religioſi; (licèt gratia Dei in noſtra Religione, etiam Nouitij ſoleant illas recitari in choro, vel priuatim cum in choro non interſunt, ſicut Sacerdotes ipſi) Doctores communiter teſte D. Barthol. à Sancto Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib. 6. q. 169. nu. 2.

b.§.6. Secundò dubitari poſſet, quibus applicandæ ſunt horæ canonicæ, quæ in choro, vel extra chorum à noſtris recitantur? Reſpondeo triplicem eſſe valorem cuiuſlibet operis bcni, & meritorij, nempè ſpecialiſſimum, ſpecialem ſiue medium, & generaliſſimum: ſpecialiſſimus competit operanti; ſpecialis, ſiue medius competit ei pro quoquis orat; generaliſſimus verò competit omnibus Chriſtifidelibus, propter Sanctorum communionem, vt docet Scotus in quodlibeto 20. & in 4 ſent. diſt. 45. Adrianus quodlibeto 8. art. 3. Gabriel in Canone Miſſæ lect. 26. Ioannes Medina in Codice de Pœnitentia tract. 6. quæſtione de multiplici valore orationis, Nauar. in tract. de oratione c. 20. nu. 51. erotem 14. Couarr. in c. Alma mater de ſent. excom. in 6. §. 5. nu. 5. primæ partis relectionis. Tenemur igitur applicare valorem ſpecialem, ſiue medium pro noſtris benefactoribus, tam viuis, quàm defunctis, & quamuis obligationi, qua tenemur noſtris benefactoribus ſatisfacere poſſimus alijs orationibus, & operibus meritorijs: tamen Eccleſia vniuerſalis ſtatuit, & ordinauit horas canonicas, quibus ſatisfiat benefactoribus, & obligationi, quã habemus, vt Religioſi ſumus, laudandi Deum particulariter.

Et applicandi dictum valorem medium (ſecundùm Nauarr. in loco præallegato) benefaceret Religioſus, ſi offerret illum Deo, ſupplicando Maieſtatem ſuam, quæ benè ſcit quibus applicari debet, & obligationem, quam habemus erga omnes, tam viuos, quàm defunctos, vt dignetur applicare illum, quibus pro debito ſatisfactionis melius iudicat applicandum.

Valor generaliſſimus applicari non poteſt, niſi pro vniuerſali Eccleſia, ſecundum intentionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Valor verò ſpecialiſſimus prodeſt operanti,& poteſt applicari alteri quoad ſatisfactionem pœnæ, ſi ille pro quo applicamus ſit in gratia.

b.§.7. Tertiò dubitari poſſet, ſi aliquis ex præcepto teneretur horas canonicas recitare, vel aliquod aliud opus adimplere, ſi expreſſe ſtatuiſſet ſe nolle præcepto per illud opus impletum ſatisfacere,An verè ei ſatisfaciat? Reſpondeo, quod duæ ſunt Doctorum opiniones, vna eſt Nauarr. in c. quando de conſec.diſt.1.c.13.nu.15. Medinæ in Codice de oratione quæſt. de horis canonicis iterandis dub.vlt. Aragon.in 2.2. D.Tho.q.83. art.13. & Azorij lib.7. inſtit. moral.c.2.q 6 & lib 10.c.8.q.7.qui negant,hunc adimplere præceptum, ac proinde teneri iterum illud præceptum adimplere; & ratio eſt, quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionem.

Altera opinio eſt Gregorij de Valentia in 2.2. D.Thom. diſp.6.q.2. puncto vlt. Leſſij lib.2. c.37. dubio 10. & c. 46. dub.6 Suarez in 3.par. D.Tho.to.3.q.83.art.6. diſp 88. & Vaſquez in 1.2.D.Tho.q.100.art.9. quos refert, & ſequitur D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib.6.q 48. qui docent hunc verè ſatisfacere præcepto; & ratio eſt, quia Superior, intentionem ſatisfaciendi nō præcipit, ſed actus ſubſtantiam; Cùm ergo hic verè, & ſpontè ſubſtan-

ſubſtantiam præcepti exequatur, quantumuis nolit ſatiſfacere, verè præcepto ſatisfacit, Suarez verò, & Leſſius in locis præcitatis limitant hanc ſententiam, vt intelligatur, dummodo hic intra tempus obligationis præcepti reuocet animum non implendi præceptum; & ita cupiat opere illo præterito ſatisfeciſſe obligationi; quæ opinio cum iſta limitatione videtur probabilior.

b.§.8. Quartò dubitari poſſet, Vtrum ſi Religioſus deſtinatus ad chorum, iuſta aliqua de cauſa Superioris auctoritate ad conuerſorum ordinem transferatur, eo ipſo à Diuino Officio perſoluendo ſit liber? Reſpondeo eſſe liberũ, ita docet Sot. de iuſt. & iur. lib.10.q.5.art.3.& D.Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorũ lib.6.q.17. & 178. nu.2.& 3. Et ratio eſt, quia hæc recitandi obligatio oritur ex conſuetudine generali, ex eo, quod eſt deputatus ad chorum: ergo cum iuſta cauſa, & Superioris auctoritate à choro eſt liberatus, eo ipſo ab obligatione recitandi Officium cenſetur abſolutus.

c Deuote. Vt Officium deuote recitetur, requiritur attentio, ſiue illa ſit ad verba, ſiue ad ſenſum verborum, ſiue ad Deum, vel ad Chriſti Paſſionem, vel ad aliam rem piam, ita docet Suarez de Relig. t.2.tract. lib.3.c.4. & lib. 4.c.26. Azor.t.1.inſt. moralium lib.10.c.12.q.6. Molfeſius c.2.num.8. & Doct. communiter, quos refert, & ſequitur Bonacina in ſuo tract. de horis canonicis diſp.1.q.3.puncto 2.propoſit.2.num.4.contra Syl. & alios, qui aſſerunt interiorem attentionem ad horas canonicas recitandas non requiri.

d Sancti illius Ciuitatis. Officium præcipuorum Sanctorum, qui communiter in Vrbe aliqua celebrantur, etiam à noſtris patribus ibi degentibus fieri debet. ita ha-

betur in Decretis noſtris Capitularibus p. 1. cap. 1. num. 1.

e Miſſa ſolemnis, &c. Miſſa ſolemnis eadem eſt, ac Miſſa conuentualis; ſed dicitur ſolemnis, quia ſolemniter celebratur, nempe cum cantu, & miniſtris; & dicitur conuentualis, quia omnes de Eccleſia conueniunt ad illam celebrandam. Et quamuis de iure communi, & iuxta rubricas Miſſalis Romani, & vſum cõmunem Eccleſiæ, quotidie cani debeat in eccleſijs collegiatis, & cõuentualibus, vt habetur in c. cum creatura, de celebrat. Miſſarum, & c. dolentes, eodem tit. & Clem. 1. de celebratione Miſſarum, & docet Syl. v. Miſſa. 1. q. 4. Angelus eodem verbo §. 33. & Corduba in ſuis annot. ad Compendiũ Minorum tit. Monialis §. ſecundum punctum eſt &c. Tamen cum ſit vſus noſtræ Congregationis, ſolemniter celebrare ſolùm in diebus feſtiuis, qui de præcepto ſeruantur tantummodò (qui vſus eſt approbatus à Clem. VIII dum approbat noſtras Conſtitutiones) non tenemur Miſſam ſolemniter celebrare, niſi in dictis diebus feſtiuis de præcepto, iuxta hanc noſtram Conſtitutionem: Non ex præcepto, ſed ex laudabili vſu.

Et ſi in illis eccleſijs noſtris, in quibus ſolet, & poteſt ſolemniter cani id omitteretur ex aliqua iuſta cauſa non peccaret Superior, neque alij; ſi verò ex negligentia, Superior, vel qui cauſa principalis eſſet huius omiſſionis mortaliter peccaret, non ſolùm ratione ſcandali, ſi ſcandalum oriretur apud ſeculares, ſed etiam ſecluſo ſcandalo, quia cum iſta conſuetudo ſit conformis Canonibus, & conſuetudini generali Eccleſiæ, eius tranſgreſſio ex negligentia eſt peccatum mortale, cùm ſit materia grauis, & à P. Generali ſeuere puniri poſſet.

In eccleſijs verò noſtris, vbi adeſt paruus numerus Religioſorum, nec ſolemniter, ſicut decet cani poteſt cum illa ſolem-

ſolemnitate, qua decet (quamuis ſit Præpoſitura) cani non ſolet.

Nec Prælati, nec Patres,& fratres illius eccleſiæ peccāt, quia in hoc non proceditur eo rigore, quo in recitatione horarum canonicarum in choro, vt bene notat Corduba in ſuis annotationibus ad Compendium Minorum,tit Moniales §. ſecundum punctum.

Benè verum eſt, quod in diebus ferialibus, & in diebus feſtiuis, in quibus non cantatur miſſa in noſtris eccleſijs, ſolemus celebrare miſſam poſt ſextam, officio conformē, & in vigilijs, vel alijs diebus ieiunij, in quibus duæ miſſæ cani ſolent in eccleſijs collegiatis, & conuentualibus, nos ſolemus celebrare duas miſſas diſtinctas, abſque cantu vnā de Sancto, & alteram de Vigilia, & hæ apud nos ſunt loco conuentualium, ſed ſi non celebrarentur eſſet peccatum veniale graue.

Et iſtæ miſſæ conuentuales,vel quæ loco conuentualium dicuntur,ſemper pro benefactoribus in communi applicari deberent tam viuis,quàm defunctis: & ita laudabiliter obſeruant Fratres minores S. Franciſci, vt refert Corduba in loco præallegato §. tertium punctum.

De Sacrificio Miſſæ, vide in noſtro Compendio priuilegiorum p.1. & 2.tit.miſſa.

De Miſſis celebrandis,vide Decretum, quod eſt p.1.c.3. nu.5. & aliud Capituli Generalis anni 1624. die 30. Aprilis, quod incipit, *Qui Decretum*.

f Officium paruum B. Virginis. Quæritur: Vtrum ex conſuetudine teneamur Officium paruum B Virginis in Choro recitare? Reſpondeo, quòd non; imò Patres noſtri ad hoc, vt iſta conſuetudo non introduceretur, ſoluerunt, & ſolent aliquoties illud non recitare in Choro, ſed raro, & noctis tempore.

Et quamuis continuè, iuxta rubricas Breuiarij Romani ſoleamus in Choro illud recitare; & quando in Choro nō recitatur ſoleamus priuatè illud recitare: imò ſi non recitaretur, vt dictum eſt, idq; Superioribus innoreſceret, iude punirentur tranſgreſſores; tamen non intendunt Superiores introducere obligationem aliquam.

g Officium Mortuorum, &c. Quamuis Officiū Mortuorum; ſeptem Pſalmos pœnitentiales, & quindecim graduales ſoleant noſtri recitare in Choro in diebus præſcriptis à rubricis Breuiarij Romani, tamen ad id non tenemur ſub culpa, nec etiam priuatim recitare; non vigore noſtrarum Conſtitutionum, quia non obligant ad culpam, ſed ad pœnam tantum; nec vigore cōſuetudinis, quia noſtra Religio non intendit illam introducere: nec etiam ex rubricis Breuiarij Romani, quia Summus Pontifex in Bulla Breuiarij non obligat ſupradicta recitare, ſed admonet tantummodò. In die verò ſecunda Nouembris, quando fit commemoratio omnium Defunctorum recitari debet in Choro Officium Defunctorum; & qui Choro non interſunt debent priuatim illud recitare ex præcepto, ſicut Officium omnium Sanctorum, quia eſt pars Officij illius diei, & rubrica particularis de vtroque loquitur, vt recitetur abſque diſtinctione; & ita docet Bonacina de Horis Canonicis diſp. 1. q. 3. puncto 1. nu. 12. in fine. Nec obſtat Bulla ſupradicta, quæ admonet tantummodò, & non obligat, quia Summus Pontifex ibi loquitur de Officio Mortuorum, quod recitari ſolet in principio Menſis, in Aduentu, & Quadrageſima, non autem de Officio in die Commemorationis omnium Defunctorum.

g. §. 1. Litanias in feſto S. Marci, & in tribus diebus Rogationum, tenemur recitare in Choro; & qui Choro, vel proceſſioni non interſunt; tenentur priuatim recitare: Et

ratio

ratio eſt, quia eſt pars Diuini Officij illius diei, vt patet ex rubrica Breuiarij, & docet Bonacina in ſuo tract. de Horis Canonicis diſp.1.q.3.puncto.1.nu.13.

h Simul incipiamus, &c. Vniformes non ſolùm in Choro, ſed etiam in cæremonijs, & obſeruantijs Religionis, quæ ad ornatum, & decorem regularis vitæ pertinent eſſe debemus, nam vniformitas exterius ſeruata in moribus, repræſentat illam vnitatem, quam interius ſernare debemus.

i Pœnas Præpoſitus, &c. Pœnæ, quæ in Choro imponi ſolent pro culpis commiſſis in recitatione Officij, ſunt pœnæ regulares: nempe recitatio alicuius Pſalmi, Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, & ſimilium.

k Si occurrat dubium in recitatione Horarum Canonicarum in Choro, poteſt illud determinare Præpoſitus, vel ille; qui primum locum obtinet in Choro, loco Præpoſiti, vt habetur in noſtro Compendio Priuilegiorum par.1. tit. Officium Diuinum §.3.

De Ritibus, & Cæremonijs. Cap. II.

Summa Capitis II. Conſtitutionum.

Cæremoniæ aptè exerceantur. Eligatur ſacerdos, qui cæremonijs præſit, & cæteros inſtruat. Ante ſolemnitates praexerceantur. num. 1.

RITVS

1 RITVS, & cæremoniæ aptè, cō- poſitè, & decorè exerceantur: Hoc enim Clericorum eſt munus, & maximè conſpicuum. Itaque Præpoſiti per ſe, aut ſi occupati fuerint, per idoneum Sacerdotem curent diligentiſsimè, vt Miſſalis, & Breuiarij Romani rubricæ accuratè obſeruentur. Quādoque Clericos, & Sacerdotes conuocent, ne in ſolemnibus priuatiſvè Miſsis, aut Officijs, Proceſsionibus, ſacriſq; functionibus, quæ Maiore hebdomada, præcipuiſq; ſolemnitatibus per annum ſolent celebrari, error aliquis, aut varietas Sacerdotibus, vel Clericis noſtris obrepat. Nihil denique in eiuſmodi eccleſiaſticis rebus ſeruandis prætermittatur: ſed omnia ſtudioſè, exquiſitè, maturè, cum ſilentio, modeſtia, dignitate, & decore fiant. Si quid tamen eſt, cuius formula ex rubricis peti non poſsit, à peculiari noſtro de Cærimonijs libello petatur: vel ſi ex eo planè ſumi non poſsit, priſtino Congregationis noſtræ more ſtetur.

Commentaria in Caput II.

IN hoc Capite nihil occurrit; & cum hac rubrica concordat alia rubrica Decretorum Capitularium p 1.c.1.

De-

De munditia, & nitore in eccleſijs, ac ſacra ſupellectili. Cap. III.

Summa Capitis III. Conſtitutionum.

Eccleſiarum nitori & ornamento vacetur. nu.1.
Supellex ſacra munde curetur. Ne alienis commodetur. In ea ne apponantur inſignia familiarum. nu. 2.
Inſignia familiarum in eccleſiis noſtris quando, & à quo concedi poſſunt. nu. 3.
Sacella cũ inſignibus ante probatis concedi poterunt ſecularibus. n. 4.
Onera perpetua nullo modo recipiantur. nu. 5.

1 ECCLESIAE mundę ſint, & omni religionis cultu ornatæ. Sacerdotum veſtes, Altarium ornatus, ſacra vaſa, & cætera, quæ ad diuinum cultum pertinent, ſplendida munda, nitida, & ſuo quæque loco, vt par eſt, collocata, & diſtributa aſſeruentur. fit enim, vt ex diligentia, & cura, quæ his rebus adhibetur, Re-
2 ligioſorum ſpectentur animi. Ne quid quod ad ſacram ſupellectilem pertineat, alienis facilè detur vtendum: nam ita ſordes, & maculas ſæpè contrahunt.

3 Ne permittatur, vt in ſacris indumentis, familiarum ponantur inſignia. In eccleſijs noſtris in quibus nulla habentur familiarum inſi-

gnia, ne ſine P. Generalis auctoritate fiant, at
vbi adſunt, rurſus alia, vt apponantur, ne faci-
4 lè concedatur. Sacella ſæcularibus ædificanda,
da, vel exornanda concedi poterunt, etiam ſi
familiarum inſignia, & inſcriptiones, modeſtas
ſtas tamen, & à nobis ante probatas, velint ap-
5 ponere: ea tamen lege, & conditione, vt ne-
qua lex, aut conditio onerosa, & à noſtro in-
ſtituto aliena nobis vnà imponatur: vt ſunt
Miſſæ, [a] & Officia in perpetuum dicenda, quę a
nulla vnquam ratione in Congregationem ad-
mittantur.

Commentaria in Caput III.

Summa Commentariorum ſuper Caput III.

Miſſarum ſacrificia ſecundum cuius intentionem applicanda ſint à noſtris ſacerdotibus. lit. a.

IN hoc Capite parum occurrit, & cum hac rubrica cõcordat alia rubrica Decretorum Capitularium p. 1 c. 2.

[a] Vt ſunt Miſſæ. Vide Decretum Capituli Generalis anni 1624. factum die 3. Maij, quod incipit, *Miſſarum numerum &c.* vbi determinatum eſt, quid obſeruandum ſit, quando in aliqua eccleſia cõcurrit magnus numerus Miſſarum celebrandarum, & ſecundum cuius intentio-

tentionem applicanda ſint ſacrificia à noſtris Sacerdotibus.

De Miniſtris Altaris, & Ordinibus conferendis. Cap. IV.

Summa Capitis IV. Conſtitutionum.

Mores compoſitos noſtri habeant, & maximè in eccleſiis. nu. 1.
Prima tonſura initiare licebit Nouitios. nu. 2.
Ordines minores quibus, quando, & à quibus concedi poterunt. n. 3.
Ordines ſacri cum licentia P. Generalis conferantur. nu. 4.
Quando conferri poterunt. ibid. v. Ad ſubdiaconatum.
Ordinandi licentiam impartiri non tenetur ſtatim P. Generalis aduenìente tempore à Conſtitutionibus præſcripto. nu. 5.

1 SACERDOTES, & Clerici noſtri tum vbique, tum maxime in eccleſijs, vbi omnium in ſe ſciunt oculos conijci, ita mores habeant vultu, geſtu, inceſſu, ſermone compoſitos, vt nihil niſi graue, moderatum, religionis plenũ
2 præſeferant. Nouitios [a] in Clericorum Ordinem admiſſos prima tantùm tonſura initiare licebit, vt Diuinum Officium in Choro dicere, Sacerdoti ad Miſſæ ſacrificium adminiſtrare, cæterisq; eccleſiaſticis functionibus deſeruire
3 poſsint. Cum profeſsionem emiſerint, eis qua-

tuor minores Ordines conferri poterunt, ſi Præpoſito, maioriq; parti Vocalium loci ita
4 viſum fuerit. Pro ſacris Ordinibus, [b] P. Generalis licentia, erit impetranda. In his conferendis cunctanter agatur. Ad Subdiaconatum nemo niſi tribus minimum annis, ad Diaconatum, niſi quatuor; ad Sacerdotium, [c] niſi quinque poſt emiſſam profeſsionem admittatur. b c
5 Non quòd tum demum planè debeant admitti, ac non poſsint in tempus quamuis longinquum à Superioribus reijci: ſed ne quo pacto admittantur ante, niſi aut neceſsitas, aut magna perſonæ alicuius ratio poſtulare videatur.

Commentaria in Caput IV.

Summa Commentariorum ſuper Caput IV.

Si Nouitius prima tonſura ſit ordinandus, quis Ordinarius debeat illi dimiſſoriam facere? lit. a.

Si Præpoſitus concederet dimiſſoriam Nouitio ad recipiendam primam tonſuram, vtrum incurreret ſuſpenſionem ab officio? lit. a. §. 1.

Nouitius an promoueri poſsit ad Ordines ſacros, etiam cum licentia P. Generalis? lit. a §. 2.

Hoſpites noſtri an comprehendantur ſub nomine Nouitiorum? lit. a. §. 3.

Clerici noſtri quomodo promoueãtur ad minores Ordines lit. a. §. 4.

Decre-

Decretum Clem. VIII. quo ad Regulares ordinandos, cum declaratione Congregationis. ibid.

Literæ commendatitiæ ad Ordines ſuſcipiendos dari debent Regularibus à Prælatis Regularibus, non autem ab Epiſcopo Diœceſano. lit.a.§.5.

Ad promouendum aliquem clericum noſtræ Congregationis ad Ordines ſacros, vtrum neceſſe ſit, vt ſit prius approbatus à Capitulo domus, quàm à P. Generali concedatur licentia illum ordinandi. lit.b.

Excluſo à Capitulo domus ad aliquem Ordinem ſacrum ſuſcipiendum, vtrum P. Generalis poſsit licentiam concedere, vt ſuſcipiat talem ordinem, non obſtante excluſione? lit.b.§.1.

Si P. Generalis denegat licentiam alicui ex noſtris clericis ſuſcipiēdi aliquem Ordinem ſacrum, non tenetur manifeſtare cauſam negationis. lit.b.§.2.

Clericus ordinatus abſque approbatione Capituli domus, ſed cum licentia P. Generalis, eſt bene ordinatus. lit.b.§.3.

Clericus approbatus à Capitulo domus, & licentia obtenta à P. Generali ad Ordinem ſuſcipiendum, ſi non ordinetur inter quatuor tempora determinatè aſsignata: inter alia ordinari non potuerit abſque noua approbatione. lit.b.§.4.

Semel approbatus in vno officio ſeu munere non poteſt in eodem, vel in ſimili reprobari. ibidem in fine.

a NOuitios, &c. Prima tantùm tonſura initiari licebit.

Ad initiandos Nouitios prima tonſura, requiritur dimiſſoria ſui Ordinarij, vt patet ex Conc. Trid ſeſſ.23. ſub decreto de reformatione cap.10. non Prælati regularis, ſed Epiſcopi; An autem Epiſcopus Originis, vel Diœceſis, in qua eſt collocata domus noſtræ Religionis, in qua Nouitius facit probationem dicatur eius Ordinarius? Duæ ſunt Doctorum

ſententiæ

ſententiæ ambæ probabiles, vt videre eſt apud Sanchez in præceptis decalogi t.1.lib.4.c.39.nu.19. & 20. & t.2.lib.6. c.10.nu.20. & 21. communior tamen videtur, quod Epiſcopus loci, in quo eſt in probatione, dicatur eius Ordinarius: ex eo quia Nouitius dicitur acquiſiuiſſe domicilium in loco, in quo habitat Religioni deditus; Vnde ad eum pertinet ordinare dictum Nouitium, & literas dimiſſoriales concedere, quando in alia Diœceſi eſſet ordinandus.

a.§.1. Sed hic dubitari poſſet, ſi Præpoſitus concederet dimiſſoriam Nouitio ad recipiendam primam tonſuram, Vtrum incurreret ſuſpenſionem ab officio, & beneficio latam in Concil. Trident. ſeſſ. 23.c.10. Reſpondeo, quòd ſic, quia in ſupradicto decreto Concilij, appellatione Ordinũ venit etiam prima tonſura, vt late probat Garzias de beneficijs p.7.c.1.nu.7. & p.1.c.5.nu.142.

a §.2. Sed quid dicendum, ſi Præpoſitus cum Capitulo domus, & licentia A. R. P. noſtri Generalis velit ad Ordines ſacros Nouitium promouere, an poſſit dictus Nouitius promoueri? Duæ ſunt etiam Doctorum opiniones, vna, quæ negat, & altera, quæ affirmat, vt videre eſt apud Sanchez in præceptis decalogi t.2.lib.6.c.10.nu.18.& 19. Sanchez verò exiſtimat poſſe Nouitios quibuſcunque ſacris Ordinibus initiari, cum nullus ſit textus id interdicens; ſed aduertendum eſt, quòd adeſt Bulla Pij V. 75. in ordine, quæ incipit *Romanus Pontifex &c.* in qua Pius V. Decretum Conc. Trid. ſeſſ. 21.c.2. de reformatione de non promouẽdis Clericis ſecularibus ſine titulo, vel beneficio, extendit ad Religioſos ante profeſſionem; Vnde ſi ordinarentur Ordinibus ſacris ante profeſſionem abſque titulo, vel beneficio, & dimiſſoria proprij Epiſcopi, eſſent inhabiles ad dictos Ordines exercendos, & exercentes, eſſent irregulares; quod etiam militat in nulliter profeſſis, ex declaratione Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium, teſte Gar-

zia

zia de beneficijs p.2.c.5.nu.10. & ſeq. & Nauar. de Regularibus comment. 4. nu. 72. verſ. non obſtat. Et ratio eſt, quia ordinandus Ordinibus ſacris, debet habere patrimonium, vel beneficium, vnde alimentari poſſit, & dimiſſoriam ſui Prælati, quibus carere ſolet Religioſus non profeſſus, vel nulliter profeſſus. Et Epiſcopus conferens Ordines ſacros Religioſo ante profeſſionem, ſine titulo patrimonij, vel beneficio, & dimiſſoria ſui proprij Epiſcopi, eſſet ſuſpenſus per annum à collatione illorum Ordinum, quos dicto Religioſo contuliſſet, vt patet ex dicta Bulla Pij Quinti *Romanus Pontifex &c.* Obſtat etiam Conſtitutio noſtra, in qua eſt illa dictio taxatiua *tantum*.

a. §.3. Nomine Nouitiorum in hoc loco, & ad hunc effectum vt poſſint initiari prima tonſura, veniũt etiam hoſpites, & ita fuit vſu obſeruatam.

a. §. 4. Quatuor minores Ordines, &c. Clerici profeſſi noſtræ Congregationis, poſſunt promoueri ad quatuor minores Ordines cum licẽtia P. Præpoſiti domus, & maioris partis Vocalium Capitulariter congregatæ, abſque licentia P. Generalis, & ſic eſt vſus totius Congregationis. Quoad Regulares ordinandos, ſciendum eſt, quòd extat ſpeciale Decretũ Clem. VIII. tenoris ſequentis. *Decretũ Clemẽtis viij. quo ad Regulares ordinandos.*

De mandato S.D.N. Clementis Diuina prouidentia Papæ VIII. Tenore præſentium mandatur omnibus & ſingulis, quorumcunque Regularium Superioribus, vt de cætero obſeruent, & obſeruari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concil. Tridentini continentur, cuius tenor eſt talis. Congregatio Concilij cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus

bus requiſitis, Ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius monaſterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet, is regularis poſitus fuerit, & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcunque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit examinetur, quo ad Doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria, conceſſionem dimiſſoriarum, in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes. Verùm cùm à Superioribus regularibus Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente literæ dimiſſoriæ dabuntur, in eis vtique huiuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendā eſſe, quod qui non fecerint officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ priuationis, ac alias arbitrio eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ reſeruatas pœnas incurret. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. Martij 1595.

Poſt dictum Decretum emanauit quædam declaratio à Sacra Congregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium Concilij Trid. ad tollendam quandam dubitationē ortam ſuper dicto Decreto, quæ eſt tenoris ſequentis.

Si Regulares ordinandi morentur in monaſterio nullius Diœceſis, huiuſmodi dimiſſorias concedendas eſſe ad Epiſcopum viciniorem, in eoq; procede-

re

re omnia, quæ de Epiſcopo Diœceſano in dicto Decreto præſcripta ſunt. Anno Domini 1619. Menſis Decembris. Cardinalis Lancellottus.

a. §. 5. Literæ commendatitiæ ad Ordines ſuſcipiẽdos, dari debent regularibus, à Prælatis regularibus, non autẽ ab Epiſcopo Diœceſano, ita notatur in ſupradicto Decreto Clem. VIII. & docet Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælatorum t. 1. q. 39. art. 3.

b Pro ſacris Ordinibus &c. Hic dubitari poſſet primò. Vtrùm ad promouendum aliquem Clericum noſtræ Congregationis ad Ordines ſacros neceſſe ſit, vt prius ſit approbatus à Capitulo domus, in qua eſt aſſignatus, vel vbi domicilium habuit diuturniori temporis parte quam à P. Generali concedatur licentia eum ordinandi?

Reſpondeo, quod in Conſtitutionibus nulla fit mentio de hac approbatione, tamen rationabilis eſt, & conformis Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 13 ſub decreto de reformatione; nam Ordinandi bonum teſtimonium habere debent de vita & moribus; Et vſus noſtræ Religionis ſemper fuit, & eſt, vt promouendi ad Ordines ſacros, prius approbentur à Capitulo domus, & poſtea ab eodem Capitulo, communi epiſtola petatur licentia à P. Generali; Quæ conſuetudo longo tempore præſcripta, facit legem, c. conſuetudo, in princ. & in fine diſt. 1 Et licet Conſtitutio in hoc loco dicat, Pro ſacris Ordinibus P. Generalis licentia erit impetranda, non tamen excludit præcedentem domus approbationem, & petitionem, iuxta conſuetudinem ſupradictam.

Sed contra ſupradictam opinionem videtur obſtare primo alia Conſtitutio, quæ eſt parte 3. c. 7. §. Pater Generalis, v. poteſt ſolus P. Generalis concedere facultatem Cle-

ricis, vt ad ſacros Ordines promoueantur, ſe reſpondetur, quod dicta dictio *Solus*, intelligitur reſpectu Conſultorum, nam non requiritur votum Conſultorum; Quod colligitur ex præcedentibus verbis eiuſdem S. vbi tractatur de facultate P. Generalis, quando ſolus poſſit aliquid facere, & quando interuenire debeat votum deciſiuum, vel conſultiuum Conſultorum; & vna pars legis aliam partem ſimiliter antecedentia ſubſequentia declarant, l. ſi ſeruus plurium §.fin.ff.de legat 1.

Secundo videtur obſtare Breue Clem. VIII. ſub die 13. Iunij anni 1595. Pontificatus ſui anno 4 vbi loquens de facultate noſtri P. Generalis dicit, quod Generalis ſolus concedere valeat licentiam Clericis ipſius ſacros Ordines ab ijs, quos ſpectat petendi, & ſuſcipiendi. Sed Reſpondetur, quod in dicto Breue ſequitur idem Pontifex, dicens; Seruatis reſpectiuè Conſtiturionibus in ſimilibus ſuper auctoritate dicti Præpoſiti Generalis factis, & faciendis; Vnde cum dicta conſuetudo Religionis ſit Cōſtitutio non ſcripta §. ex non ſcripto inſtit. de iure nat. gent. & ciu. ſequitur, quod Pater Generalis ſolus, abſque voto Conſultorum, habet facultatem tribuendi talem licentiam, ſeruata tamen dicta conſuetudine; ideſt Conſtitutione non ſcripta.

b.§.1. Secundo dubitari poſſet, Ponamus, quod completum ſit tempus, in quo aliquis ex noſtris Clericis, ſecundum noſtras Conſtitutiones poteſt promoueri ad Ordines ſacros; & Præpoſitus vnà cum Capitulo domus nollet illum proponere apud P. Generalem, vt poſſet promoueri, vel ſuppoſito, quòd à Capitulo domus per ſecreta ſuffragia ſit excluſus; Quæritur. Vtrum in hoc caſu poſſit P. Generalis illum approbare, & concedere illi licentiam, vt poſſit ab Epiſcopo promoueri ad aliquem Ordinem ſacrum? Reſpondeo, Vel P. Generalis in hoc caſu fuit certior factus à Præpoſito, & Capitulo domus, de cauſa

propter

propter quam fuit excluſus; Vel non: Si fuit certior factus, & cauſa videtur iuſta ſuo iudicio, non debet illi concedere facultatem ordinãdi: ſi verò cauſa ei videtur iniuſta, poteſt illi concedere facultatem, vt promoueri poſsit ad Ordinẽ Sacrum non obſtante excluſione Capituli Domus; Et ratio eſt, quia ad ſupremum Superiorem ſpectat iudicare, an cauſa ſit iuſta necne, & prouidere de Iuſtitia; Et tanto magis hoc debet facere, quia Clericus nihil poteſt adducere ad ſuam defenſionem, ne videatur ambitioſus; ſi verò non eſt certior factus, debet in hoc caſu P. Generalis per ſuas literas, vel alio modo petere à Præpoſito, & Vocalibus Domus, vt ei manifeſtent cauſam propter quam non fuit dictus Clericus propoſitus ad Ordinem ſacrum ſuſcipiẽdum, iuxta vſum Congregationis, vel fuit excluſus: & ſi non manifeſtent, poteſt P. Generalis in hoc caſu, ſi clariſsimè illi conſtet de idoneitate ordinandi, illum approbare, & concedere illi facultatem, vt promoueri poſsit; Quod &, ſi cauſam patefacerent poſſet prouidere, vt ſupra dictum eſt.

Idem dubium fieri poſſet de illis, qui de nouo ſunt admittendi ad confeſsiones audiendas, & eodem pacto decidi poteſt. quia eadem eſt ratio.

b.§.2. Tertio dubitari poſſet è contra, Ponamus, quod aliquis Clericus noſtræ Congregationis ſit approbatus à Capitulo, & per communem epiſtolam ſit petita licentia à Patre Generali, vt promoueri poſſet: Et P. Generalis ob aliquam iuſtam cauſam ſuo iudicio (ſed occultam) nollet dictam licentiam concedere, Vtrum teneatur manifeſtare dictam cauſam Patribus Capituli Generalis capitulariter congregati, vel alijs ſi eſſet requiſitus, vt pateſaceret dictam cauſam?

Reſpondeo negatiuè, ſed ſufficere, quod ipſe dicat habere illum pro indigno; Colligitur ex noſtris Conſtitutionibus par.1. cap. 4. §. Non quod & à Concilio Tridentino

ſeſſ. 24. ſub Decreto de Reformatione c. 12. ibi, ſed dignos dumtaxat, & clariùs ex ſeſſ. 14. c. 2. ſub Decreto de Reformatione.

b §. 3. Quarto dubitari poſſet, Ponamus, quòd P. Generalis licentiam concedat alicui ex noſtris Clericis, vt poſsit Ordinem ſacrum ſuſcipere ſine approbatione, & poſtulatione prius facta à Capitulo Domus, in qua aſſignatus eſt, vt mos eſt, in noſtra Religione; Quæritur, Vtrum dictus Clericus ſit benè ordinatus? Reſpondeo affirmatiuè iuxta Concil. Trid. in ſeſſ. 23. c. 13. ſub Decreto de Reformatione. Et ſi aliqua iuſta cauſa feciſſet, nec noſtræ conſuetudini contraueniſſet.

b. §. 4. Quinto dubitari poſſet, Ponamus, quòd aliquis ex noſtris Clericis ſit approbatus à Capitulo Domus ad Ordinem ſacrum ſuſcipiendum, & licentiam etiam obtinuerit à P. Generali, & propter infirmitatem, vel ob aliã cauſam non ſit ordinatus in illis quatuor temporibus, in quibus ordinari debebat, Quæritur, Vtrum ſine alia noua approbatione Capituli Domus, & noua licentia P. Generalis poſſet promoueri ad Ordinem ſacrum in quatuor tẽporibus? Reſpondeo, quòd ſi id accidit tempore quadrageſimæ, in quo tempore ter fiunt Ordinationes poterit Superior abſque noua approbatione Capituli Domus, & noua licentia P. Generalis permittere, vt ordinetur in Sabato ſitientes, vel Sancto, quia tempus breue eſt inter vnã, & alteram Ordinationem; Fallit verò ſi intra id tempus (quamuis breue) res talis occurreret, vel manifeſtaretur, quæ eſſet conſideratione digna arbitrio Superioris, nam ſaltem cum Capitulo Domus eſſet illa diſcutienda.

Si verò occurreret in alio tempore, ita vt inter vnam, & alteram ordinationem tres menſes eſſent intermedij, in hoc caſu requireretur noua approbatio Capituli Domus, & noua licentia P. Generalis; Et ratio eſt, quia approbatio Capituli Domus eſt quo ad mores non autem quo ad

ſcien-

ſcientiã; vndè infra id tempus poterit aliquid noui accidere, vel manifeſtari aliqua res antiqua, quæ impedit Ordinationẽ; ita probatur in l. vt gradatim, §. vlt. iuncta gloſ. ff. de Muneribus, & Honoribus, & l. ſed, & reprobari, vbi Baldus notat, ff. de excuſat. tutor. probat etiam Innoc. in c. cum venerabilis, & ibi Abbas, n. 55. Felin. n. 49. Dec. n. 153 de exceptionibus, & alij communiter, & probant tradita per Genuen. in ſua Praxi Archiep. Neap. c. 83. n. 4. Sed aduertendum eſt, quòd ſi aliqua res noua non accidiſſet, nec res aliqua antiqua de nouo eſſet manifeſtata, non poſſet Capitulum Domus illum non approbare, ſtante regula, quòd ſemel approbatus in vno officio, ſeu munere non poteſt in eodem, vel ſimili reprobari, vt probatur in Cap. Accepimus, ibiq. gloſ. & Innoc. notant de ætat. & qualit. ac idem Innoc. in c. Cùm venerabilis, & Abbas n. 55. & Felin. n. 48. & Decius nu. 150. & ſeq. de exceptionibus cum ſimilibus.

c Ad Sacerdotium, &c. Per Capitulum Generale anni 1618. fuit ſtatutum, vt ante ſeptennium à profeſſione tranſactum noſtri Clerici non admittantur ad Sacerdotium In Decretis p. 1. c. 6. nu. 3.

Aduertas tamen Lector circa dictum Decretum, quòd ſi P. Generalis ex aliqua iuſta cauſa vellet diſpenſare cum aliquo, vt poſſet promoueri ad Sacerdotium ante Septennium à profeſsione tranſactum non poſſet, niſi duæ partes Vocalium Domus cõcurrerent, vt patet ex dicto Decreto; ſed tranſacto ſeptennio ſufficit conſenſus maioris partis Vocalium Capituli Domus, cum licentia P. Generalis, iuxta vſum antiquum Religionis.

Aduertat etiam Sacerdos de nouo ordinatus, quod quãuis cum licentia Superiorum ſit ordinatus, non debet tamẽ primam Miſſam celebrare ſine noua licẽtia Præpoſiti, quia id moris ſemper fuit in Religione; Et colligitur à ſimili

de

de Sacerdote nouiter admiſſo ad confeſsiones audiendas, qui ſecundum noſtras Conſtitutiones parte 1. cap. 5. §. Qui ita ad confeſſiones, &c. licet ſit admiſſus ab Epiſcopo ad confeſſiones audiendas, non debet priùs exequi ſuam obedientiam, quàm poteſtas à Præpoſito illi tributa ſit.

De hac materia vide in Decretis p. 1. c. 3 n. 5. & in Compendio Priuilegiorum p. 1. Tit. Diſpenſatio, à §. 1 vſq ad 7. incluſiuè, & §. 13.

De adminiſtrandis Sacramentis Cap. V.

Summa Capitis V. Conſtitutionum.

Confeſſarij ne ſe immiſceant ad teſtamenta facienda, ad eleemoſynas erogandas, & ad res temporales. num. 1.

Confeſſarij munus quibus committendum. num. 2.

Ne detur niſi poſt annum à Sacerdotio, & de licentia P. Generalis. ibidem.

Priùs quam ad Ordinarios mittantur, domi examinentur. ibid. ver. Antequam.

Ne incipiant confeſsiones audire ſine licentia Præpoſiti, ibidem. V. Qui ita.

Ne nimium occupentur confeſsionibus. ibidem. V. Curent Præpoſiti.

Mulierum confeſsionibus ne exponantur ſacerdotes iuniores. nu. 3.

Eas raro domi viſitent, & ex graui cauſa. ibidem. V. Domus.

Domi mulierum confeſsiones ita audiant, vt à ſocio conſpici poſsint. ibidem. V. Quæ ſi.

Ne longiùs æquo ſermonem producant, Neue de ijs rebus agant, quæ ad pœnitentiæ ſacramentum pertinere minimè videantur. ibid. V. Dum earum.

Con

Confeſsionalia, ſeu ſedilia pro mulierum confeſsionibus audiendis ita in Eccleſijs ſint collocata, vt & mulieres, & ſacerdotes facilè videri poſsint n.4. Virorum verò aut ſint in Eccleſijs, aut in locis ad id aſsignatis. ibid. V. virorum.

QVI ad Eccleſias noſtras adierint ad ſuſcipienda Sacramenta, ijs Sacerdotes Confeſſarij pręcipuam exhibeant charitatem: rem ſuam priuatam, aut commodum ne ſpectent, animarum ſaluti magnopere ſtudeant.

1 Qui in lectis grauiter ægrotant, domi viſitari de Superioris licentià poterunt, & Sacramentum eis Pœnitentiæ miniſtrari, pijſq. monitis inſtrui, ac demum ad benè moriendum, vt ſe diſponant, hortari. Caueant [b] autem ne b ad res temporales, ad facienda teſtamenta, ad eleemoſynas erogandas, maximè ſi Religioni noſtræ velint relinquere ſe admiſceant, vt auaritiæ non culpà tantùm, ſed omni prorſus ſuſpitione careant.

2 Sacerdotum qui confeſsionibus ſæcularium audiendis exponantur, [c] delectus [d] habeatur: c d & quamuis peritus quis fuerit, & ad iuſtã ætatam peruenerit, maturè ſatis agatur, ne ad id munus admittantur, niſi qui idonei ſint reperti, nec niſi [e] de licẽtia P. Generalis; qui, ſi iã an- e

nus

nus [f] poſt Sacerdotium fuerit expletus, licentiã, f
ſi ei videbitur, poterit concedere: antea con-
cedat nulli, niſi aut Sacerdotis alicuius præci-
pua virtus, & doctrina, aut loci neceſsitas re-
quirat. Antequam mittatur quis pro licentia
obtinenda à locorum Ordinarijs, ſiue ad reci-
piendos Ordines, ſiue ad Confeſsiones audien-
das, domi priùs à Præpoſito, [g] & Patribus ad id g
electis diligentiſsimè examinetur. Qui ita ad
Confeſsiones audiendas admiſsi fuerint, ne
priùs [h] accedant, quàm poteſtas à ſuo Præpoſi- h
to facta illis fuerit. Curent Præpoſiti, vt ad-
mittendis ad Confeſsionem ſæcularibus defi-
niatur modus: ne Cõfeſſarij nimis occupati ſibi
ipſis vacandi tempus non habeant.

3 Ad mulierum confeſsiones [i] audiendas, ne i
facilè Sacerdotes iuniores exponantur: [k] ſed k
qui ætate, & moribus ſunt maturi. Domus
mulierum Noſtri, [l] ne ſine rationabili cauſſa l
adeant. Qui earum confeſsionibus audiendis
nondum ſunt expoſiti, ab earum viſitatione
abſtineant. Permitti tamen à Superiore poſ-
ſit, vt æqua de cauſſa quandoque ſed raro vi-
ſitentur. Qui earum Confeſsiones audire ſo-
lent, poſsint quidem de Superioris licentia il-
las quandoque viſitare, ſed id raro admodum,

& conſideratè fiat. Confeſsiones earum, niſi in Eccleſijs, ne audiātur, dū ne vel grauis ægrotatio, vel calamitas aliqua, vel alia quæuis cauſſa vehemēs poſtulauerit. Quæ ſi acciderit, ne ſolus cū ſola ſit, caueat, ſed comes ibi maneat vbi poſsit conſpici. Sedilia pro mulierum confeſsio-
4 nibus audiendis ita in Eccleſijs ſint collocata, vt & mulier, & Sacerdos facilè videri poſsint. Dum earum confeſsiones audiunt, ne longius æquo ſermones producant, nèue de ijs rebus agant, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinere minimè videantur. [m] Virorum cōfeſsio- m
nes, aut in Eccleſijs, aut in locis ad id aſsignatis audiantur.

Commentaria in Caput V.

Summa Commentariorum ſuper Caput V.

Sacerdos ex noſtris non admiſſus à P. Generali ad confeſsiones audiendas, non poteſt eligi ab Epiſcopo in ſuum Confeſſarium. lit. c.

Præpoſiti locales noſtræ Religionis vtrum poſsint eligere in ſuum confeſſarium Sacerdotem noſtræ Religionis non admiſſum à P. Generali ad Confeſsiones audiendas? lit. c. §. 1.

Ad licentiam P. Generalis pro confeſsionibus audiendis, debet præcedere approbatio Capituli Domus. lit. a.

Propoſito aliquo ad confeſsiones audiendas in Capitulo Domus, & facto ſcrutinio viua voce, non poteſt Præpoſitus ſuſpendere ſcru-

tinium per ſecreta ſuffragia. lit.e.§.1.

Sacerdos admiſſus ad confeſſiones audiendas à P.Generali, ſi per annum non ſit approbatus ab Epiſcopo ordinario, Præpoſitus Domus poteſt & debet denegare ei dimiſſoriam, abſque noua approbatione Capituli Domus, & P.Generalis. lit.e.§.2.

Sacerdos non admiſſus ad confeſſiones audiendas à P.Generali, nec ab Epiſcopo loci, ſi confeſſiones audiat & dicat ſe abſoluiſſe pœnitentem à venialibus peccatis tantum, non tenetur Superior illi credere, & poterit illum punire. lit.e.§.3.

Semel admiſſus in vno loco à P.Generali ad confeſſiones audiendas, non debet illum ſuſpendere abſque legitima cauſa. lit.e.§.4.

Confeſſiones factæ Sacerdoti Regulari, qui confeſſiones audit abſque licentia ſui Superioris, ſed cum licentia & approbatione Epiſcopi, dubium eſt an ſint validæ, nec ne. Poteſt tamen puniri dictus Sacerdos à ſuo Superiore. lit.e.§.5.

Si præpoſitus prohiberet alicui Confeſſario ſuo ſubdito, ne audiret cõfeſſiones alicuius, & non obſtante prohibitione audiret, Cõfeſſio eſſet valida ſed Cõfeſſarius puniri poſſet a ſuo Superiore. lit.e.§.6.

P.Generalis an poſſit ſuos ſubditos aliàs approbatos ad confeſſiones audiendas, ſuſpendere ob occultum crimen extraiudicialiter ſibi notum. lit.e.§.7.

Sacerdotes noſtri quando admitti poſſint ad confeſſiones audiendas. lit.f.& §.1.

Electio examinatorum pro admittendis ad confeſſiones audiendas non poteſt fieri à ſolo Præpoſito, abſque Capitulo domus. lit.g.

Admiſſo ad confeſſiones audiendas à Capitulo domus, & à P. Generali non poteſt Præpoſitus localis abſque iuxta cauſa, manifeſtanda dicto P.Generali denegare dimiſſoriam, id eſt facultatem præſentandi ſe Epiſcopo loci. lit.h.§.1.

Admiſſus ad confeſſiones audiendas virorum à Superioribus noſtræ Religionis, & ab Epiſcopo loci ſimpliciter admiſſus: ſi audiat confeſſiones mulierum, validè procedit, ſed poteſt puniri à noſtris Superioribus. lit.i.

Vtrum

Vtrum committat peccatum.lit.1.§.1.

Mulierum conſortium, & familiaritatem vitare debent Confeſſarij.lit.l.

Explicatur conſtitutio Gregorij XV. contra Confeſſarios ſollicitantes ad venerea, & c.pœnitentes.lit.m.

a CVm hac Rubrica, concordat rubrica alia, quæ eſt in Decretis Capitularibus p.1. c 3. Sed circa hanc Rubricam eſt aduertendũ, quod noſtra Religio fuit inſtituta ad ſalutem animarum generaliter, non ſolùm ingredientium ipſam Religionem, ſed etiam extra Religionem exiſtentium; Et ideo Sacramenta Pœnitentiæ, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ alijs miniſtramus, & officium prædicationis exercemus.

b Caueant autem, &c. Cum hac Conſtitutione concordat, quod in Decretis Capitularibus ordinatum eſt p.3.cap.7.num.23. videlicet, quòd in ſecularibus negocijs nemo noſtrum ſe immiſceat, & præſertim in matrimonijs contrahendis, abſque peculiari ſui Præpoſiti licentia.

c Exponantur, &c. Hic dubitari poſſet, Vtrum ſimplex Sacerdos ex noſtris, qui nunquam à P. Generali fuiſſet expoſitus ad confeſſiones audiendas, ſi eſſet electus ab aliquo Epiſcopo in ſuum Confeſſorem, poſſet illius Confeſſiones audire? Reſpondeo, quòd non; Et ratio eſt, quia quamuis Epiſcopus per tex.in cap.fin. de Pœnit. & Remiſſ. habeat facultatem eligendi ſibi Confeſſarium: tamen ille, quem eligit, debet eſſe approbatus à ſuo Ordinario; ſed in noſtra Religione P. Generalis eſt Ordinarius, vigore noſtrarum Conſtitutionum p.1.cap.7.verſ.Poteſt ſolus P.Generalis, & c. Ergo cum non ſit approbatus à P. noſtro Ge-

nerali ad Confeſſiones audiendas, non poteſt ille Sacerdos Confeſſionem Sacramentalem Epiſcopi audire; Confirmatur ex quadam declaratione Illuſtriſſimorum Cardinalium ſuper Concil. Trid. quam refert Stephanus Quaranta in Summa Bullarij. v. Archiepiſcopi authoritas num. 7. & ibi in ſcholio lit. a. quæ eſt tenoris ſequentis.

S.D.N. audita relatione Congregationis, declarauit Epiſcopos vigore priuilegij, de quo in cap. fin. de poenit. & remiſſ. non poſſe ſibi eligere Sacerdotem non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam Decreti Concilij admiſſus, & approbatus ad audiendas confeſſiones.

Ex hac declaratione colligitur, quòd ſi Epiſcopus, qui eligit ſibi Confeſſarium, non eſt Ordinarius illius loci, in quo facit electionem, & eligit aliquem Sacerdotem noſtræ Religionis, requiritur, vt non ſolùm ille Sacerdos ſit admiſſus ad confeſſiones audiendas à noſtro P. Generali, ſed etiam ab Epiſcopo illius loci, vel eius Vicario Generali; & vna admiſſio ſine altera non eſt ſufficiens; quia licentia, ſeu admiſsio noſtri P. Generalis requiritur, non ſolùm vigore noſtrarum Conſtitutionum, ſed etiam vigore priuilegij Iulij III. conceſsi Religioni Dominicanorum (quod æquè principaliter nos participamus) in quo annullat omnes licentias obtentas, & obtinendas in futurum à dictis Fratribus, audiendi confeſsiones Sacramentales, ſine licentia, & conſenſu ſuorum Superiorum; & licentia, ſeu approbatio Epiſcopi, vel eius Vicarij requiritur vigore Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. ſub Decreto de Reformatione.

Sed ſi Epiſcopus, qui elegit ſibi in Confeſſarium Sacerdotem noſtræ Religionis, eſſet Ordinarius illius loci, ſufficeret ſola licentia P. Generalis quia eo ipſo, quòd Epiſcopus eligit ipſum in Confeſſarium, vel ſi de facto confiteatur, quod idem eſt, nam plus eſt eligere factis, quàm verbis. l.

Non

Non dubium C.de legibus,c.legebatur de maiorit.& obed. Sylu.v.Confeſſor 1.n. 8.dat ei poteſtatē audiendi illam confeſsionem, verum eſt tamen, quòd non cenſeretur approbatus quo ad alios.

Sed hic dubitari poſſet, ponamus quòd aliquis Præpoſitus localis noſtræ Religionis, cui non deficit comoditas confitendi Confeſſarijs noſtræ Religionis, vellet confiteri ſimplici Sacerdoti noſtræ Religionis, qui non eſſet admiſſus ad confeſsiones audiendas à noſtro P. Generali, vtrum poſſet dictus Sacerdos illum Præpoſitum abſoluere? Reſpondeo quòd duæ poſſunt eſſe opiniones, vna quòd non, & ratio eſt, quia non eſt admiſſus dictus Sacerdos ad confeſsiones audiendas à ſuo Ordinario, qui eſt P. Generalis, cui reſeruata eſt hæc facultas: ſed nullus Sacerdos noſtræ Congregationis poteſt aliorum, etiam noſtræ Congregationis Fratrum confeſsiones audire abſque licentia P. Generalis, vt patet, tum ex conſuetudine noſtræ Congregationis, tum ex ex priuilegio Iulij III. quo annullantur licentiæ obtentæ, & obtinendæ à Sacerdotibus noſtræ Congregationis audiendi confeſsiones ſacramentales abſque conſenſu ſuorum Superiorum: ergo non poteſt illum abſoluere. Quod procedit, dato quòd dictus Sacerdos eſſet ſubditus Præpoſiti localis; quia quamuis ſit ei ſubditus, non tamen poteſt illi dictam facultatem impartiri, vigore noſtratum Conſtitutionum; & in hoc differt ab Epiſcopo.

Nec obſtat c.finalé de pœnit.& remiſſ. quia ex declaratione ſupradicta Summi Pontificis, ſicut non poteſt Epiſcopus vigore dicti cap. eligere Sacerdotem non ſibi ſubditum in ſuum Confeſſarium, qui à proprio Ordinario non fuerit admiſſus ad confeſsiones audiendas iuxta formam Concilij Trid. ita nec etiam Præpoſitus localis noſtræ Cōgregationis, qui ex facultate eiuſdem Capituli prætendit poſſe ſibi eligere Confeſſarium.

Dixi

Dixi in hoc differre ab Epiſcopo, (ſupra in fine ampliationis) quia Epiſcopus poteſt eligere Sacerdotem ſibi ſubditum in ſuum Confeſſarium, dato quòd aliàs non ſit admiſſus ad confeſsiones audiendas iuxta formam Concilij Tridentini, quia eligendo illum in ſuum Confeſſarium, approbat, & tacitè præbet illi facultatem ipſum abſoluendi; quam facultatem poteſt illi concedere, quia eſt ſuus Epiſcopus: ſed Præpoſitus localis noſtræ Congregationis non habet hanc facultatem vt ſupra dixi: ergo non poteſt ſimplex Sacerdos illum abſoluere.

Sed P. Generalis noſtræ Congregationis, cui reſeruata eſt facultas, vigore noſtrarum Conſtitutionum, confitendo ſacramentaliter alicui ſimplici Sacerdoti ſuæ Religionis, qui nunquam fuerit admiſſus ad confeſsiones audiendas iuxta formam Concilij Tridentini, eo ipſo quòd illi confiteretur, daret ei licentiam ipſum abſoluendi. Dixi in præpoſito dubio, cui non deficit commoditas confitendi Confeſſarijs noſtræ Religionis, quia ſi non adeſſet dicta cōmoditas, poſſet tunc confiteri Sacerdoti non approbato noſtræ Congregationis, ex præſumpta voluntate. P. Generalis, & ex conſuetudine noſtræ Congregationis, quæ in ſimilibus caſibus ita ſeruare conſueuit.

Altera opinio poteſt eſſe affirmatiua, quia Præpoſiti locales noſtræ Religionis ſunt Superiores, & Prælati Regulares, & habent iuriſdictionem tam in foro externo, quàm interno in ſuos ſubditos, & per conſequens vigore c. finalis de pœnit. & remiſſ. poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, qui eos abſoluant à peccatis, præter ipſorum Superioris licentiam. Præterea in dict. cap. fin. non dicit. S. Pontifex, vt ſibi poſsit eligere Confeſſorem approbatum à ſuo Ordinario, ſed prouidum, & diſcretum, quod ſignificat idoneitatem, quæ ſi deficeret in Confeſſario electo, & ſuppleretur per idoneitatem Prælati, confeſsio non eſſet nulla.

Nec

Nec obſtant quæ obſtare videntur, & primò non obſtat Decretum concil. Trid. in ſeſſ. 23. 15. ſub Decreto de Reformatione, quia non loquitur de Regularibus, ſed de ſecularibus, vt patet ex illis verbis, *poſſe confeſsiones ſecularium etiam Sacerdotum audire*.

Secundò, Non obſtat declaratio ſupra enarrata Summi Pontificis, quia loquitur de Epiſcopis non autem de Regularibus. Præterea, cum dicta declaratio non ſit publicata, habet locum in illo tantum caſu, in quo fuit facta, & non in alijs.

Tertiò non obſtant Decreta capituli Generalis anni 1601. quæ ſunt. par. 1. cap. 6. nu. 1. & 2. in quibus prohibetur noſtris, ne poſsint confiteri extero Sacerdoti, vel alicui ex noſtris alterius domus: Quia cap. Generale non poterat priuare ſuos Prælatos, facultate eis conceſſa à Iure. Vnde ex ſupradictis ſequitur, quòd non ſolùm poſsit eligere, Sacerdotem ſibi ſubditum aliàs non approbatum à ſuo Ordinario iuxta formam concilij Tridentini, vt eum abſoluat: ſed etiam quemlibet ſimplicem Sacerdotem noſtræ, vel alterius Religionis non approbatũ à ſuo Superiore ad confeſsiones audiendas; & etiam Sacerdotem ſecularem non approbatum à ſuo Ordinario; quia Summ. Pontifex in d. c. concedit dictam facultatem, abſque limitatione perſonæ.

Pro deciſione dictæ difficultatis dico, quòd ambæ dictæ opiniones ſunt probabiles; ſed prima eſt magis amplectenda.

Primò, quia ceſſat vniuerſaliter ratio dicti textus, quæ eſt, ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum; nam in noſtra Religione non deficit commoditas confitendi Confeſſarijs approbatis; Vnde ceſſante cauſa, ceſſat effectus, c. cum ceſſante de appellationibus.

Secundò, quia eſt conformis Concilio Tridentino, quod vult, vt Sacerdotes, qui miniſtrant hoc Sacramentum, ſint

ſint approbati ab illorum Ordinario.

Tertiò, declarando Summus Pontifex, Epiſcopos vigore priuilegij.c.fin.de pœnit.& remiſſ.non poſſe ſibi eligere Sacerdotem non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit ad formam Conc.Trid.approbatum, videtur implicitè declaraſſe, per prouidum, & diſcretum Confeſſorem, debere intelligi approbatum,vt ſupra.

Quartò, quia eſt tutior, & in miniſtrandis,& recipiendis Sacramentis neceſſarijs ad ſalutem, ſemper tutiores opiniones amplecti debemus.

Et ratio eſt, quia obligatio charitatis qua tenemur prouidere proximo de remedio poſtulat,vt prouideamus remedia illa, quæ ſunt abſque periculo,quando id poſſumus abſque detrimento; ergo qui minus tutam opinionem amplecteretur non ſatisfaceret huic obligationi, præterea ſic eſt vſus vniuerſalis Eccleſiæ;ita docet Gabriel Vaſquez in 1.2.D.Thom.diſp.36.cap.3. Sayrus in lib.1.Clauis Regiæ cap.7.à num.6.Gregorius de Valent.tom.4.diſp.6.quæſt.2. dunct.1.& alij.

Quintò,quia eſt magis congrua honeſtati Religionis.

d Delectus habeatur, &c. Aduertant Prelati quas perſonas exponunt ad confeſsiones audiendas, ne fiant rei peccatorum Confeſſariorum, non enim ad honorandas perſonas tribuitur hæc facultas, ſed ad ſalutem animarum fidelium, & idoneitas Confeſſariorum non conſiſtit in ſola ſcientia, ſed etiam in bonitate vitæ, & prudentia.

e Nec niſi de licentia P.Generalis. Hic aduertendum eſt,quòd quamuis quis de licentia. P.Generalis & Conſultorum ſit admiſſus ad confeſsiones hominum audiendas; tamen ex concluſione facta in conſultatione die 16. Martij 1628. vt apparet ex libro Conſultationum fol.

23. li-

23.literæ teſtimoniales quæ patente vulgariter dicuntur, tradi non debent dicto Sacerdoti admiſſo, vſque dum per literas communes Capituli Domus à qua poſtulatus eſt, teſtatum ſit illum fuiſſe examinatum in Capitulo, & approbatum à maiori parte per vota ſecreta, iuxta ordinationem A. R. P. Generalis ſub titulo, *Ordini diuerſi per mantenimento dell'oſſeruanza, & buon gouerno, nu.24.*

Quamuis Conſtitutio non dicat ad licentiam P. Generalis debere præcedere approbationem Capituli Domus, in qua eſt aſſignatus, tamen vſus noſtræ Congregationis ſemper fuit, & eſt, vt præcedat, & poſtea ab eodem Capitulo communi epiſtola poſtuletur licentia à P. Generali

Amplius in Generali Capitulo anni 1618. fuit Decretũ, vt Sacerdotes, qui deinde eſſet exponendi ad confeſsiones audiendas, tam virorum, quàm mulierum, non ſolum prius à Præpoſito, & Capitulo Domus, vt mos erat, ſed à duabus partibus vocalium ex capitulariter congregatis, per ſecreta ſuffragia approbarentur: deinde verò res tota ad P. Generalem deferretur, qui ſimul cum maiori parte Conſultorum ſimiliter per ſecreta ſuffragia facultatem præſtarent. Videri enim poteſt Decretum p.3.cap 7.nu.20.

e.§.1. In hoc loco primo dubitari poſſet, ponamus, quòd Præpoſitus aliquis localis domus, proponat Capitulo Domus Sacerdotem pro confeſsionibus audiendis, & facto ſcrutinio viua voce non velit, vt pro tunc vota per ſecreta ſuffragia habeantur, quæ tamen ſic eſſent habenda. Quæritur, vtrum poſſit ſuſpendere hunc actum?

Reſpondeo, negatiuè regulariter, niſi aliqua iuſta. & rationabili cauſa ſubſiſtente arbitrio non ſolùm Præpoſiti, ſed etiam maioris partis Capituli id faceret. Probatur.

Primò. quia licèt Superiori liberum ſit Capitulum congregare, rem proponere, & de ea tractatum habere. Non tamen liberum videtur retrogredi, citra rationabilem

L cauſam

cauſam, cum id tendat in præiudicium Capituli: nam re propoſita in Capitulo, & tractatu viua voce habito, ius acquiſitum fuit capitularibus ſcrutandi demum per ſecreta ſuffragia, cum pertractatum res amplius non dicatur integra, vt colligitur ex text. in c. in cauſis de electione in illis verbis, *Cum res non eſſet integra*, quia in tractatum iam proceſſerant Electores, vbi Panor. num.7. poſt Innoc. vnde, quod à principio erat in voluntate Superioris, proponere videlicet rem illam in Capitulo; poſt factum ideſt propoſita re in Capitulo, & tractatu viua voce habito, factum eſt neceſſitatis, iuxta regulam iuris, quæ à principio ſunt voluntatis ex poſt facto ſunt neceſsitatis. l. ſicut C de act. & obligat. ita quod non poteſt amplius Superior retrogredi, & non ſcrutari per ſecreta ſuffragia ex ſuæ voluntatis beneplacito, abſque conſenſu Capituli, cui acquiſitum eſt ius.

Secundò, probatur ex Decreto noſtro capitulari p. 3. c. 7. num. 21. vbi traditur forma, quæ ſeruanda eſt in Capitulis domorum peragendis, nempe quod primò fiat ſcrutinium, & audiantur vocalium ſententiæ, ſecundò, vt res propoſitæ per ſecreta ſuffragia definiantur; ergo ſicut talis forma nõ poteſt in totum tolli, cum per legem præſcribatur, ita etiã non poteſt ſuſpendi citra rationabilem cauſam; & ita fuit deciſum in Capitulo Generali anni 1627. die 29. Aprilis, in Decreto, quod incipit. *In Capitulis domorum, &c.*

e.§.2. Secundò dubitari poſſet, ponamus, quod aliquis Sacerdos ſit approbatus à Capitulo domus ad confeſsiones audiendas, & licentiam obtinuerit à P. Generali, & Conſultoribus; & poſtea per annum, vel paulo minus, negligẽtia ſua, vel alia cauſa non ſe præſentauerit Epiſcopo loci pro licentia obtinenda. Quæritur, vtrum Præpoſitus domus poſsit, vel debeat denegare ei dimiſſoriam cum qua Sacerdos præſentari ſolet Epiſcopo ad obtinẽdam licentiã, niſi prius ſaltem à Capitulo domus de nouo approbetur?

Reſpon-

Reſpondeo, quod poteſt, & debet; & ratio eſt, quia cum ſit approbatus quoad mores poteſt eſſe, quod intra id tempus aliquid noui acciderit, vel aliqua res antiqua ſit manifeſtata, qua cognita, & conſiderata per Capitulum domus non ſit amplius admittendus ad confeſſiones audiendas, vt probant tradita à me ſupra cap. 4. verbo pro ſacris Ordinibus, &c. Dub. 5. , & tradita per Genuenſem in ſua practica Archiepiſcopali Neapolitana c. 38. nu. 4. Nec Epiſcopus eadem ratione, deberet eum admittere cum dimiſſorio à longo tempore obtenta; ſed hoc procedit quando eſſet admiſſus ad confeſſiones hominum audiendas; nam quando admittitur ad confeſſiones mulierum audiendas, non requiritur noua præſentatio Superioris Epiſcopo; quia ſtatim quod à P. Generali, & Conſultoribus licentiam obtinuerit, poterit mulierum confeſſiones audire, & dato quod ſtatim exequutioni non poſuerit dictam licentiam, nõ poteſt Præpoſitus localis abſque iuſta, & manifeſta cauſa dictam licentiam impedire. Sed aduertendum eſt, (quod etiam de ſacris Ordinibus aduertimus in loco præallegato) quòd ſi aliqua res noua non accidiſſet, nec res aliqua de nouo eſſet manifeſtata, non poſſet Capitulum domus illum reprobare, ſtante regula, quod ſemel approbatus in vno officio, ſeu munere in eodem, vel ſimili non poteſt reprobari, vt probatur in cap. accepimus, ibique gloſ. & Innoc. notant de ætate, & qualitate, ac idem Innoc. in cap. cum venerabilis, & Abbas num. 55. & Felin. num. 48. & Dec. num. 150. cum ſeq. de exceptionibus, & expreſsè habetur in c. Nulli licere de elect. in 6.

c. §. 3. Tertio dubitari poſſet; Ponamus, quòd Sacerdos aliquis ex noſtris non admiſſus ad confeſsiones audiendas, nec ab Epiſcopo nec à Superioribus noſtræ Congregationis, confeſsionem ſacramentalem audiret alicuius perſonæ, & eum abſolueret, dicens ſe abſoluiſſe eum à peccatis

venialibus tantum, & pœnitens ſimiliter diceret, ſe confeſſum eſſe peccata venialia tantum, vtrum iſte Sacerdos puniri poſſet à ſuo Superiore, & qua pœna? Reſpondeo, quod quamuis ſimplex Sacerdos poſsit abſoluere à peccatis venialibus, & ab eo abſolutus ſit validè abſolutus, vt docet Suarez in 3.p. D. Thom. tom. 4. diſp. 26. ſect. 5. & Megalis p. 1. lib. 1. cap 9. num. 27. & 28. tamen non poteſt miniſtrare Sacramentum pœnitentiæ, niſi prius ſit ab Epiſcopo loci examinatus, & approbatus, & à Superioribus noſtræ Religionis præſentatus dicto Epiſcopo, excepto in articulo mortis, vt patet ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſeruatione, vbi etiam in ſeſſ. 23. cap. 15. iam determinatum eſt, non obſtante quacunque conſuetudine etiam immemorabili, vel priuilegio. Et ratio eſt, quia ad Epiſcopum ſpectat videre an diſcernere ſciat dictus Sacerdos peccata venialia à mortalibus, & an ſit idoneus nec ne. Amplius Superior non tenetur credere Sacerdoti dicenti ſe abſoluiſſe pœnitentem à peccatis venialibus tantum. Vnde poteſt eum punire aliqua pœna arbitraria.

e § 4. Quarto dubitari poſſet, ponamus, quod P. Generalis licentiam conceſſerit alicui Sacerdoti audiendi confeſsiones in aliquo loco, nempe in Ciuitate Capuæ, & ibi ſit etiam ab Archiepiſcopo admiſſus; & poſtea Sacerdos ille diſcedat ab illo loco ex eo, quod in alia domo ſit aſsignatus à P. Generali, & tranſacto aliquo tempore ex ordine eiuſdem P. Generalis de nouo redeat in Ciuitatem Capuæ: Quæritur nunc, vtrum poſsit in illa Ciuitate Capuæ abſque noua licentia P. Generalis ſiue ſit idem, ſiue alius Generalis audire confeſsiones.

Reſpondeo quòd poteſt abſque noua licentia P. Generalis audire confeſsiones: nec poteſt P. Generalis licentiam primo datam reuocare, vel ſuſpendere abſque iuſta cauſa. Et ratio eſt, quia ſemel approbatus, non poteſt amplius reprobari

probari abſque legitima, & iuſta cauſa, iuxta tradita ſupra in hoc eodem loco dubit. 2. in fine. Et dato, quod P. Generalis poſſit ad libitum illam licentiam reuocare, non conuenire propter honorem, & æſtimationem ſacerdotis, ad quam Superior ſemper debet reſpicere: Quòd procedit dato quòd P. Generalis ex diſpẽſatione propter neceſſitatem loci conceſſerit dictam licentiam.

Dub. §. 5. Quintò dubitari poſſet. Ponamus, quòd aliquis ex noſtris ſacerdotibus (quod abſit) abſque licentia P. Generalis eſſet examinatus, & approbatus ab Epiſcopo loci ad confeſsiones ſacramentales audiendas: vtrum audiendo confeſsiones, & abſoluendo, fiãt validæ dictæ confeſſiones? Reſpondeo, quòd dubia res eſt, vt apparet ex Rodriquez t. 1. quæſt. regular. q. 60. art. 3. & Ioanne de Cruce de ſtatu Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 2. verſ. prima Concluſio, & Ludouico Miranda in ſuo manuali Prælatorum tit. 1. quæſt. 45. art. 12. in principio. Ideo ad tollendam hanc dubietatem poteſt Capitulum Generale noſtræ Religionis, vel P. Generalis vti priuilegio, quo æquè principaliter gaudet noſtra Religio, vt patet ex noſtro Compendio Priuilegiorum p. 1. in princ. §. 4. quod fecit Iulius II. anno Domini 1515. die 17. Ianuarij, vt refert Ioannes de Cruce, & Rodriquez in locis præallegatis, & Ludouicus Miranda in loco ſimiliter præallegato quæſt. 45. art. 12. concl. 1. in fauorem iuriſdictionis Prælatorum Ordinis Prædicatorum, quo annullat omnes licentias obtentas, & obtinendas in futurum à Fratribus dicti Ordinis, audiendi confeſsiones ſacramentales abſque conſenſu ſuorum Superiorum. Vnde intimando dictum priuilegium omnibus domibus noſtræ Religionis, & annullando licentias obtentas, & obtinendas deciſum eſſet dubium. Sed aduertendum eſt, quòd dato quòd Capitulum Generale vel noſter P. Generalis nollet vti dicto priuilegio, & dictus ſacerdos admiſſus ad cõfeſsiones audiẽdas abſque

licentia P. Generalis, eſſet opinionis, quod validæ eſſent dictæ confeſſiones: non poſſent vti noſtris priuilegijs in fauorem pœnitentium, & per conſequens non poſſet virtute illorum abſoluere à cenſuris, & caſibus reſeruatis, nec vota commutare, &c. ita tenet Rodriquez t. 1. quæſt. regul. q. 60. art. 3. Ioannes de Cruce de Stata Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 2. verſ. prima conclusio Erriquez de pœnit. lib. 3 cap. 6. ante num. 7. & in commento lit. z. & Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælatorum. t. 1. quæſt. 45. art. 12. concl. 2. & poſſet dictus ſacerdos puniri à ſuo Superiore, vt tenet Sot. in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 4. art. 3. circa finem, verſ. & ideo, qui inconſulto Prælato, &c. Rodriquez, vbi ſupra q. 60. art. 2. & Ludouicus Miranda, vbi ſupra, vbi etiam dicit, quòd peccat mortaliter, & in principio art. 12. & art. 11.

c. §. 6. Sextò dubitari poſſet, Ponamus, quod alicui ſacerdoti admiſſo iam ad confeſſiones audiendas à P. Generali, & ab Epiſcopo loci, à ſuo Præpoſito, & ex aliqua iuſta cauſa ſuo iudicio, extraiudicialiter interdicatur quo minus audiat confeſſiones ſacramentales, vel ſimpliciter vel alicuius perſonæ particularis. Vtrum audiendo confeſſiones, & abſoluendo contra dictam prohibitionem, confeſſiones ſint validæ. Reſpondeo, quod ſunt validæ, & ratio eſt, quia non eſt priuatio, nec ſuſpenſio, quæ iudicialiter fieri ſolet, ſed ſimplex prohibitio, quæ non annullat actum, bene verum eſt, quod dictus ſacerdos peccaret, & puniri poſſet à ſuo Superiore propter inobedientiam, ita docet Sot. in 4. ſent. diſt. 18. art. 3. circa finem, Rodoriquez in ſuis quæſt. regularibus t. 1. quæſt. 60. art. 3. Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum. t. 1 quæſt. 45. art. 13. concl. 1. 2. & 3. & Graffius in conſil. t. 1. conſil. 4. de pœnit. nu. 18. Dictum verò peccatum non eſſet mortale; niſi Præpoſitus feciſſet ei præceptum formale, vt colligi poteſt ex prooemio noſtrarum Conſtit. §. Quamuis autem, &c. & docet Miranda in

ſuo

cio Manuali Prælatorum.t.1.quæſt.45 art.12.in principio, & concl.2.

e.§.7. Septimò dubitari poſſet, vtrum P. Generalis poſſit ſuos ſubditos, aliàs approbatos à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus ad confeſſiones audiendas ſuſpendere ob occultum crimen etiam extraiudicialiter ſibi notum? Reſpõdeo, quod poteſt, & ita fuit declaratum à Sacra Congregatione noſtro P. Generali; tenor dictæ declarationis talis eſt.

Sacra Congregatio Cardinalium negocijs Regularium præpoſita cenſuit, Generalem poſſe ſuos ſubditos ex quacunque cauſa etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudicialiter à confeſsionibus audiendis ſuſpendere. Romæ die 2.Iulij 1627.

Laud.Cardinalis S.Sixti.

P. Fugnanus Secretarius.

f Qui ſi iam annus,&c. In Capitulo Generali anni 1610.fuit ſtatutum præſens Decretum.

Exacto in Sacra Theologia quadriennio nullus ad conciones, vel ſermones, ne ad Moniales quidem, vel ad mulieres in Congregatione viuentes, niſi poſt annum à die examinis, & approbationis admittatur, in quo caſuum conſcientiæ ſtudio, ac concionum compoſitioni ſedulã operã nauet. In Decretis p.2.c.5.n 18.

Hinc oritur dubitatio ſæpius diſcuſſa in Conſultatione P. Generalis: Ponamus, quod aliquis ſtudẽs Theologiæ ſcholaſticæ ſit ordinatus Sacerdos ante finem ſtudij, quo finito tranſactus ſit etiam annus Sacerdotij; Quæritur, vtrum poſsit P.Generalis, vna cũ Patribus Conſultoribus, abſque diſpenſatione, concedere ei licentiam audiendi confeſsio-

nes

nes cum ſit paratus exponere ſe examini nedum Epiſcopi, ſed etiam Religionis? & prima fronte videtur, quòd vigore præſentis Conſtitutionis, abſque aliqua diſpenſatione, poſsint illi talem licentiam concedere; Nec obſtare videtur ſupradictum Decretum, quia non tractat de facultate audiendi confeſsiones, ſed de licentia concionandi, vel ſermocinandi; tamen tempore ſecundi trienij Generalatus P.D. Andreæ Caſtaldi in Conſultatione poſt maturam diſcuſſionem fuit declaratum præſentem Conſtitutionem nõ procedere quo ad annum elapſum, tempore quo actu ſtudio Theologiæ quis vacat; vnde fuit declaratum non poſſe concedi licentiam ſupradictam audiendi confeſsiones abſque diſpenſatione ex aliqua iuſta cauſa, vt in dicta conſtitutione. Et ratio eſt, quia intentio, tam Conſtitutionis, quàm Capituli Generalis in dicto Decreto eſt, vt noſtri in illo anno poſt ſacerdotium ex profeſſo vacẽt ſtudio caſuũ conſcientiæ, quod fieri non poteſt, dum ex profeſſo vacant ſtudio Theologiæ ſcholaſticæ, quod ſtudium totum hominem requirit. Vnde ſicut non admittuntur ad examen Theologiæ ſcholaſticæ, qui ſtudio Theologiæ operam non dederunt per quatuor annos; ſic etiam non debent admitti ad confeſsiones audiendas illi ſacerdotes, qui ſaltem per annum ſtudio caſuum cõſcientiæ ex profeſſo operam non dederunt, & ſic pluries fuit obſeruatum in dicto triennio.

f. §. 1. Poteſt etiam dubitari in hoc loco, ſi aliquis clericus compleuiſſet ſtudium Theologiæ, & eſſet examinatus, & licentiatus in dicta ſcientia per ſpatium anni, antequam ſit ordinatus ſacerdos; vtrum poſsit admitti ad confeſsiones audiendas ſtatim poſt ſacerdotium, non expleto anno iuxta præſentem conſtitutionem?

Et videtur dicendum, quòd ſic, quia completo ſtudio Theologiæ, per annum vacauit ex profeſſo ſtudio caſuum con-

conſcientiæ iuxta Decretum ſupradictum in præcedenti dubitatione. Tamen vigore præſentis conſtitutionis non debet admitti, niſi expleto anno poſt ſacerdotium; nec obſtat Decretum ſupradictum, quia ratio expectandi annum poſt ſacerdotium non fuit ſola ad effectum, vt poſſit vacare ſtudio caſuum conſcientiæ: nam illi, qui ſtudio Theologiæ operam non dederunt, potuerunt dare operam ſtudio caſuum conſcientiæ per plures annos, & tamen non admittuntur ad confeſſiones audiendas ſtatim, ac ordinati ſunt ſacerdotes, niſi ex diſpenſatione ex aliqua iuſta cauſa, vt in præſenti conſtitutione, ſed etiã, vt ſit ætate maturior.

g Præpoſito, & Patribus ad id electis. Hic dubitari poteſt, vtrum iſta electio examinatorum poſſit fieri à ſolo Præpoſito, vel debeat fieri à Capitulo Domus?

Reſpondeo, quòd debet fieri à Capitulo domus. Et ratio eſt, quia quando conſtitutio, vult, vt fieri poſſit à ſolo Superiore, non appellat illam electionem, ſed deputationem vt clare apparet in par. 1. c. 7. ibi à P. Generali deputatis, & in Decretis par. 3. c. 3. num. 1.

Et ita fuit declarata conſtitutio ab A. R. P. D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Cõſultoribus die 13. Martij 1628. Et fuit etiam declaratum debere fieri per ſchedulas dictã electionem; vt patet ex libro conſultationũ fol. 22. à tergo.

De hac materia examinatorum, & examinis vide comment. quæ ſunt in Decretum p. 3. cap. 3. num. 1.

h Ne prius accedant, &c. Hæc verba poſſunt habere duplicem ſenſum vnus eſt, Ne prius accedant ad præſentandos ſe Epiſcopis ordinarijs, alter eſt, Ne prius accedant ad confeſsiones audiendas, & vterque ſenſus poteſt ſubſiſtere. Sed accipiendo illa in primo ſenſu, oritur dubitatio.

h.§.1. Si P.Generalis licentiam concederet alicui ſacerdoti audiendi confeſsiones Sacramentales, cum eſſet prius approbatus à Capitulo domus per vota ſecreta, vt in Decretis par.3.cap.7 num.20. & Præpoſitus domus nollet ei facere dimiſſoriam, quæ eſt facultas præſentādi ſe Epiſcopo ordinario. Vtrum ſit obligatus illam concedere: & non concedendo vtrum P. Generalis poſſit illam concedere? Reſpondeo, quòd ſi Præpoſitus domus habet iuſtam cauſam denegandi illam, quæ non ſit nota Patri Generali, & PP.Conſultoribus, poteſt differre illius conceſsionem, & interim cauſam manifeſtare illis, & poſtea exequi, quod ei fuerit iniunctum; ſed ſi cauſa erat prius nota P.Generali, & Conſultoribus, & illa non obſtante, licentiam conceſſerit non benè facit Præpoſitus denegando illam, & ſi perſeuerat in negatiua poteſt P.Generalis dicto ſacerdoti dimiſſoriam concedere, quia eſt primus Superior. Et ſi cauſa, quæ retinet dictum Præpoſitum ad dimiſſoriam concedendam, eſſet occulta, & nollet illam manifeſtare, poſſet P Generalis cum Conſultoribus illam concedere, vt dictum eſt ſupra, quia notitiam occultam, quam habet Præpoſitus, vel illam habet ex Sacramento pœnitentiæ, & non poteſt in hoc caſu vti illa notitia pro exteriori gubernatione, cum ſit ei expreſsè prohibitum per Decretum Clem. VIII. factum die 26 Maij anni 1593. vel illam notitiam habet per naturale ſecretum, & poteſt in hoc caſu illam manifeſtare P. Generali tanquam Patri ob bonum commune, quod præferri debet bono particulari; quia expedit Eccleſiæ habere bonos miſtros huius ſacramenti pœnitentiæ. Neque hæc reſolutio eſt contraria his, quæ diximus ſuperius cap.4. comment. 3. dub 3. quia ibi tractatur de perſona Generalis, qui eſt primus Superior, hic vero de Præpoſito locali, qui eſt inferior, & differt poteſtas vnius ab altero.

Si verba conſtitutionis accipiantur in ſecundo ſenſu, oritur

tur altera dubitatio, & eſt. Ponamus, quòd Sacerdos admiſſus ad confeſsiones audiendas tam à Capitulo domus, quàm à P.Generali,& Conſultoribus, & ab Epiſcopo ordinario, audiat confeſsiones ſacramentales abſque noua licentia Præpoſiti, vtrum ſint validæ dictæ confeſsiones? Reſpondeo, quòd ſic, quia habet poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis,& poteſtatem Præpoſiti, quam præſens conſtitutio requirit, eſt potius actus obedientiæ, & humilitatis, quàm iuriſdictionis; quo actu vti ſolemus ſemper, quãdo incipere ſolemus aliquod officium, vel obedientiam nobis impoſitam, etiam ab eodem Præpoſito.

[i] Ad mulierum confeſsiones audiendas,&c. In noſtra Congregatione fit diſtinctio inter Confeſſores virorum, & mulierum, ex qua diſtinctione oritur dubitatio, vtrum, ſi ſacerdos à noſtris Superioribus admiſſus ad audiendas confeſsiones virorum tantùm, & ab Epiſcopo ordinario ſimpliciter ſit admiſſus ad confeſsiones Fidelium audiendas, de facto audiat confeſsiones mulierum, & illas abſoluat, ſint bene abſolutæ? Reſpondeo, quod duæ poſſunt eſſe opiniones, vna, quod non ſint bene abſolutæ, & ratio eſt, quia, dum à noſtris Superioribus limitatè ſit admiſſus ed confeſsiones audiendas,limitatè etiam intelligitur approbatus ab Epiſcopo ordinario, quia non præſumitur, quòd Epiſcopus maiorem facultatem velit illi concedere ea, quam prædictus ſacerdos à ſuis Superioribus habuerit, vnde cum non habeat facultatem mulieres abſoluendi, ſi aliter illas abſoluat, non tenet abſolutio.

Altera opinio poteſt eſſe, quòd licèt ſacerdos ille malè fecerit, & poſsit puniri à ſuis Superioribus, tamen illæ mulieres ſint abſolutæ, & confeſsiones ſint validæ.

Probatur primò, quia quando Superior noſtræ Religionis facit illi dimiſſoriam,& approbat,& præſentat Epiſco-

po ordinario, vt illum admittat ad confeſſiones fidelium audiendas ſimpliciter illum approbat, abſque vlla limitatione, & Epiſcopus ſimiliter ſimpliciter approbat, & admittit: Ergo cũ ſimpliciter ſit approbatus, ſequitur, quod facultatem habeat: Et per conſequens ſint bene abſolutæ mulieres illæ. Et confirmatur, quia quando à noſtris Superioribus, tranſacto aliquo tempore, eſt illi conceſſa facultas audiendi confeſſiones mulierum, dictus confeſſarius nõ accipit nouam facultatem ab Epiſcopo: nec noſtri Superiores iterum illum præſentant Epiſcopo: vnde mens noſtrorum Superiorum eſt, vt noſtri Confeſſarij habeant totam illam facultatem, quæ nobis conceſſa eſt à Sede Apoſtolica per Clem. Dudum, §.2. de ſepulturis, & prohibitio nõ audiendi confeſſiones mulierum abſque noua licentia Superiorum introducta in noſtra Religione fuit tãtùm propter quandam decentiam.

Secundò. Dictus Confeſſarius publicè audit confeſſiones ſacramentales, & iuſto titulo; nec mulieres (communiter) ſciunt hanc diſtinctionem, quam nos facimus. Ergo cùm adſit iuſtus Titulus, & communis error, ſequitur, quod abſolutiones ſint validæ per tex. in l. Barbarius, ff. de officio Prætoris, & docet Suarez de cẽſuris t.5. diſt.11. ſect. 2. n.14. Vgolinus de cenſuris in genere tabula.1.c.13.§.16. nu.12. & alij. vtraque opinio eſt probabilis.

i.§.1. Poſſet amplius quis dubitare, vtrum peccet dictus Confeſſarius audiendo confeſſiones ſacramentales mulierum abſque noua licentia ſuorum Superiorũ, & quod peccatum ſit? Reſpondeo. Quod ſi Confeſſarius tenet primã opinionem non eſſe improbabilem, peccat mortaliter. Et ratio eſt, quia facit contra charitatem proximi in re notabili, ſequendo opinionem minus tutam in adminiſtratione ſacramentorum. Nam charitas, qua tenemur prouidere proximo de remedio pro ſalute animæ, poſtulat, vt prouideamus

uideamus illo remedio, quod eſt abſque periculo, quando id poſſumus abſque detrimento: Ergo Confeſſarius eligẽdo minus tutam opinionem, non ſatisfacit huic obligationi, & per conſequens peccat mortaliter. Et confirmatur ex vſu vniuerſalis Eccleſiæ, quæ in adminiſtratione ſacramentorum, ſemper amplectitur opiniones magis tutas; ita Vaſquez in 1.2.D.Tho.diſput.63.cap.3. & alij, quos refert & ſequitur Sayrus in lib.1.clauis Regiæ cap.7.nu.2. & 6. Excipitur quando adeſſet aliqua iuſta cauſa, & inopinata, quia in hoc caſu, cum non poſſet adire Superiorem, poſſet præſupponere eius voluntatem.

k Exponantur, &c. Quomodo ſint exponendi Sacerdotes ad mulierum confeſſiones; Vide Decretum Capituli Generalis anni 1627. die 30. Aprilis, quod incipit. *Vt autem ad mulierum confeſsiones, &c.*

l Domus mulierum, &c. Religioſi mulierum conſortium, & familiaritatem vitare debent, vt late demonſtrat Mag ſter Vincentius Bandinellus Generalis Ordinis Prædicatorum in ſuis Commentarijs in Conſtitutiones ſui Ordinis, diſt.1. cap.18.fol.63.col.1.vſque ad verſ. 8. ſiquis per, & c. excluſiuè, quem vide.

m Pertinere minime videantur. Operæpreciũ duxi, hic ponere ſubſtantiam Conſtitutionis Gregorij XV. contra ſollicitantes in confeſſionibus, & aliqua circa eius intelligentiam annotare. Verba Conſtitutionis hæc ſunt.

Vniuerſi Dominici Gregis, &c. Qui perſonas, quæcunque illæ ſint ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu ſacramentalis confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediate,

ſeu

ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſequuta, ſiue extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocunque vbi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel procurare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquiſitionis ſeueriſſimè, vt infra puniantur, &c. & paulò poſt ſequitur: mandantes omnibus Confeſſarijs, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs, vt ſupra ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, vt præfertur tractantes Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinarijs prædictis, quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandū Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, vt ſupra, idem locorum Ordinarijs, & Inquiſitoribus illos pro modo culpæ punire non negligant. Fuit publicata die prima menſis Septembris anni 1622.

Circa ſupradictam Conſtitutionem eſt primò notandū, quod de hac materia tractat Pius IV. in Bulla 4 quæ incipit *Cum nuper*. & Paulus V. in Bulla quæ incipit *Dilecte fili*, edita die 16 Septemb. 1608. ſed generaliter non loquuntur, ſicut Gregor. XV. in præſenti Conſtitutione loquitur.

Secundò. Eſt notandum, quòd ſollicitare ſignificat prouocare, ſeu allicere, ſeu precibus rogare, ſeu inuitare ad turpia, & inhoneſta, ſeu ad res carnales, & venereas.

Tertiò. Eſt notandum, quòd præceptum denunciandi Confeſ-

Confeſſarium ſollicitantem obligat ſub mortali, ita Rodericus à Chuna in ſuo tractatu de ſollicitantibus q. 20. nu. 1. & q. 21. nu. 6. & ſeq. Santarellus in ſuo tract. de crimine hæreſis, & apoſtaſiæ cap. 46. nu. 10. & alij.

Quarto. Eſt notandum, quòd pœnitens tenetur ſub præcepto denunciare Confeſſarium ſollicitantem ad turpia, & inhoneſta, vt patet in dicta Conſtitutione.

Amplio primo, ſupradictum quartum notabile, ſiue pœnitens conſenſerit prouocationi, & ſollicitationi, ſiue non. Et ſi conſenſerit, non tenetur manifeſtare propriam turpitudinem, quam commiſit cum Confeſſario, vel ſe conſenſum ad malum præbuiſſe ſollicitanti, ſed hoc reticere poterit, & manifeſtare ſolum ſollicitantem ex zelo fidei, vel vt peccatum euitetur. Et ita fuiſſe declaratum per Cõgregationem Sancti Officij Inquiſitionis audiui à fidedigno. Vnde Epiſcopi, & Inquiſitores non debent pœnitentes interrogare, an conſenſerint, & ſi de facto interrogent, non tenentur reſpondere ſecundum intentionem Iudicis, ita docet Rodericus à Chuna q. 10. nu. 7. in fine, & Santarellus in tract. de Hæreſi cap. 44. nu. 12.

Et ſi de facto pœnitens manifeſtaret crimen patratum cum Confeſſario, non eſt ob id puniendus, quia denunciatio non præcipitur, vt pœnitens puniatur; ſed Confeſſarius, qui pœnitentem ſollicitauit, Rodericus à Chuna q. 44. num. 5. & alij.

Amplio ſecundo; ſiue expreſſis verbis, ſiue tacitis alliciat; ita Bonacina in dicto decr. diſput. 6. puncto 3. propoſit. 2. num. 5.

Amplio tertio, ſiue perſona ſollicitata ſit mas, ſiue fœmina; ita Santarellus in tract. de Hæreſi cap. 45. Rodericus à Chuna in tract. de Sollicitantibus q. 6. Emanuel Roderiquez t. 1. quæſt. Regularium, q. 59. art. 4. & t. 2. q. 27. art. 3.

Amplio

Amplio quarto, ſiue ſollicitauit ad peccandum cum ſe, ſiue cum alio, vt patet ex dicta Conſtit. Greg. XV.

Limito primo, ſupradictum quartum notabile non procedere ſi ſollicitatio non ſit ad venerea, ſed ad alia peccata, ita Rodericus à Chuna in ſuo tract. de Sollicitantibus, q.8.nu.6. & ſeq. Santarellus de Hæreſi c.46.nu.1. & alij, & Bonacina vbi ſup. ſub nu.7.limit.1. & nu.13.

Limito ſecundo modo, denunciatio fieri poſſit ſine graui damno, & incommodo vitæ, honoris, & famæ pœnitentis, ita Rodericus à Chuna q. 19.

Limito tertio, non procedere in ſollicitatione facta in alijs Sacramentis, vt miniſtrando ſacramentum Baptiſmi, Matrimonij, &c. Rodericus à Chuna q 16.nu.4. Santarelrellus in tract. de Hæreſi cap. 46. num. 5. & Bonacina vbi ſupra num.14.

Quintò. Eſt notandum, quòd denunciator in hoc caſu tenetur denunciare, dato, quod probare non poſſit, quod dicit, & dato, quod fiat Inquiſitori tanquam Iudici, ita Rodericus à Chuna q.10. & Santarellus de Hæreſi cap.44.nu. 12. & Bonacina vbi ſup. nu.11. in fine.

Sextò. Eſt notandum, quòd hoc delictum probatur etiã per teſtes ſingulares, quia alias probari non poſſet, vt patet ex Conſtit. Greg. XV. Non tamen plene probatur teſtimonio duarum fœminarum, quia fœminæ ſunt leues, & mutabiles, pronæ ad odium, & indignationem, & ad accuſandum; Et licet in qualibet cauſa duo teſtes plenè probare dicantur, l. vbi numerus, ff. de teſtibus, c.ſi teſtis 4.q.3. tamen prædicta Iura ſunt intelligenda de teſtibus omni exceptione maioribus.

His notatis, nunc explicanda ſunt aliqua dubia pro eiuſdem Conſtitutionis intelligentia, quorum

Primum eſt, Vtrum pœnitens teneatur denunciare Cõfeſſarium, quem ipſe pœnitens ſollicitauit expreſsè, vel tacitè,

tacitè, & ad peccatum venereum induxil? Reſpondeo negatiuè; & ratio eſt, quia in Bullis ſermo eſt de Confeſſarijs ſollicitantibus, hic autem non ſollicitauit pœnitentem, ſed ipſe ſollicitatus fuit à pœnitente. ità Rodericus à Chuna quæſt. 11. num. 4. & ibi Seraphinus de Freitas in Addit. quæſt. 11. num. 24. Santarellus de hæreſi cap. 46. nu. 2. ſecus ſi pœnitens aperuiſſet animum ſuum Confeſſario animo confitendi ſuam tentationem, & petēdi conſiliū, & Confeſſarius anſam ſumpſiſſet explendi libidinem, quia in hoc caſu diceretur ſollicitaſſe pœnitentem.

Secundum dubium eſt, vtrum fœmina teneatur deferre confeſſarium, qui eam induxit, vt filiam proſtituat, ſeu aliā inducat ad peccandum ſecum, vel cum alio. Reſpondeo teneri, manifeſtare ſollicitationem, & poteſt tacere ſuum peccatum; quia in preſenti Coonſtitutione Gregorij XV. non ſolùm prohibetur ſollicitare pœnitentem ad peccandum ſecum, vel cum alio, verùm etiam interdicuntur ſermones, ſiue tractatus inhoneſti, vt patet ex illis verbis, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint. ita Suarez, & alij, quos refert, & ſequitur Roderiq. à Chuna de ſollicitantibus q. 17. n. 9. & 12. & ibi etiam Seraph. à Freitas n. 14. Graff. in conſ. 1. de cognat. ſpirituali num. 38 & Bonacina de onere, & obligatione denunciandi diſp. 6. punct. 3. num. 19.

Tertium dubium eſt, vtrum Confeſſarius à fœmina in confeſſione ſollicitatus, teneatur fœminam S. Inquiſitionis Officio deferre? Reſpondeo negatiuè. ita Rodericus à Chuna de ſollicitantibus q. 9. num. 3. Santarellus de hæreſi cap. 46. nu. 4. contra Paramum. q. 10. in fine, & Bonatina, vbi ſup. num. 20.

Quartum dubium eſt, vtrum illa, quæ eſt filia ſpiritualis Sacerdotis ratione Sacramenti Baptiſmi vel confirmationis, teneatur denunciare Patrem ſpiritualem à quo ſollici-

tata fuit ad venerea? Reſpondeo negotiuè, ſi ſollicitata fuit alia occaſione, quam occaſione, ſeu prætextu, vel ſimulatione confeſſionis, & ratio eſt, quia præfatæ Conſtitutiones loquuntur de perſonis, quæ ad venerea ſollicitantur, aut alliciuntur in confeſsione, vel prætextu confeſſionis, &c. ita Graffius 1. par. deciſ. lib. 2. cap. 48. num. 16. & de caſibus reſeruatis lib. 2. cap. 12. num. 29. Emanuel Rodriquez in quæſt. regularibus quæſt. 27. art. 2. Rodericus à Chuna de ſollicitantibus quæſt. 5. num. 15. & Santarellus de hæreſi cap. 44. num. 15. & Bonacina vbi ſup. num. 21.

Quintum dubium eſt, quibus pœnis afficiantur Sacerdotes ſollicitantes pœnitentes in confeſsione, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſsionis iuxta ſupradicta? Reſpondeo, quod grauibus pœnis afficiendi ſunt pro qualitate criminis, vt expreſſè decernitur in ipſa Bulla Gregorij XV. ibi.

Et quos in aliquo huiuſmodi nefarijs exceſsibus culpabiles reperirent in eos, pro criminum qualitate, & circunſtantijs, ſuſpenſionem ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & Officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ab illa, nec non vocis actiuæ, & paſsiuæ, ſi Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum, abſque vlla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant, eos quoque, ſi pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ ſeculari puniendos tradant.

De regendis Monialibus.[a] Cap. VI. a

Summa Capitis VI. Conſtitutionum.

Mulierum in Congregatione viuentium confeſsiones Confeſſarij audire non poſsunt regulariter; fallit ſi vt extraordinarij mittantur. num. 1.

Moniales S. Mariæ de Sapientia ſub noſtro regimine retinemus. num. 2.

Ordinarium, & Confeſſarium earum quis eligere & reficere poterit. ibidem. V. P. Generalis.

Viſitanda ſunt quotannis à Viſitatoribus noſtris. num. 3.

Priuata munuſcula neque ab ijs neque ab alijs Monialibus recipiantur. ibid. V. Priuata munuſcula.

Seminaria nulli noſtrum regere permittatur. ibid. V. nulli noſtrũ.

1 AD Monialium aliarumq; mulierũ in Congregatione viuentium confeſsiones audiendas, ne quis noſtrum mittatur. [b] Liberum tamen b ſit Præpoſitis id bis in anno, aut ter, vt præſcribit Concilium Tridentinum pro confeſsionibus extraordinarijs concedere.

2 Moniales monaſterij S. Mariæ de Sapientia, Neapoli, quòd à ſorore Pauli IV. Congregationis noſtræ Inſtitutoris extructum ſit, ſolas ſub noſtro regimine retinemus. P. Generalis de Conſultorum conſilio [c] Sacerdotem confeſ- c

c ſarium pro illis audiendis eligat: aliumq; ex Patribus aliquem loco Ordinarij [d] qui eas regat, & moderetur, ac de cæteris rebus curam habeat: tamen, vt is eo tempore, ne ſit Præpoſitus. Ordinarius, & Confeſſarius quotannis, ſi videbitur, ijdem in eodem munere, reficiantur, verum vltra triennium prorogari, aut ſibi inter ſe [e] alter alteri ſuccedere non poſſint. d e

3 Viſitatores pro Romana, & Neapolitana Prouincia, cum domos noſtras quotannis viſitabunt, Sanctimoniales huiuſmodi, eodē quo fratres noſtros modo, & ordine viſitent. Priuata munuſcola, neque ab ijs, neque ab quibuſuis alijs Monialibus recipiantur. Nulli Noſtrum regere Seminaria, aut curam illorum habere permittatur.

Commentaria in Caput VI.

Summa Commentariorum ſuper Caput VI.

Conſultores in quibus caſibus habeant votum conſultiuum, & in quibus deciſiuum cum P. Generali. lit. c.

Ad conſtituendum Ordinarium monaſterij Sapientiæ, requiritur conſilium Conſultorum. lit. d.

Con-

Confeſſarius monaſterij Sapientiæ non ſolum non poteſt confirmari in dicto officio Confeſſarij vltra triennium: ſed nec etiam expleto triennio, poteſt immediatè eligi in officium Ordinarij eiuſdem monaſtery; & è contra. lit. c.

a CVM hac rubrica concordat rubrica, quæ eſt in Decretis Capitularibus p.1.c.4.Vide Decreta, quæ ibi ſunt.

b Mittatur. Et dato, quòd mittatur, vel ex ſe eat, illarum confeſſiones, non poterit abſque licentia P. Generalis audire ſi non ſint Moniales, vt patet ex Decrero Capituli Generalis p.1. c.4. nu.1. Etſi ſint Moniales abſque licentia illarum Superiorum, vltra licentiam noſtri P. Generalis.

Quando verò mittuntur, vt Confeſſarij extraordinarij non requiritur dicta licentia P. Generalis, vt patet ex præſenti Conſtitutione, ibi *liberum tamen ſit*. Et Decretum ſupradictum procedit in alijs temporibus.

Aduertendum eſt, quòd non omnes Confeſſarij mulierum nunc mitti poſſunt ad audiendas Monialium confeſſiones, ſed qui probati ſunt in Deffinitorio, vt ſtatutum eſt in Decreto Capituli Generalis anni 1627. 30. Aprilis. quod incipit *In Deffinitorio probentur &c.*

c P. Generalis de Conſultorum conſilio &c. In quibus caſibus Conſultores habeant votum conſultiuum, & in quibus deciſiuum in negocijs agendis vna cum P. Generali habetur infra in fine præſentis operis in Appendice.

d Ordinarij. Quæritur vtrum ad conſtituendum Ordinarium S. Mariæ Sapientiæ requiratur conſilium Conſulto-

ſultorum, ſicut in electione Confeſſarij? Reſpondeo affirmatiuè, vt patet ex dicta Conſtitutione ſi rectè conſideretur; Et ſic eſt vſus.

c Aut ſibi inter ſe alter alteri ſuccedere non poſsint. Nota quòd Confeſſarius non ſolum non poteſt confirmari in dicto officio Confeſſarij vltra triennium: ſed nec etiam expleto triennio poteſt immediatè eligi in officium Ordinarij eiuſdem monaſterij, & ſimiliter Ordinarius expleto triennio ſui officij, non poteſt immediatè eligi in officium Confeſſarij eiuſdem monaſterij. Quia intentio Conditorum Conſtitutionis fuit, vt non poſſet quis vltra triennium exercere officium in dicto monaſterio.

Immo ſiquis exerceret officium Confeſſarij per duos annos in dicto monaſterio, & poſtea immediatè eſſet electus in officium Ordinarij, non poſſet permanere in dicto officio Ordinarij, niſi per vnum annum.

Finito triennio quanto tempore vacare debeat Confeſſarius, vel Ordinarius, vt iterum refici poſſit, non explicat Conſtitutio. Tamen vſus eſt, vt per triennium vacet, ſicut in noſtra Religione ſeruari ſolet, vt patet in conſtit. p. 3. c. 4. ibi, *Qui Præpoſiti munere, &c.*

De Monialibus. Vide tractatum de ſacris Monialibus Ludouici Mirandæ in ſuo Manuali Prælat. t. 1. in fine.

De Viſitatione Monialium vide infra, in Appendice.

De Concionatoribus. Cap. VII.

Summa Capitis VII. Conſtitutionum.

Concionandi munus quibus concedi poſſit, & quibus negari debeat & à quo. num. 1.

Concio-

Concionatori peregre abeunti ſocius deſignetur, eiq; obediat. nu. 2.
Prope tempus concionandi proficiſcantur. ibid. Ne deflectant de via. ibid. Viaticum quæ domus ſoluat. ibid.
Concionatores eleemoſynas pro ſtipendio ne petant, neque eo nomine oblatas recipiant. num. 3.
Alio nomine vltro data cui demui aſsignanda. ibid.
Exemptio à Choro quibus Prædicatoribus eſt concedenda. num. 4.

1 AD munus [a] concionandi deputen- a
tur qui bonæ indolis ſint, virtutiſque ſpecimẽ dederint. Ij primum Superioris conceſſu priuatis declamationibus inter communem refectionem ſe
2 exercitent, deinde palam prædicent, facultatem ſolus Præpoſitus Generalis tribuat, & nõ-niſi ij qui Philoſophiæ prius operam dederint, & ſacræ Theologiæ ſtudium abſoluerint, vel eius lectiones ſaltem per triennium audierint, & concluſiones Philoſophiæ, & Theologiæ defenderint; & præter virtutis, & morum teſtimonium à duobus, aut tribus Patribus ad id à Patre Generali deputatis accuratè prius de Philoſophiæ, Theologiæ, & Conſcientiæ Caſibus examinati, & approbati fuerint. Illis qui id nimis auidè, & non ex proximi charitate appetere videbuntur, ne facilè cõcedatur. Qui prædicare [b] non valebũt, quin cibis Quadrageſimali ieiunio vetitis vtantur, ne cenſe- b

antur

antur idonei ad concionandum, niſi forte morbus caſu acciderit.

In concionando ei rei potiſsimum opera detur, vt Auditorum mores probè informentur, & ad Dei amorem excitentur animi, atque inflammentur. Ab inutilibus rerum, & verborum lenocinijs abſtineatur. Qui contrafecerint, eis prædicandi facultas ne detur. Quod ſi eam habeant, & à Superioribus ſæpe moniti non ſe correxerint, à Generali Præpoſitos prędicandi facultate priuentur.

2 In Ciuitatibus[c] vbi nos habitare contigerit, & in eccleſijs noſtris, quoad eius fieri poteſt, ſtudeãt Noſtri prædicare. Quod ſi iuſta cauſſa nata fuerit, de Præpoſiti Generalis licentia alio ad prædicandum mitti poterunt: ſocium[d] tamen quiſque habeat virum probum, & modeſtum à ſuo Præpoſito datum, qui in itinere, & dum prædicat, concionatorem comitetur, quique ei tanquam ſuo Prępoſito in rebus omnibus obediat. A domibus aſsignatis prope tempus prædicandi recta proficiſcantur, nec deflectant via. Viaticum à Patribus loci, vbi prædicauerit perſoluetur. c d

3 Nemo Noſtrum eleemoſynas, [e] quaſi ſuæ prædicationis ſtipendium petat, aut etiam eo e

nomine

nomine oblatas accipiat: ſed eas tantùm quæ à fidelibus ſponte datæ fuerint. Quæ omnes, f exceptis ſui itineris impenſis, illius domus eſſe cenſeantur, in cuius eccleſia, ſiue Ciuitate prædicauerit, niſi fortè à ſæcularibus nominatim alicui domui fuerint deſtinatæ.

Qui quotidie concionem habuerint, Chori omnino ſint immunes. Qui ſolis Dominicis, & feſtis, ij ſemel ſaltem in diebus ſingulis à Choro exemptionem habeant: niſi Præpoſito æqua de cauſa videatur crebrior exeptio concedenda. Qui ad Moniales, vel in Oratorijs ſermones habent, Superioris arbitratu, exemptionem aliquam obtineant.

Commentaria in Caput VII.

Summa Commentariorum ſuper Caput VII.

Præpoſitus localis poteſt licentiam dare prædicatori ſibi ſubdito prædicandi in ſua eccleſia, & in alijs eiuſdem Ciuitatis. lit. c.

Præpoſitus ſolus abſque Capitulo domus poteſt deſignare ſocium Prædicatoribus, vel, alijs qui extra Ciuitatem mittuntur, ſi à P. Generali non ſit nominatus. lit. d.

Quænam impediant ſalutem animarum. lit. e.

Quæ domus ſubminiſtrare tenentur neceſſaria Prædicatoribus; & eleemoſynæ illis datæ cuius domus cenſeantur. lit f.

a MVNVS concionandi, &c. Lectores Philoſophiæ, vel Theologiæ non ſunt mittendi ad concionandum in Quadrageſima. in Decretis p.2.c.5.nu.2.

b Qui prædicare, &c. P. Generalis poterit quãdoque diſpenſare, vt patet in Decretis p.3.c.5.n.4.

c In Ciuitatibus, &c. Hic dubitari poſſet, Vtrum Præpoſiti locales poſſint licentiam dare Prædicatori ſuo ſubdito prædicandi in ſuis eccleſijs? & etiam in alijs eiuſdem Ciuitatis? Reſpondetur quod ſic, & ita fuit declaratũ à P. D. Eliſeo Nardino, & ſuis Conſultoribus anno 1605.

d Socium tamen, &c. Hic dubitari poſſet, Vtrũ Præpoſitus ſolus abſque Capituli domus, poſſit ſocium dare Prædicatoribus, vel alijs, qui ex vrgenti cauſa extra Ciuitatem mittuntur, & extra illam pernoctant, dũ à P. Generali non fuerit nominatus. Reſpondetur, quod ſic, quia Conſtitutio nullam mentionem facit de Capitulo, ſed tantum de Præpoſito. Et ita fuit declaratum à P. D. Eliſeo Nardino Generali, & ſuis Conſultoribus anno 1606.

e Eleemoſynas. Tria præcipuè ſunt, quæ ſalutẽ impediunt animarum. Primum eſt quæſtus, & præcipuè immoderatus: vel auiditas habendi bona temporalia. Secundum, officia odioſa, & negocia ſæcularia, ex quibus frequenter conturbatur hominum deuotio ad Religionem. Tertium eſt, nimia auſteritas in conſilijs, & opinionibus. Ita habetur in Prologo Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, in declaratione *Animarum ſalutem, ſeu fructum.* lit.1.fol.11.col.4.

Quæ

f Quæ omnes, &c. Præpoſiti domorum tenentur aſſignare ſocios, aliaq; neceſſaria ſibi de familia ſubditis, qui à P. Generali gratia Verbi Dei prædicationis mittuntur ad loca, vel Ciuitates, in quibus nobis domicilium non eſt, vel etiam mittantur ad loca alicuius Diœceſis. dato quod in Ciuitate, vel in alio loco eiuſdem Diœceſis nobis domus eſſet, & omnes eleemoſynæ ijs Concionatoribus, tàm a communitatibus, quàm à particularibus perſonis oblatæ, ſint illarum domorum in quibus erant aſſignati, cum ad prædicandum diſceſſerunt, & illarum Superioribus teneantur rationem reddere; ſi verò eleemoſynæ eſſent rerum commeſtibilium, vel aliarum rerum, quæ commodè aſportari non poſſent ad dictas domos aſſignationis: in hoc caſu vendere illas non poſſint, ſed teneantur illas dari domui viciniori noſtræ Congregationis, vel domui ſitæ in Diœceſi loci, in quo prædicauerunt, & ita fuit declaratus iſte locus Conſtitutionis ab A R. P. Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus die 12. Iulij 1927.

De Oratione Mentali[a]. Cap. VIII.

Summa Capitis VIII. Conſtitutionum.

Oratio mentalis per dimidiam horam bis in die habeatur in Choro, vel in eccleſia. num. 1.

Conſcientia examen bis in die habeatur. num. 2.

Pro benefactoribus orandum eſt poſt cœnam in eccleſia. nu. 3.

Silentium ſeruetur dum poſt cœnam lauantur manus, & in eccleſiam abeunt. ibidem.

1 SEMPER quidem, vt ipſa Veritas pronunciat, oportet orare: præcipuè tamen bis in ſingulos dies, ſigno dato, ad communem orationem, magno tam animi, quàm corporis ſilentio, & quiete, per horæ dimidiæ ſpatium nixi genibus oremus; idq; fiat, primum quidem ſtatim poſt perſolutas preces Matutinas: deinde verò ſi ſit hyems, prima nocte: ſin æſtas, ſtatim poſt meridianam quietem. Oremus autem ſimul in Choro, vel in eccleſia quoad eius fieri poterit.

2 Bis etiam in die [b], ſemel ante prandium, iterum antequam eatur cubitum, rationem dicti, facti, cogitati nobiſcum putemus. b

3 Quotidie poſt cænam, & gratias de more actas, lotis cum ſilentio manibus abeant in eccleſiam, Deum pro benefactoribus, præſertim quos in menſa recitatos audiùerint, oraturi.

Commentaria in Caput VIII.

Summa Commentariorum ſuper Caput VIII.

Quiſnam ſit contritionis effectus. lit. b.

VIDE

a VIDE omnino de hac materia in Decretis p.1.cap.5.

b Bis etiam, &c. Facto examine cõſcientiæ debemus promere actum contritionis; nam ad hunc finem fieri mandatur conſcientiæ examen, & præterquam, quod eſt actus charitatis, & meritorius, per eam delentur peccata, etiam mortalia, in quacunqae grauitate, & numero ſint, vt docet D. Tho. in 3 p.q. 86 ar. 1. & remittitur non ſolum reatus pœnæ æternæ, vt habetur ea Conc. Trid ſeſſ.6.c.14. & docet Suarez de pœnitentia to.4. diſp 10. ſect.2. ſed etiam pars pœnæ temporalis iuxta proportionem contritionis, ita Suarez vbi ſupra ſect.3.n.9. & pœna, quæ relinquitur poſt remiſſionem culpæ per primum actum contritionis, poteſt tolli per ſubſequentem actum contritionis; immò talis, & tanta poteſt eſſe contritio, vt omnem pœnam temporalem remittat, vt docent communiter Theologi, & præcipuè D. Tho. in 4. contra gentes cap.72. & Patres, atque Expoſitores. Luc.7. ita cenſent accidiſſe in facto S. Mariæ Magdalenæ.

De ſuſcipiendis Sacramentis.[a] Cap. IX.

Summa Capitis IX. Conſtitutionum.

Confeſsio ſacramentalis ſumptioni Eucharistiæ eſt præmittenda à noſtris Clericis & laicis. num. 1.

Sacerdotes quotidie celebrent, & ſæpius in hebdomada confiteantur. num. 2.

Confeſsarios pro noſtrorum confeſsionibus audiendis Præpoſitus deputet,

putet, & ex eis cui voluerit quiſque confiteatur. num. 3.
Communicandi quibus diebus noſtri Clerici & laici ſimul ſunt, n. 4
Miſſam quotidie audiant Clerici & laici, & Sacerdotes quibus diebus ſacrum non fecerint. nu. 5.
Infirmis, qui in lectulis diurno tempore detinentur ſemel in menſe ſacratiſsimum Domini Corpus deferatur. num. 6.
Infirmis Sacramenta oportunè ſunt miniſtranda, & ad Cæleſtem patriam ſunt diſponendi. ibidem.

VNA cum orationis aſsiduitate cõ-
iungendus etiam nobis eſt frequẽs
1 Sacramentorũ vſus. Quare Cle-
rici, & laici, & ſi mortiferi pec-
cati ſibi conſcij non ſint, tamen ad ſacroſanctũ
Euchariſtiæ Sacramentum, ne ante accedant,
quàm ſe per confeſsionem [b], quo æquum eſt, b
2 pij animi ſtudio, reddiderint puriores. Sacer-
dotes, qui quotidie celebrant, ſi non ſingulis
diebus, ſaltem id ſæpius in hebdomada faciãt.
3 Confitebitur [c] autem quiſque noſtrũ ſuo Præ- c
poſito, aut cui volet ex Confeſſarijs quos Præ-
poſitus deputauerit. Sacerdotes [d] quotidie d
Miſſam celebrent; ſi impediti fuerint, re Su-
periori ſignificata, ab eo licentiam impetrent.
4 Clerici, & laici diebus Dominicis, & præci-
puis feſtis, videlicet, Chriſti Domini Beatæ
Mariæ Virginis, & SS. Apoſtolorum in Heb-
domada incidentibus, ſimul communicent [e]. e

Miſſam

5 Miſſam audiant Clerici, & laici quotidie: Sacerdotes, quibus diebus Sacrum non fecerint.

6 Qui in lectulis diuturno morbo detinentur, ad eos ſemel in menſe, Sacratiſsimum Domini Corpus deferatur. Vbi morbus ingraueſcet, curabit Præpoſitus, vt non modo Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Vnctionis extremæ oportunè miniſtrentur, verum etiam, vt aliqui præſto ſint, qui eos moneant, conſolentur, & ad cæleſtem patriam diſponant, & inſtruant. Cùm vicinam mortem intelligunt, ſigno dato, omnes vnà fratres in decumbeutis cellulam conueniant, egredientemq; animam Pſalmis atque orationibus comitentur.

Commentaria in Caput IX.

Summa Ccmmentariorum ſuper Caput IX.

Confiteri omittens aliquis ex noſtra Religione, in diebus deſignatis à noſtris Conſtitutionibus, poteſt puniri à Superiore, dato etiam quòd venialia tantum peccata habeat. lit.b.

Confiteri non poſſunt noſtri extero Sacerdoti, nec noſtris alterius domus. lit. c.

Quid dicendum eſt de Prælatis noſtræ Congregationis. lit.c.§.1.

Præpoſiti locales vtrum poſſint licentiam tribuere ſibi ſubditis vt confiteri poſſint Confeſſario extra noſtram Religionem abſque neceſſitate. lit.c.§.2.

Ex

Ex præſumpta voluntate Superioris, an poſſint noſtri confiteri Confeſſarijs noſtræ Religionis alterius domus. lit.c.§.3.

Fratres aduenæ quando ad aliquam domum veniunt ſimul cum ſuo Superiore, vtrum confiteri teneantur ſuo Superiori, vel abſque licentia ſui Superioris confiteri poſſint Confeſſarijs deputatis in illa domo vbi reperiuntur? lit.c.§. 4.

Viſitatores, Conſultores, Vicepræpoſitus S. Sylueſtri, Vicarij, Vocales qui veniunt ad Capitulum Generale, vtrum confiteri poſſint quibus voluerint ex Confeſſarijs noſtræ Religionis, vel comprahendantur in Decreto? lit.c.§.5.

Clerici profeſſi, qui ſunt ſub Magiſtro, an confiteri poſſint alijs Confeſſarijs noſtræ Religionis. lit c.§.6.

Præpoſitus localis an poſsit deputare in Confeſſarium ſuæ domus, Sacerdotem noſtræ Religionis admiſſum ad confeſsiones audiendas, qui non ſit aſsignatus in ſua domo. lit.c.§.7.

Sacerdotes noſtri applicare tenentur ſacrificium Miſſæ ſecundum intentionem ſui Superioris. lit.d.

Sacerdotes noſtri aduenæ, & Concionatores, quomodo debeant applicare ſacrificium Miſſæ. lit.d.§.1.

Præpoſitus non poteſt cogere ſuos Clericos & laicos, vt ſacramentaliter ſacroſanctam Euchariſtiam ſumant diebus non deſignatis à noſtris Conſtitutionibus. lit. e.

Præpoſitus non poteſt prohibere communionem ſacramentalem noſtris Clericis & laicis, diebus ad id non deſignatis. lit.e.§.1.

a CVm hac Rubrica concordat illa, quæ eſt in Decretis par.1. cap.6.

b Per confeſsionem, &c. Quæritur, an omittendo quis confeſſionē, poſsit puniri aliqua pœnitentia regulari à Superiore? Reſpondeo affirmatiuè; nam etiam Monachi Sancti Benedicti, quorum regula non obligat ad culpam, ſed ad

pœnam

pœnam, tenentur ſemel in hebdomada confiteri ex vi ſuarum particularium Conſtitutionum, & contrafacientes fatentur ſuam culpam in Capitulo, & genuflexi inter communem menſam guſtant ſolummodo panem, & aquam, vt habetur in Declaratorio Regulæ cap.46. & refert Graffius in ſuis deciſionibus, par. 1. lib. 1. cap. 9. num. 11.

Sed quid dicendum, ſi omittens Confeſsionem, habeat tantùm venialia, vtrum confiteri teneatur? Dic, quod ſic, quia Eccleſia poteſt abſolutè præcipere vſum huius Sacramenti, ita vt indifferenter omnes obliget ad illud ſuſcipiendum, ſiue habeant conſcientiam peccatorum mortalium, ſiue tantum venialium; ita Suarez de Pœnitentia, t.4. diſp.22. ſect.8. num.5. 6. 7. & 8. & præciſè quoad Religioſos tenet Azor lib.7. inſtit. moral. c. 40. q. 1. tom. 1.

[c] Confitebitur autem, &c. In Decretis Capitulorum Generalium noſtræ Congregationis par. 1. cap. 6. num. 1. & 2 ſunt infraſcripta Decreta.

1. Nemo noſtrum ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, ſed ijs tantũmodo noſtratibus Confeſſarijs, qui à Præpoſito Domus fuerint deſignati non obſtante quocunque Priuilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus 2. Imò neque alicui vnius domus Confeſſario alterius domus confiteri liceat.

Circa primum Decretum vide, quæ notata ſunt in Compendio noſtrum priuilegiorum par. 1. tit. Abſolutio quoad Fratres noſtræ Congregationis §.3. fol. 12.

c.§.1 Nunc primò dubitari poſſet, vtrum præſens Decretum comprehendat noſtros Prælatos, ita vt prohibitum ſit P. Generali, & Præpoſitis localibus confiteri Confeſſo-

P ribus

ribus extra noſtram Religionem?

Duæ poſſunt eſſe opiniones in hoc dubio, vna, vt non compræhendat illos, & ratio eſt, quia ſunt Prælati exempti, & iuriſdictionem habent in ſuos ſubditos in vtroque foro, & ideo à iure habent facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, cap. fin. extra de Pœnit. & Remiſſ. & ita tenet Petrus de Paluda, & Archid. quos refert, & ſequitur Sylu. v. Confeſſor 1. num. 8. verſ. ſed Petrus de Paluda, in 4. &c. & Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum t. 2. q. 19. art. 7. vnde cùm Capitulum Generale noſtræ Congregationis non poſsit facere leges contra Canones, ſequitur hoc Decretum non compræhendere illos.

Altera opinio, quæ probabilior mihi videtur poteſt eſſe, vt compræhendat eos, & ratio eſt, quia, quando à Religioni eliguntur ad dictas Prælaturas ſubintelligitur pactum implicitum, quod eſt obſeruandi, & curandi, vt obſeruentur Conſtitutiones, & Decreta Capituli Generalis; vnde eo ipſo, quòd acceptant Prælaturas, tacite renunciare videntur dicto priuilegio, quo præualere non poſſunt niſi intra Religionem. Nec Decretum hoc eſt contrariũ Canoni, quia priuilegio ſuo cuique licet renunciare, l. ſiquis in conſcribendis C. de pactis. Panor. in c. ſi de terra de priuilegijs. Præterea dico, quòd noſtri Prælati non poſſunt, nec debẽt confiteri Confeſſarijs extra Religionem, abſque neceſsitate ratione vitandi ſcandali, quod oriretur ex dicta electione Confeſſarij extra Religionem; nam dum in noſtra Religione adeſt multitudo Cõfeſſariorum ceſſat ratio tex. cap. fin. de pœnit. & remiſſ. vnde hæc opinio eſt probabilior, magis tuta, & magis conueniens.

c. §. 2. Secundò dubitari poſſet, vtrum Præpoſiti locales poſsint licentiam tribuere vni ex noſtris ſibi ſubdito, vt confiteri poſsit Confeſſario extra Religionem noſtram? Reſpondetur, quòd non abſque neceſsitate, & ratio eſt,

quia

quia Capitulum Generale; potuit hoc prohibere, & de facto prohibuit hoc Decreto.

c.§.3. Circà ſecundum Decretum ſupradictum aduertendum eſt, quod ex præſumpta volũtate Superioris ipſius pœnitentis poſſet fieri in aliquo caſu, ſed non ſæpè.

c.§.4. Poteſt etiam dubium oriri in hoc ſecundò Decreto, primò, circa Fratres aduenas; quando ad aliquam domum veniunt vnà cum ſuo Superiore, vtrum confiteri teneantur ſuo Superiori, vel abſque licentia ſui Superioris poſsint confiteri Confeſſarijs deputatis in illa domo, vbi reperiuntur? Reſpondeo, quod confiteri poterunt quibus voluerint ex ſupradictis, quia non debet amittere priuilegium, quod habent vigore Decreti Clem. VIII. vt non teneantur confiteri ſuis Prælatis.

c.§.5. Secundò dubitari poteſt, vtrum PP. Viſitatores tempore Viſitationis, Patres Conſultores, P. Vicepræpoſitus S. Silueſtri, & Vicarij ſint comprehenſi in hoc Decreto, vel poſsint confiteri quibus voluerint ex Confeſſarijs noſtræ Religionis, vt poſſunt Præpoſiti? Reſpondeo, quòd comprehenduntur in hoc Decreto, & ratio eſt, quia nec vigore Canonum, nec noſtrarum Conſtitutionum habent facultatem confitendi, cui voluerint ex Confeſſarijs noſtræ Religionis, ſicut Præpoſiti; nam licet habeant quandam prælationem, non tamen illam habent in foro animarum, ſicut Præpoſiti, & ideo non gaudent priuilegio conceſſo à Gregorio IX Prælatis, vt in cap. fin. de pœnit & remiſſ. & ita docet Sylu. v. Confeſſor .num. 8. verſ Ne Prælati, &c.

Fallit primò, ſupradicta deciſio in Conſultore profeſſione ſeniore, vacante officio Generalatus, vel ex morte P. Generalis, vel alia ex cauſa, quia in hoc caſu gerit vices Generalis, vt patet ex conſtit. p. 3 cap. 5.

Fallit nunc etiam in alijs Cõſultoribus, & ratio eſt, quia per Decretum quod eſt par. 3. cap. 8. nu 1. effecti ſunt Prælati,

lati, quia habent locum in ſtallo, nec ſubduntur Præpoſitis, & habent iuriſdictionem tam temporalem, quàm ſpiritualem in totam Religionem, vnà cum P. Generali; nam in cauſis criminalibus, & quando aliqui ſunt admittendi ad confeſsiones audiendas, habent votum deciſiuum vnà cum P. Generali, & per conſequens iuriſdictionem.

Fallit ſecundo in perſona Vicepræpoſiti, abſente Patre Generali ab Vrbe Romæ.

Fallit tertio in perſonis Vicariorum abſente Præpoſito à Ciuitate, vel vacante officio Præpoſiti, quia Præpoſitorum vices gerunt, vt patet ex Conſtitutionibus p. 3. c. 9.

Fallit quarto in perſona Vocalis, qui abſente Præpoſito, & Vicario à Ciuitate, habet regimen Domus; & ratio eſt, quia in hoc caſu in rebus omnibus Præpoſiti vicem gerit, vt patet ex Conſtitutione p. 3. c. 9.

Tertio dubitari poteſt, Vtrum Patres Vocales, qui veniunt ad Capitulum Generale, dum Romæ commorantur comprehendantur in hoc Decreto? vel confiteri poſsint quibus voluerint ex Confeſſarijs noſtræ Religionis, ſicut Præpoſiti?

Reſpondeo, quod comprehenduntur in hoc Decreto; nec hac de cauſa habent aliquod priuilegium particulare, ſicut Præpoſiti, vel qui illorum vices gerunt.

De hac materia vide Comment. quod eſt in 1. p. Conſtit. c. 5. § Colligitur etiam.

c. § 6. Dubitari etiam poteſt Vtrum noſtri Clerici profeſsi, qui adhuc ſunt ſub Magiſtro, poſsint confiteri Confeſſarijs ordinarijs Domus aſsignatis à Præpoſito iuxta decretum Clem. VIII. vel teneantur confiteri eorum Magiſtro ſicut Nouitij? Duæ poſſunt eſſe opiniones vna affirmatiua, quòd poſsint confiteri dictis Confeſſarijs, vel Magiſtro; quæ probatur primo ex Conſtitutione noſtra p. 1. c. 9. à Clem. VIII. approbata, ibi, *Confitebuntur autem* (nota)

quiſque

quiſque noſtrum ſuo Præpoſito, aut cui volet ex Confeſſarijs, quos Præpoſitus deputauerit; Vnde neminem excludit. Secundò probatur ex Decreto Clem. VIII. publicato anno Domini 1593. die 26. menſis Maij, quod loquitur generaliter, Vt Superiores deputent Confeſſarios pro ſubditorum numero &c. Et ratio dicti Decreti potius procedit in iſtis nouellis profeſsis, quam in antiquis. Nec obſtat Decretum Reformationis circa inſtitutionem Nouitiorum, quod incipit. *Quilibet Nouitius*, quia loquitur de Nouitijs formalibus non profeſsis.

Altera opinio poteſt eſſe negatiua, quòd non poſsint confiteri dictis Confeſſarijs, ſed teneantur confiteri ſuo Magiſtro. Probatur ex ſupradicto Decreto Reformationis, quod licet loquatur de Nouitijs formalibus, tamen paulò poſt in Decreto, quod incipit, *Vt autem Nouitij*, cum ſequenti Decreto, loquens de nouellis profeſſis, ordinat, vt maneât in ſecundo nouitiatu diſtincto à profeſſis antiquis. Et vt inſtruantur cum maiori reſtrictione aliorum profeſſorum, & vt in negocijs monaſterij, & communibus tractatibus, & obedientijs exterioribus, ne ſe immiſceant; vnde colligitur, quòd quamuis profeſſionem emiſerint dicti iuuenes, adhuc vult S. Pontifex, vt permaneant in nouitiatu & vt viuant regulis Nouitiorum, & quod nõ ſe immiſceant cum alijs profeſſis, quod fieri non poſſet, ſi in eorum libertate eſſet confiteri cui voluerint ex dictis Confeſſarijs; & hæc opinio mihi videtur probabilior dum aliud non deciditur à Summo Pontifice: Nouitiorum verò confeſſiones ſoli Magiſtro Nouitiorum committi debẽt, vt patebit ſuo loco p. 2. c. 5.

§. 7. Præterea dubitari poteſt, Vtrum Præpoſitus localis poſſit deputare ad confeſſiones fratrum ſuæ Domus audiendas, Confeſſarium noſtræ Religionis, qui non ſit aſſignatus in illa Domo: ſed tanquam aduena ibi maneat?

Duæ

Duæ poſſunt eſſe opiniones; Prima affirmatiua, quæ probari poteſt, primo quia, quod non prohibetur, conceſſum videtur c. cum apud Sedem. de ſponſalibus. & matrim. & ibi gloſſ. fin. ſed nulla lex hoc prohibet. Ergo licitum videtur; Secundo ſi Præpoſitus deputaſſet duos Confeſſarios ſibi ſubditos, & amplius deputaſſet Confeſſarium aduenam ſupradictum, nullus conqueri poſſet ex ſuis ſubditis; quia in ſua libertate eſſet confiteri cui voluerit.

Secunda opinio poteſt eſſe negatiua, quæ probari poteſt ex conſuetudine præſcripta in noſtra Religione ſpatiò triginta annorum; nam à publicatione Decreti Clem. VIII. quæ fuit facta anno Domini 1593. ſemper fuerunt electi Confeſſarij eiuſdem Domus: Ergo illa eſt obſeruanda, quia habet vim legis. Et confirmatur ex noſtra Conſtitutione p. 3. c. 9. verſ. ne liceat, &c. quæ dicit: *Ne liceat Præpoſito res nouas inducere* (nota) *aut veteres noſtræ Congregationis conſuetudines immutare.*

Secundo probatur, quia electio ſemper fieri debet de gremio Eccleſiæ ex Decreto Nicolai Papæ regiſtrato in c. In Nomine Domini 23. diſt.

Pro deciſione præſentis difficultatis dico, quòd Confeſſarij, qui ſunt aſſignati in dicta Domo deputari debent ad confeſſiones fratrum audiendas; cõſtat ex rationibus præaſſignatis; ſi verò Præpoſitus de facto inter alios Confeſſarios deputaſſet etiam aliquem Confeſſarium noſtræ Religionis non aſſignatum in dicta Domo, vel non aggregatum à Capitulo Domus, deputatio, ſeu electio eſſet valida, & confeſſiones ab eo auditæ eſſent validæ, quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent c. cum in cunctis extra de electione, c. Petrus 39. diſt.

Sed quando ſubditi conquererentur apud P. Generalē, poſſet P. Generalis ordinare Præpoſito, vt illum amoueret à dicto officio, vel immediatè illi præcipere quominus con-

feſsio-

feſsiones fratrum audiret. De hac materia vide Comment. quod eſt in hac prima parte c. 3. §. colligitur etiam &c.

d Sacerdos quotidie, &c. Tenentur noſtri Sacerdotes applicare ſacrificium Miſſæ ſecundum intentionem ſui Superioris, & contrafacientes mortaliter peccat. Syl. in v. Miſſa 1. nu. 12.

d. §. 1. Sacerdotes noſtri vbicunque eos, etiam peregre celebrare in Domibus noſtris contigerit, penes intentionẽ Præpoſiti ſacrificare tenentur, ac ſi de eius eſſent familia. Idem facere debent Concionatores, qui in noſtris eccleſijs conciones habent, ſiue Quadrageſimæ, ſiue reliquo anni tempore, vt determinatum fuit in Capitulo generali anni 1624. die 3. Maij, Decreto, quod incipit *Miſſarum numerum* §. *Sacerdotes noſtri, &c.* Concionatores verò, qui in Ciuitatibus, vbi non adſunt Congregationis domicilia cõcionantur, iuxta mentem P. Generalis, ab eo per literas ſignificatam Sacrum facere tenentur. ibidem.

e Simul communicent. Hic dubitari poteſt, Verũ Superior poſſit cogere Clericos, & laicos ſibi ſubditos, vt ſacratiſsimam Communionem ſumant diebus non deſignatis in præſenti Conſtitutione?

e §. 1. Et e contra, ſi aliquis Clericus, vel laicus, pro ſua deuotione cõmunicare vellet diebus non deſignatis, Vtrum Superior poſſet illi prohibere?

Reſpondeo in vtroque caſu, quod non; niſi adeſſet aliqua iuſta cauſa. Doctores in Clem. ne in agro §. ſane de ſtatu monachorum.

De

De Orationibus pro Defunctis. Cap. X.

Summa Capitis X. Conſtitutionum.

Quæ officia, & Orationes ſunt recitandæ pro defunctis fratribus.
In obitu S. Pontificis, vel Epiſcopi. num. 1.

1 CVM iam quis defunctus fuerit, ſiue is profeſſus, ſiue Nouitius, ſiue hoſpes fuerit, deducentibus omnibus corpus in eccleſiam deferatur. Deinde opportuno tempore, totum Officium Defunctorum [a] in Choro dicatur. a
Fiat Officium Sepulturæ, & celebretur Miſſa ſolemnis: atque ſi profeſſus fuerit, Sacerdotes [b] per triginta dies pro eius anima ſacrificent. b
Clerici diebus totidem dicant Veſperas Defunctorum. Laici tricies B. Virginis coronã. Cæteris domibus res ſignificetur quamprimum: vbi pariter in Choro dicatur Officium Defunctorum, & celebretur Miſſa ſolemnis, à Sacerdotibus dicatur Miſſa priuata, à Clericis ſemel Veſperæ: à Laicis Corona B. Virginis. Quòd ſiquis à domo ſua ad aliam profectus prædicãdi, aut alia Congregationis negotia pertractã-

di gratia, diem ſuum obierit, vtraque domus par ei perſoluat Officium, ac ſi vtrique fuiſſet aſsignatus. In obitu P. Generalis idem fiat in omnibus domibus. In obitu Summi Pontificis totum Officium Defunctorum, & Miſſa ſolemnis cum Reſponſorijs ad tumulum vbique dicatur. Idem in obitu Epiſcopi ex nobis aſſumpti. Epiſcopo Ciuitatis defuncto, dicatur ibi Miſſa ſolemnis, & ad tumulum Reſponſoria. Die poſt fidelium Defunctorum commemorationem dicatur Miſſa ſolemnis, & Reſponſoria ad tumulum pro Defunctis Fratribus noſtræ Congregationis.

Commentaria in Caput X.

Summa Commentariorum ſuper Caput X.

Officium defunctorum pro fratribus defunctis, non tenentur noſtri recitare extra Chorum. lit. a.

Sacrificia, & orationes quæ recitari debent pro d.functis fratribus, quomodo recitari debeant pro illis qui morsuntur in domo Tuſculana, & Vici aquenſis. lit. b. §. 1.

a TOTVM Officium Defunctorũ. Hic dubitari poteſt, An fratres abſentes à choro dum recitatur dictum Officium, teneantur priuatim illud recitare? Reſpondetur, quòd non in rigore, ſed tantum in

choro . Quamuis in more poſitum ſit in Religione ex charitate illud priuatim recitari ab illis , qui choro non interſunt .

b Sacerdotes per 30. dies , &c. De Orationibus , quæ recitari debent pro defunctis , vide, quæ de nouo ſunt determinata in Capitulo Generali anni 1624. die 3. Maij in Decreto, quod incipit, *In obitu cuiuſdam ex noſtris, &c.*

b. §.1. Hic dubitari poteſt , dum noſtra domus Vici æquenſis dependet ex domo S. Pauli Neapolis , ſi in domo S. Pauli aliquis moriatur ex fratribus , Vtrum Patres , & Fratres domus Vici teneantur recitare totas illas orationes , & celebrare tot ſacrificia , ac ſi mortuus eſſet in propria domo ? & e contra, quando quis moritur in domo Vici ? Reſpondeo, quòd non . Et ratio eſt , quia ſunt domus ſeparatæ, & diſtinctæ iuriſdictiones ; & dependentia ſolùm conſiſtit in rebus Capitularibus , & Grauibus , vt clare patet in Decretis Capitularibus p. 3. c. 7. nu. 14.

Idem dicendum eſt de domo noſtra Tuſculana, quæ dependet ex domo S. Syluestri Romæ ex eadem ratione .

Secus verò dicendum eſt de domo S. Io. Baptiſtæ, S. Petri arenæ , Ianuæ , quia cum domo S. Syri eſt vna domus formalis , & vna iuriſdictio .

SECVN-

SECVNDA PARS. DE OBSERVANTIIS QVIBVSDAM NOSTRÆ CONGREGATIONIS.

De tribus Religionis Votis[a]. Cap. I.

Summa Capitis I. Conſtitutionum.

Profeſsio quotidie eſt iteranda. num. 1.

Obedientiam non tantum externam, ſed etiam internam præſtare debemus noſtris Superioribus. num. 2.

Voluntas Superiorum debet eſſe regula noſtrarum actionum. nu. 3

Obtemperandum eſt obedientia Præfecto non aliter, ac Superiori ipſi num. 4.

Caſtitatem ita ſeruare debemus, vt Angelicam quodammodo in terris puritatem imitemur. num. 5.

Proprium nemo neque poſsideat, neque nominet. nu 6.

Eleemoſyna, ac bona omnia Superiori tradantur, & in communi reponantur. num. 7.

Licentia, & benedictio Superioris requiritur, vt aliqua re vti poſſimus. num. 8.

Depoſitum nullum apud extraneos noſtri teneant ſine licentia Præpoſiti. num. 9.

Donare aliquid non poſſumus, neque aliis ex fratribus neque ſecularibus ex iis quæ à Superioribus nobis conceſſa ſunt. nu. 10.

Redditos in communi poſsidere non prohibemur, voluntarie tamen ab illis abſtinemus. num. 11.

Nouitiis dum bonus ſuis ante profeſsionem renunciant, ne permit-

tant, vt annuos redditus quo ad vixerint Congregationi noſtræ relinquant. num. 12.

Annui redditus quo ad vixerint noſtri à quouis ne procurent vt eis relinquantur. nu. 13.

Eleemoſynas alijs ſecreto erogandas, noſtri ne procurent, nu. 14.

Eleemoſynas ne noſtri vllo pacto petant, neque pro ſe, neque pro alijs quibuſuis: neque vt alij pro nobis petant permittatur. n. 15.

Eleemoſynæ à ſecularibus nobis ſponte datæ vt alijs erogentur, neque apud ſe habere, neque diſpenſare quis audeat, abſque Superioris licentia. num. 16.

Eleemoſynæ datæ emigraturis de domo in domum, vel Concionatoribus cuius domus cenſeantur. num. 17.

Paupertas priuatim eniteat. num. 18.

Horologia noſtri ne habeant. nu. 19.

Reliquiaria (vt vocant) aurea aut argentea ne noſtri habeant. ibid.

Imagines Sanctorum magni pretij noſtri ne habeant. ibid.

Libros auro, vel ſericis coopertos noſtri ne habeant. ibid.

Armaria noſtris prohibita ſunt. num. 20.

Tabulæ nuceæ noſtris prohibitæ ſunt. ibid.

Arcas, vel armaria clauibus obſerata noſtri ne habeant, exceptis ijs qui res communes adſeruant. num. 21.

Viſitentur quandoque cellæ à Præpoſito. nu. 22.

TRIA Religionis Vota [b] quæ Summo Deo polliciti ſumus, & ſanctè reddere, & firma tueri fide debemus. Proinde illorum conſuetudinem valde probamus, qui Patrum noſtrorũ exempla ſecuti, antequam cubitum ſe recipiãt, flexis coram Deo genibus, profeſsionem iterare [c] conſueuerunt. b

1 c

Obe-

2 Obedientiam [d] accurate ſeruare, & in ea d
magnopere excellere quiſque ſtudeat. In his
quæ Superiores iuſſerint, ne externe tantum
eis obediant, verum etiam magno eos amore,
3 & intima reuerentia proſequantur. Noſtrarũ
actionum regula ſit Superioris voluntas, quam
dabimus operam, vt perſpectam habeamus,
4 ſequamur, exequamur. Quem cuiuis rei Su-
perior præfecerit, ei perinde ac Superiori ſi-
ne querimonia obtemperetur.

5 Ad Caſtitatem ſeruandam adhortari, mini-
me opus eſſe arbitramur. Religioſis enim vi-
ris non tam præclarum eſt eam virtutem co-
lere quàm turpe non colere. Itaque nihil hoc
loco adijciendum, niſi vt aſpectu, inceſſu, ſer-
mone, & totius corporis forma Angelicam
quodammodo in terris puritatem imitemnr.

Paupertas, expedita ad Deum via, & Reli-
gioſæ Chriſti familiæ magnũ certumq; vecti-
6 gal, publice, priuatimq; exercenda eſt. Nemo
igitur omnino aliquid poſsideat proprium, ſed
omnes in communi, & de communi viuant.
7 Eleemoſynæ, ac bona omnia ſiue Confeſsarijs,
ſiue Prædicatoribus, ſiue quibuſuis alijs à qui-
buſcunque, ſiue conſanguineis, ſiue extraneis
quocunque nomine datæ ſint, ad Superiorem

delatæ,

delatæ, in communi reponantur, diuidantur
autem à Superiore prout cuique opus fuerit.
Ne quis veſtem, librum, aut quoduis aliud mu-
8 nuſculum abſque ſui Superioris licentia, [e] & e
9 benedictione vtendum accipiat. Apud exter-
nos ne quis horum aliquod depoſitum, quod
Præpoſitus non probet, retineat; id enim pro-
10 prietatis habet ſpeciem. Quæ cuiuis à Supe-
riore conceſſa ſunt, ea ne dentur alijs ex fratri-
bus, aut ſecularibus abſque Superioris licentia.
11 Etſi neque per profeſsionem, neque per ſa-
cros Canones prohibeamur annuos redditus in
communi poſsidere [f]: per Concilium autem f
Tridentinum id nobis ſit conceſſum: nihilo-
minus (voluntarie tamen, vt nullo vnquam
vinculo adſtringamur) ab illis abſtinemus, quo
à ſecularibus negotijs liberiores, paupertatem
Chriſti Domini, Apoſtolorum, & multitudi-
nis illorum quibus cor vnum, & anima vna
fuiſſe legitur, imitemur: illud habentes in me-
moria. Nolite ſoliciti eſse quid manducetis, aut
12 quid bibatis, ſcit enim P. veſter quia his omni-
bus indigetis. Nouitijs noſtris dum bonis ſuis
ante profeſsionem renunciant [g], annuos reddi- g
tus quo ad ipſi vixerint, noſtræ Congregatio-
13 ni vt relinquant ne permittatur. Ne procuret
item

item aliquis ex Noſtris, ſiue profeſsus ſit, ſiue
Nouitius, vt ſibi quoad vixerit annui redditus
[h] à parentibus, conſanguineis alijſve relinquā- h
14 tur. Ne procuret aut permittat aliquis, vt pe-
cuniarum quidquam ſecreto ab eis erogandū,
relinquatur: ſed quamprimum Superiori ſuo
rem omnem aperiat.
15 De altari, & Euangelio viuere nos Clericos
oportet: & ex ijs quæ ſponte à fidelibus offe-
runtur [i]. Itaque neque per noſipſos neque per i
alios petantur à ſecularibus eleemoſynæ, ſed
tota ſpes noſtra in Chriſti Domini verbis poſi-
ta ſit, qui ait: Primum quærite regnum Dei,
& iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vo-
bis. Secularibus ne permittatur, vt tanquam
quæſtores petāt pro nobis eleemoſynas. Quòd
ſi nobis inſcijs id facere ſint aggreſsi, cum pri-
mum ad nos perlata res fuerit, prohibeantur.
Nec item alicui ex Noſtris aut pro ſuis propin-
quis, aut pro extraneis liceat eleemoſynas pe-
16 tere. Si forte pecuniarum aliquid ſponte tra-
ditum fuerit, vt pauperibus erogetur, id ne-
que apud ſe habere, neque alicui erogare quis
17 audeat ſine Superioris licentia [k]. Eleemoſynæ k
quæ alicui de domo in domum emigraturo da-
tæ fuerint, eius domus cenſeantur in qua ad

eam diem habitauerit: niſi quæ Superioribus viſæ fuerint ad itineris rationem pertinere. Idem omnino cenſendum eſt de Concionatoribus alio proficiſcentibus ad concionandum.

18 Paupertas item priuatim eniteat in cellulis, veſtibus, ac reliqua ſupellectili ſingulorum.

19 Nemo apud ſe habeat horologia cuiuſuis metalli ſpecie fabrefacta, nec aureas, vel argenteas reliquiarum, ſacrarumq; rerum capſulas aut libros auro, vel ſericis coopertos, aut magno pretio ſculptas, vel pictas Sanctorum ima-

20 gines. Neque itē armarijs, ita ornatis, vt ſcriptoria (quæ vulgo vocant) videri poſsint: aut

21 tabulis, vel Oratorijs nuceis vtantur. Nemo Noſtrum armaria, vel arcas clauibus obſeratas abſque Superioris expreſsa licentia habeat, ex-

22 ceptis ijs qui res communes aſseruant. Viſitentur quandoque à Præpoſito cubicula ſingulorum, ne in ijs curioſa, pretioſa, & noſtræ Congregationi, minime conuenientia, vel plura quam conceſsa ſint penes ſe retineant, & in proprietatis (quod abſit) vitium quis incidat; ne ve quid ſordidum, incompoſitum, aut ineptius ornatum apud ſe quiſquam habeat.

Com-

Commentaria in ſecundam partem Conſtitutionum.

Commentaria in Caput I.

Summa Commentariorum ſuper Caput I.

Religioſus qualiter ad perfectionem per tria Religionis vota tendere obligetur. lit.b.

Per profeſsionem an peccata omnia quo ad pœnas Deo debitas remittantur? lit.c.

Inualidè profeſſus, ſi perſeueret in monaſterio, an teneatur profeſsionem ratificare? lit.c.§.1.

Inualidè profeſſus volens ſuam profeſsionem ratificare, an teneatur nouitiatum iterare? lit.c.§.2.

Inualidè profeſſus volens profeſsionem ratam habere, an indigeat noua monaſterij acceptatione? lit.c.§.3.

Inualidè profeſſus volens ſuam profeſsionem ratificare, an teneatur illam publice ratificare, vt fieri ſolet? lit.c.§.4.

Inualidè profeſſus ratificans ſuam profeſsionem, an amittat locum ſuæ profeſsionis? lit.c.§.5.

Profeſsionis annus & ætatis ad profitendum, an debeat eſſe completus de momento ad momentum? lit.c.§.6.

In anno Biſexto an duplex dies pro vna debeat computari, ad effectũ implendi annum probationis? lit.c.§.7.

Annus Nouitiatus an requiratur, vt ſit continuus, ad hoc vt validè quis profiteatur? lit.c.§.8.

Nouitius ſi expleto anno nouitiatus fuerit expulſus & habitu exutus: vel ipſe Nouitius deſerat Religionem, & poſtea de nouo ſit acceptatus, vtrum requiratur, vt de nouo fiant tria Capitula iuxta conſt. Sixti V. & annus Nouitiatus iuxta Conc.Trid. lit.c.§ 9.

Nouitius an poſſit interdum ante annum probationis profiteri? lit.c.§.10.
Annus probationis Nouitiorum an poſſit ex iuſta cauſa prorogari? lit c.§.11.
Nouitius & monaſterium an poſſit anno nouitiatus renunciare? lit.c.§.12.
Profeſſio ſimoniacè in Religione facta, an ſit valida? lit.c.§.13.
Profeſſio fœmina in monaſterio virorum facta, & e contra, an ſit valida? lit.c.§.14.
Hermaphroditi profeſſio an ſit valida? lit.c.§.15.
Profeſſio ob malum finem emiſſa, an ſit valida? lit.c §.16.
Profeſſio quando eſt nulla ex parte emittentis, an ſufficiat ad eius validitatem nouus eius conſenſus, abſque noui Prælati conſenſu? lit.c.§.17.
Profeſſio ſenis & infirmi an ſit valida? lit.c.§.18.
Profeſſus in alia Religione tranſiens ad noſtram, an poſſit ante annum profiteri. lit.c.§.19.
Profeſſio an ſoluat omnia vota ſimplicia. lit.c.§.20.
Quot ſunt priuilegia profeſſioni conceſſa? lit.c.§.21.
In quibus caſibus non tenetur, & è contra tenetur Religioſus obedire ſuo Prælato. lit. d.
Religioſus in dubio tenetur obedire ſuo Prælato. lit.d.§.1.
Religioſus an in aliquo caſu teneatur obedire ſuo Prælato præcipienti aliquid contra regulam? lit.d.§.2.
Subditus an teneatur obedire Superiori, quando eſt dubius an Superior ſit legitimè electus. lit.d.§.3.
Religioſus an teneatur obedire Prælato coarctanti immunitates & libertates à Regula, vel ab altiore Superiore conceſſas? lit.d.§.4.
Si Prælatus tempore peſtis præcipiat Religioſo, vt ſacramenta Infirmis adminiſtret, an teneatur obedire? lit.d.§.5.
Generalis an poſſit eximere ſubditum ab obedientia ſui Prælati? lit.d.§.6.
Obedientia perfecta quæ ſit? lit.d.§.7.
Reli-

Religioſus habens ſuperflua ſecundum ſuum ſtatum, de licentia tamen iniuſta Prælati an committat peccatum proprietatis & poſsit puniri vt proprietarius? lit. e.

Religioſus donans, vel diſtrahens rem aliquam notabilem de licentia iniuſta Prælati, an peccet mortaliter, & incidat in pœnam proprietarij? lit. e. §. 1.

Contrahens debita ſine licentia ſui Superioris an puniri poſsit vt proprietarius. lit. e. §. 2.

Noſtri licet nihil poſsideant in particulari, neque in communi, tamen non ſunt incapaces ad ſuccedendum. lit f.

De iure communi quæ diſpoſita ſunt circa Nouitiorum bona. lit. g.

Nouitius habens beneficium eccleſiaſticum, an poſsit validè illi renunciare non ſeruata ſolemnitate Decreti Conc. Trid. lit. g. §. 1.

Renunciatio facta à ſeculari ante ingreſſum religionis de ſuis bonis, an ſit valida? lit. g §. 2.

Decretum Conc. Trid. ſeſſ 25. c. 16. de Regularibus, vtrum intelligatur de omnibus Nouitijs, an de ſolis minoribus ſexdecim annis? lit. g. §. 3.

Nouitius an poſsit quocunque tempore teſtamentũ condere? lit. g. § 4.

Renunciatio bonorum facta à Nouitio ſtatim poſt ſuſceptum habitum, ea conditione vt ſit irrita non ſequuta profeſsione, an ſit valida? lit. g. §. 1.

Renunciationis nomine an comprehendatur donatio inter viuos? lit g. §. 6.

Nouitius tempore nouitiatus an poſsit facere aliquam eleemoſynam de ſuis bonis abſque ſolemnitate requiſita à Conc. Trid lit. g. §. 7.

Prælatus vel Patres monaſterij an poſsint mutuo accipere à Nouitio, vel parentibus Nouitijs, ex bonis Nouitij, tempore nouitiatus? lit. g. §. 8.

Parentes, vel Curatores Nouitiorum dantes aliquid monaſterio, vel Religioſis monaſterij tempore nouitiatus, ex bonis Nouitiorum, an incurrant ipſo facto in excommunicationem latam à Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 16. de Regularibus? lit. g. §. 9.

Nouitius e monaſterio diſcedens ante profeſsionem an teneatur ſoluere ſumptus, quos in eo alendo monaſterium fecit ? lit.g.§.10.

Teſtamentum factum à Nouitio ante ingreſſum religionis, in quo non eſt inſtitutum monaſterium, an reuocetur eo ipſo ſequuta profeſsione ? lit.g §.11.

Teſtamentum factum per Nouitium an reuocetur per donationem bonorum validam, factam poſt teſtamentum, ante, vel poſt ingreſſum religionis ? lit.g.§.14.

Renunciationis nomine qui contractus comprehendantur. lit.g.§.13

Renunciatio facta à Nouitio iuxta Decretum Concil. Trid. in fauorem monaſterij vel alterius, an corruat, ſi contingat mori Nouitium, ante profeſsionem, lit.g.§.14.

Renunciatio facta a Nouitio iuxta formam Decreti Concil. Trid. an poſsit reuocari teſtando, itaut ſi moriatur Nouitius non facta profeſsione, ceſſet valor renunciationis ? lit.g.§.15.

Renunciatione, ſeu donatione facta à Nouitio in monaſterij fauorem ſeruata forma Decreti Concil. Trid., an bona ſint ſtatim tradenda monaſterio ? lit.g.§.16.

Renunciatio facta à Nouitio cum ſolemnitate requiſita e an ad hoc vt ſit valida, requiratur, vt profeſsio ſit valida. lit.g.§.17.

An ſicut renunciatio & donatio à Nouitio facta cum ſolemnitate Decreti Concil. Trid. reuocantur non ſequuta profeſsione: poſſint quoque reuocari ab ipſo Nouitio volente in Religione perſeuerare ? lit.g.§ 18.

Cuius ſint fructus illorum bonorum quibus Nouitius renunciauit, nempe illius medij temporis à renuntiatione vſque ad profeſſionem ? lit.g.§.19.

An neceſſariò requiratur vt renunciatio fieri debeat à Nouitio integro bimeſtri profeſſioni proximo ? lit g.§.20.

Si ex diſpenſatione Pontificia Nouitius octauo menſe profeſſurus eſſet, an ſufficeret in hoc caſu tempus bimeſtre ante profeſſionem ad renunciationem faciendam ? lit.g.§.21.

Si Nouitius ante finem anni nouitiatus religionem deſerat facta

renun-

renunciatione, & pœnitentia ductus redeat in Religionem, renunciatio primò facta an ſit irrita? lit.g.§.22.
Et quid ſi finito anno nouitiatus egrederetur Nouitius? lit.g.§.23.
Vtrum poſſit dari modus, in quo Nouitius directè vel indirectè validè diſponat de ſuis bonis, non ſeruata forma Concil. Trid. lit.g.§.24.
Epiſcopus confirmatus nondum tamen conſecratus, an poſſit licentiam concedere Nouitio, qui voluerit renunciare ſuis bonis ante profeſſionem? lit.g.§.25.
Archiepiſcopus conſecratus, qui nondum pallium accepit an poſſit licentiam concedere Nouitio, qui voluerit renunciare ſuis bonis ante profeſſionem? lit.g.§.25.
Quid de Capitulo Sede vacante? lit.g.§.26.
Quid de Prælatis, qui habent iuriſdictionem Epiſcopalē? lit.g.§.27
Quid de Vicario Capituli Sede vacante? lit.g.§.28.
An hæc licentia poſsit delegari? lit.g.§.29.
An Prælati Regulares poſſint dictam facultatem concedere monialibus ſibi ſubiectis? lit.g.§.30.
An dicta licentia debeat eſſe in ſcriptis? lit.g.§.31.
An dicta licentia debeat eſſe obtenta? lit.g.§.32.
An dicta licentia præcedere debeat renunciationem? lit.g.§.33.
Religioſus facta profeſsione an poſſit teſtari? lit.g.§.34.
Religioſus an poſſit teſtamentum ante profeſſionem factum, poſt profeſsionem reuocare? lit.g.§.35.
Religioſus profeſſus an poſſit teſtamentum ante profeſſionem à ſe factum, poſt profeſſionem declarare? lit.g.§.36.
Religioſus profeſſus ad dignitatem Epiſcopalem prouectus, an poſſit teſtamentum ante profeſsionem factum reuocare? lit.g.§.37.
Vtrum S. Pontifex poſſit diſpenſare Religioſo profeſſo, vt poſſit teſtamentum ante profeſſionem factum reuocare? lit.g.§.38.
Qualiter religioſis profeſſis habentibus aſcendentes, aut deſcendentes teſtari liceat inter eos. lit.g.§.39.
Annuos redditus licet noſtri non poſſideant, tamen ſi eis relinquantur,

quantur, acquirunt ius in illis. lit. h.

Legata, & donationes nobis factas non eſt nobis vetitum petere. lit. i.

An Religioſus ex pecunijs, quas aliquis ſibi tradidit diſtribuendas inter pauperes, & pijs operibus, poſſit aliquid cum licentia Superioris ſibimet tanquam pauperi applicare. lit. k.

An poſſit applicare ſuo monaſterio? lit. k.§.1.

An poſsit applicare conſanguineis pauperibus. lit. k.§.2.

Quid ſi ſunt debita incerta, data pro exoneranda conſcientia? lit. k.§.3.

Conſilium auctoris in hac re. lit. k.§.4.

Religioſus an delinquat peccato furti, & contra votum paupertatis ſi eleemoſynam à ſe pauperibus, aut alicui determinato pauperi petitam, applicat ſibi, aut alijs pauperi. lit. k.§.5.

Religioſus ſi abſque Superioris licentia acceptat pecunias in pauperes diſtribuendas, & diſtribuat, an ſit reus voti paupertatis. lit.k.§.6.

Religioſus, qui à ſuo Superiore habet licentiam applicandi ad ſuum libitum aliquod ſacrificium miſſæ, vtrum poſſit abſque alia licentia illud applicare ſecundum intentionem alicuius ſui propinqui pauperis, pro quo ſacrificio dictus propinquus accipit ſtipendium ab aliquo, ſciente ſacerdote? lit. k.§.7.

Quam paupertatem noſtri ſeruare debent in cellulis, veſtibus, & ſupellectilibus. lit. k.§.8.

a DE tribus, &c. Cum hac rubrica concordat illa, quæ eſt in Decretis p. 2. cap. 1.

b Tria Religionis vota, &c. Qualiter Religioſus ad perfectionem tendere obligatur per tria Religionis vota, latè tractat Sanchez in præceptis Deca-

Decalogi tom.2.lib.6. cap.5. per totum, & D Bartholomæus à Sancto Fauſto in ſuo Tractatu de Religioſo ſtatu lib.5.quæſt.25.26.27.& 28.

c Profeſsionem iterare, &c. Quæritur primò, An per profeſsionem peccata omnia, quoad pœnas Deo debitas remittantur? Reſpondeo remitti, dummodo profeſſus ſit in gratia, ita D.Thomas in 2.2.quæſt 189 art 3. ad tertium, vbi docet rectè, credi per monaſticam profeſſionem ſatisfieri pro omnibus peccatis; & eſſe hanc profeſsionem alterum Baptiſma; Caiet. ibidem. Sanchez in præceptis Decalogi t.2.lib.5.cap.5.num.2.|& D.Bartholomæus à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib. 5. quæſt. 315. & 316. & Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum t.1.quæſt 25. art.8.

Dixi, dummodo profitens ſit in gratia, nam ſi cum conſcientia peccati mortalis profeſsionem emiſit, quamuis poſtea reſipiſcat, plenariam ſuorum peccatorum remiſsionem non conſequitur, quam ab initio, id peccato mortali impediente, non obtinuit; ita Caiet.in 2.2.D.Thom.quæſt. 189.art.3.in reſp.ad 3 Nauar.de indulgent.not.20. nu.17. & Azorius lib. 12. inſtit. moral. cap.5. quæſt.11. licet contrarium teneat D.Barthol.à S.Fauſto, vbi ſupra quæſt.317. ſed Caietani opinio eſt probabilior, quam tenet etiam Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum.t.1.quæſt.25 art.8.verſ.circa eandem concluſionem,&c.& Sanchez, vbi ſup. num.4.

Dixi etiam peccata omnia, quoad pœnas, quia differt à Sacramento Baptiſmi, nam Baptiſmus ex opere operato confert primam gratiam, & delet omnia peccata quoad culpam; at profeſsio non eſt Sacramentum, nec confert primam gratiam, nec peccatorum culpas delet, ſed ſolam pœnam temporalem in Purgatorio eis correſpondentem,

ita

ita Sanchez, vbi ſupra num. 3.

Eſt tamen aduertendum, quòd hæc pleniſsima remiſsio non obtinetur, quoties profeſsio illa renouatur, ſed ſola prima vice, qua emiſſa eſt; ita Tabiena, v. Nouitius in fine, quem refert, & ſequitur Sanchez in loco præallegato nu.5.& D.Bartholomæus à S.Fauſto, vbi ſupra quæſt. 317. num.2. Quamuis alij teneant obtineri quoties profeſsio renouatur, quod non improbat Emanuel Sa.v.Religio nu.17. ſed Sanchez in loco præallegato credit, hoc eſſe verum, quoties profeſſus in laxiori, tranſit ad ſtrictiorem; vel expulſus in perpetuum à ſtrictiori, tranſit ad laxiorem, & in noua illa Religione profitetur, quia eſt omnino noua profeſsio, nouaque traditio.

c.§.1. Secundò quæritur, ſi quis inualide ſit profeſſus, & perſeueret in Monaſterio, an teneatur profeſsionem ratificare? Reſpondeo, affirmatiue, & ratio eſt, ne malè, & contra conſcientiam alimenta recipiat; & ſi eſt Clericus, ne male etiam ad Ordines titulo profeſsionis promoueatur, & ſi eſt vocalis, ne male ſuffragia præſtet, & ita tenet Nauar. in Coment.4.de Regularibus num.74 verſ. Aduertendum 4.

Si verò dubium ſit an profeſsio ſit valida necne, poteſt P. Generalis illum compellere ad ratificandam profeſsionem, & ipſe tenetur ratificare, dum perſeuerat in Monaſterio, ad hoc, vt clarè conſtet, an ſit Religioſus profeſſus? & ne ſequantur inconuenientia ſupradicta.

c.§ 2. Tertiò quæritur, an Religioſus inualidè profeſſus volens ſuam profeſsionem ratificare, teneatur Nouitiatum iterare? Reſpondeo, quòd ſi Nouitiatus fuit validus, nulla ipſius reiteratione opus eſt, vt docet Sanchez de matrimonio lib.7. diſp 37. num.45. ſi verò fuit factus poſt pubertatem, & fuit continuus, ſed ex alia cauſa non fuit validus, in hoc caſu, quamuis Nauarr. affirmet teneri Nouitia-

uitiatum iterare, vt patet in lib. 3. Conſiliorum tit. de Regularibus conſil. 26. num. 17. & 19. tamen oppoſitum videtur verius ex quacunque cauſa ſit irrita profeſsio, vt latè probat Sanchez vbi ſupra de matrimonio lib. 7. diſp. 37. à num. 47. vſque ad 58. & in præceptis Decalogi lib. 5. cap. 4. num. 14. & Azorius lib. 12. inſtit. moral. cap 1. quæſt. 6. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib. 5. quæſt. 97. & ratio eſt, quia poſt ſuſceptum habitum plenè expertus eſt Religionis auſteritates, inſtar aliorum Nouitiorum, & Religio eius mores, qui eſt Nouitiatus finis; ſi quis verò opinionem Nauarri amplectens vellet iterare Nouitiatum pro maiori ſecuritate, videat facile remediũ, quod tradit idem Sanchez vbi ſupra num. 57.

c. §. 3. Quarto quæritur, An Religioſus, qui inualidè profeſſionem fecit, volens profeſſionem à ſe inualidè factã ratam habere, indigeat noua Monaſterij acceptatione? Reſpondeo non indigere, dummodo Prælatus, qui ad profeſſionem eum admiſit non reuocauerit conſenſum, ita Nauar. in conſ. lib. 3. tit. de Regularibus conſ. 50. num. 1. Roderiq. par. 2. Summæ cap. 94. nu. 5. Emanuel Sa. v. Religio nu. 33. D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum, lib. 5. quæſt. 99. Sylu. v. Religioſ. quæſt. 2. in fine Sanchez in præceptis Decalogi lib. 5. cap. 4. num. 81. in fine, & idem de matrimonio t. 2. lib. 7. diſp. 37. à num. 59. vſque ad 69. vbi latè, & diſtinctè diſputat hanc quæſtionem, ad quem remitto Lectorem breuitatis gratia.

c. §. 4. Quintò quæritur, An ſupradictus Religioſus teneatur ſuam profeſsionem publicè ratificare, vt fieri ſolet profeſsio? Reſpondeo negatiue, & ita tenet Azorius t. 1. inſtit. Moral. lib. 12. cap. 4. quæſt. 7. D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum, lib. 5. quæſt. 252. & Sanchez de matrim. lib. 7. diſp 37. num. 66. ſed ſufficit ratificare illam coram Prælato, & duobus teſtibus priuatè, & ita fieri

S ſolent

ſolent iſtæ ratificationes in noſtra Congregatione.

c.§ 5. Sextò quæritur, An amittat locum ſuæ profeſsionis iſte Religioſus, qui ratificauit profeſsionem? Reſpondeo quòd non, niſi ſit inualida ex ſua malitia, vel dolo, vel ex defectu ætatis, quia dolus, & fraus nemini debet patrocinari, cap. 2. extra de cognat. & ſpirit. c. ſuper literis, & cap. ex tempore de reſcriptis, & ita eſt vſus noſtræ Congregationis. Si verò ſit inualida ex dolo, & caſus eſt occultus: debet diſpenſationem impetrare, ſi deſiderat retinere locum, interim verò dum procurat, vel ſi commodè procurare nequeat non tenetur cum nota relaxare, nec abſtinere ſe ab actibus conuenientibus; ſed ſolùm quando abſque nota poſſet; ita Sanchez de matrimonio lib. 7. diſput. 37. num. 68.

c.§. 6. Septimò quæritur, Cum per Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. de Regularibus ſit ſtatutum, vt profeſsio in Religione non fiat antè ſextumdecimum annum expletum. Nec qui minore tempore, quàm per annu mpo t ſuſceptũ habitum in probatione ſteterit, ad profeſsionem admittatur: quæritur an iſte annus tam ætatis, quàm profeſsionis debeat eſſe completus de momento ad momentum; ita vt non ſufficiat vltimam diem incœptam eſſe? Reſpondeo debere eſſe completum de momento ad momentum nec ſufficere vltimam diem attigiſſe, ſicut de ætate minoris eſt diſpoſitum in l. 3. §. minorem ff de minoribus, vbi deciditur vigintiquinque annos, ne deinceps aliquis minor dicatur, reſtitutioq; ſibi concedatur, complendos eſſe de momento ad momentum, & hanc opinionem tenet Sanchez de matrimonio lib. 2. diſp. 24. nu. 22. vbi exactè illam examinat. & in præceptis Decalogi t. 2. lib. 5. cap. 4. num. 9. & Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælatorum t. 1. quæſt. 22. art. 3. concl. 2. Nec expectandus eſt alter dies.

c.§. 7. Octauò quæritur, An in anno biſſexto duplex dies

pro

pro vna debeat computari ad effectum implendi annum probationis? Reſpondetur debere pro vna die computari, ita docet Molina t.2. de Iuſtitia tract.2.diſp 573.§.Atque à minori ætate, quem refert, & ſequitur Sanchez de matrimonio lib.2.diſp 24 num.22. & D. Barthol. à S.Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib.5.quæſt.161.& Ludouicus Miranda, vbi ſupra, & ratio eſt, quia iſte annus, ita eſt taxatus à Republica.

c.§.8. Nono quæritur, An, vt annus nouitiatus ſit legitimus,& valeat profeſſio requiratur, vt annus ſit cõtinuus? Reſpondeo deberi eſſe continuum & ratio eſt, quia quoties ius tempus aliquod petit, id neceſſariò eſſe debet continuũ, vt probat Anton. Gomeſ. tom.3. variarum reſolut. cap. 1. num 3. & Sylu. in v. Religioſ. quæſt. 4. ita docet Nauar. lib.3.conſil.tit.de Regularib. conſ.2. num.2. Azor.lib.12. inſtit.moral.cap.2.quæſt.8. Sa. v.Religio num.9. Roder.in ſua Summa par.2. cap.8. num.4. & tom. 3. quæſt. regular. quæſt. 15.art.8. & Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum t.1.quæſt.22.art.4.concl.1. ſi verò Nouitius de licentia ſui Prælati, cum habitu aliqua iuſta de cauſa, intra annum probationis extra Monaſteriũ ſteterit per aliquod temporis, non per hoc diſcontinuari dicetur annus probationis; ita Nauar. in conſ.lib.3. tit.de Regularibus conſ.42. dicens ita fuiſſe declaratum per Congregationem Illuſtriſſimorum Cardinalium, quam refert, & ſequitur Ludouicus Miranda, vbi ſup. tit.1. quæſt.22.art.5.

Sed quid ſi interpellatio ſit modica, vt duorum, vel triũ dierum, an annus dicetur continuus? Reſpondeo, quòd nõ; ita Nauar. vbi ſup.conſ.42.num 4.D.Barthol.à S.Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib 5. quæſt. 164 & Sãchez in præceptis Decalogi t.2.lib.5 cap.4.num.32. & 33.

c.§.9. Decimò queritur, Poſito, quòd Nouitius expleto nouitiatus anno, fuerit per Capitulum domus habitu exu-

tus, & à Religione expulſus, vel etiam poſito, quòd ipſe Nouitius ſponte Religionem deſeruerit; poſtea vero pœnitentia ductus, reditum ad Religionem intentet: an in vtroque caſu, vt validè acceptetur à Capitulo domus de licentia P. Generalis, requirantur de nouo tria Capitula iuxta Conſtit. Sixti V. & probationis annus iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 15 de Regularibus? Reſpondeo, quòd multi Doctores tenent non requiri, vt Tabiena v. Nouitius nu. 9. Sylu. v. Religio 5. quæſt. 4. Angelus v. Nouitius num. 15. & alij, quos refert; & ſequitur D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib. 5. quæſt. 165. & Sanchez in præceptis Decalogi lib. 5. cap. 4 num. 31. & 34. & ratio eſt, quia iam anno cõtinuo Religionis aſperitates expertus eſt, quod ſolùm petitur ad profeſſionem emittendam. Quam opinionem ampliat ipſe D. Barthol. veram eſſe etiamſi longum tempus interceſſerit inter emiſſionem ex Religione, & reditum.

Hæc opinio licèt ſit probabilis, ſi Nouitiatus fuerit legitimus, ideſt poſt pubertatem factus, nam factus ante pubertatem non eſt legitimus, nec validus ad profitendum, vt docet Sanchez in præcept. Decalogi lib. 5. cap. 4. num. 22. & 25. & poſt factum ſuſtineri poſſet ad ſuſtinendum pariter actum iam factam; tamen ante factum, vt potè periculoſa, & Religioni pernicioſa, mihi reijcienda videtur. Primò quia de nouo recipitur; ergo noua indiget probatione. Secundò, quia potuit mutare mores; ergo noua indiget probatione. Tertiò, ſi ſponte è Religione receſſerit Nouitius indiget etiã noua probatione, vtrũ in propoſito perſeueret.

c. §. 10. Vndecimò quæritur, An Nouitius interdum poſſit ante annum probationis profiteri? Reſpondeo, quòd poteſt in articulo mortis per priuilegium Pij V. conceſſum Sanctimonialibus Ordinis Prædicatorum, vt dictum eſt in noſtro Compendio priuilegiorum t. 1. tit. Nouitius §. 2. &

docet

docet Miranda in ſuo Manuali Prælatorum t. 1. quæſt. 22. art.10.Sanchez in præceptis Decalogi t.2.lib.5. cap.4.num. 16.& D.Barthol. à S.Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib 5. quæſt.167.

c.§.11. Duodecimo quæritur,an annus probationis nouitiorum ex iuſta cauſa poſſit prorogari? Reſpondeo,quòd poteſt, & ratio eſt, quia de iure antiquo annus probationis ex cauſa poterant prolongari, ergo, & nunc, nec obſtat Concil.Trid.ſeſſ.25.cap.16. de Regularibus, quòd aliquibus videtur obſtare, quia Trid.Conc.dicit, quòd finito anno Nouitiatus Superiores, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut de Monaſterio expellant, loquitur enim de ijs, qui ſunt ad profeſſionem idonei, nec ſubeſt iuſta cauſa ipſum dilatandi, & ita declarauit Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium ſuper Concil. Trid. teſte Leonardo Leſſio,lib.2. de Iuſtitia cap. 14. dub. 7. & Ioan. Baptiſta Confecto in ſua collectione, priuilegiorum Ordinum Mendicantium in Summario Canonum Sac. Concil. Trid. qui de Regularibus præſcribuntur, can.52 ſub tit. de non differendo tempore profeſſionis fol. 323. & hanc opinionem tenent Azorius lib.12. Inſtit. Moral.cap 18. & Roderiquez in ſuis quæſt. regular.t.3.quæſt 17.art.10 Nauar. in conſil.lib.1.tit.de off iud.conſilio vlt. quos refert, & ſequitur D. Barthol.à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorũ lib.5.quæſt.168.Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum t.1 quæſt.25.art.11. & Sanchez in præceptis Decalogi t 2.lib.5.cap.4. num 21.

c.§ 12. Tertiodecimò quæritur, An Nouitius,& Monaſterium poſſint anno Nouitiatus renunciare? Reſpondeo negatiuè,vt expreſsè colligitur ex Concil.Trident.ſeſſ.25. cap.15.de Regularibus; & ita tenet Azorius lib. 12. inſtit. moral.c.4.quæſt.9 Senchez. vbi ſup.cap.4. num 18. & 19. Roder.t.3.quæſt.regul. quæſt.15.art.7. quos refert, & ſequitur

quitur D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib.5.quæſt.170.& Ludouicus Miranda, vbi ſupra t.1. quæſt.22.art.7.

c.§.13. Quartodecimò quæritur, An profeſſio Simoniacè in Religione facta ſit valida? Reſpondeo eſſe validam vt expreſsè colligitur ex c de Regularibus, & cap. Quoniam de Simonia, vbi dicitur ſimoniacè profeſſum non debere manere in eodem Monaſterio, ſed in aliud eiuſdem Religionis detrudi, in quo pœnitentiam agat, & ſi non reperiatur, debere ibi manere. Ex quibus locis ſupponitur profeſſionem fuiſſe validam, & ita ſentit Nauarr. in Comm.4. de Regular.num.15.& Emanuel Roder.t.3.quæſt.regular. quæſt.63.ar.3.quos refert, & ſequitur D. Barthol. à S.Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib.5.quæſt.228. & Sanchez in præceptis Decalogi t.2.lib.5.cap.4. num 39.

c.§.14. Quintodecimo, quæritur, An profeſſio fœminæ in Monaſterio virorum ſit valida, & è contra? Reſpondeo negatiuè, ita docet Nauar. in conſil. in prima editione lib.1.tit de ætate, & qualitate conſ.8 num 1. & in ſecunda editione lib.3 tit de Regularibus conſil.47. nu.1. Emanuel Sa.v.Religio num.30.Emanuel Roder.in ſua Summa par.2. cap.6.num.vlt.D.Barthol à S.Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib.5.quæſt.229. Sanchez in præceptis Decalogi tom.2.lib.5 cap.4.num 40. Et ratio eſt, quia, vt profeſſio ſit valida neceſſario requiritur conſenſus profitentis, & admittentis ad profeſsionem, ſed in hoc caſu vtriuſque, aut ſaltem admittentis defuit: Ergo eſt irrita.

c §.15. Sexto decimò quæritur, An profeſsio hermophroditi ſit valida? Reſpondeo, negatiuè ob periculum ſcandali, & libidinis, & ita tenet Nauar.conſ.47.de irregularibus, Vgolinus de irregularitate cap.48.§.1.nu.4. & alij apud Sanchez de matrimonio lib.7. diſp.106 quos refert, & ſequitur Bonacina de irregularitate diſp. 7.quæſt.2.pūct.2. nu.13.

num 13. & idem Sanchez in præceptis Decalogi t.2. lib.5. cap.4.num. 41. vbi exactè examinat hoc dubium.

c § 16. Decimoſeptimò quæritur, An profeſſio ob malum finem emiſſa ſit valida? Reſpondeo eſſe validam; ita Syl.v Religio.3.q.6. Azorius lib.12. inſtit.mor.c.5.q 10. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro religioſorum lib. 5. quæſt.233.

c.§.17. Decimo octauò quæritur, quādo profeſsio fuit nulla ex parte emittentis, vt quia fictè profeſſus eſt, an ſufficiat ad eius validitatem nouus eius conſenſus, abſque nouo Prælati conſenſu? Reſpondeo ſufficere, ſed requiritur, vt profeſſus ſciat profeſſionem fuiſſe irritam, & quòd denuo illam ratam habeat, ita Sanchez de matrim. lib.7. diſp.37.Syl.v.Relig.5.q.2. Emanuel Roder. t.3. q.regular. q.17.ar.3. quos refert, & ſequitur D. Barthol. à S Fauſto in ſuo theſauro religioſorum lib.5. q.238. nu.1. & q.251. clarius.

2 c.§ 18. Decimononò quæritur, An qui morbo, vel ſenectute eſt impotens ad regulæ ſtatuta ſeruanda, poſsit licitè, & valide profiteri? Reſpondeo affirmatiuè; & ratio eſt, quia obligatio ad Religionis eſſentialia nimirum caſtitatem, paupertatem, & obedientiam nullas corporales vires expoſcit, ſed ſolum voluntatis affectum; cætera verò Religionis ſtatuta non ſunt Religioſi ſtatus eſſentialia, ſed obligant, dum iuſta cauſa non excuſat, ita docet Sanchez in præceptis decalogi t.2.lib 5 c.4.nu.52. D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro religioſorum lib. 5. q. 249. Nauar. in conſ. in 1.editione lib.3 tit.de regularib.conſ.42.n. 5.& in 2. editione lib.3.tit.de regularib.conſ.32.nu.5.Roderiquez t.3.q.Regularium q.15.art.10.

c.§.19. Vigeſimo quæritur, An profeſſus in alia Religione tranſiens ad noſtram, vel ad aliam Religionem poſſit ante annum profiteri? Reſpondeo negatiuè, ſed tene-

ri anno integro illam experiri, vt validè profiteatur; ita docet Nauar. in Conſilijs in 1. editione lib.3.tit.de regularib. conſil.49. nu.4. & conſil.53.nu.5. in 2. vero editione conſil.61.nu.4. & conſil.62.nu.5.& conſ.77.nu.4.Azorius lib.12.inſtit.moral. c.14. q.15. & alij quos refert & ſequitur Sanchez in præceptis decalogi t.2.lib.5.c.4.n.12. & ita ſeruatur in praxi, licet alij aliter ſentiant,quos refert Sanchez in dicto loco.

Hinc corollariè ſequitur, hunc habiturum antiquitatis locum, iuxta antiquitatem huius poſterioris profeſsionis; ita Sauchez vbi ſup. num. 13. Emanuel Roderiquez in ſua ſumma t.2 c.6.nu.10.

c.§.20. Vigeſimoprimò quæritur, An ſolemnis profeſſio ſoluat omnia vota ſimplicia, ita vt eo ipſo, quod quis in Religione profitetur, cenſeantur vota in ſæculo emiſſa commutari & prorſus extingui, abſque alia profitentis intentione commutandi? Reſpondeo,quòd omnia vota ſimplicia, realia, & perſonalia, atque mixta, abſque Superioris auctorirate commutantur in Religionis ſolemne votum, ita quòd profeſsione emiſſa, omnia ſupradicta vota ceſſant, vt expreſſe definitur in c. ſcriptura de voto, & docet D.Tho in 2.2.q.88.art.12. ad primum. Nauar.in manuali c.12.nu.65. D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro relig. lib.5.q.304. & Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælat. to.1.q.25.art.7. Quod procedit dato quod profitens nullam habuerit intentionem commutandi (dummodo non habuerit expreſſam intentionem non commutandi) & ratio eſt, quia cum omnia vota ſimplicia Deo facta ſint opera particularia continentur eminenter in voto ſolemni Religionis, per quod homo, ſe, & omnia ſua in perpetuum Deo dedicat; quare dicere poſſumus hanc non eſſe proprie commutationem, ſed priorum votorum pleniſsimam ſolutionem,ita D.Thomas, vbi ſupra, & ibi Caiet. & q.vlt.

art.

art.3.ad tertium. vbi ait ad hanc commutationem, nullam vouentis intentionem exigi, Azorius lib.11.inſtit.moralium c.17.in fine, Aragon in 2.2. D.Tho. q.88.art.12. Syl.v.votum, 4.q.7. & alij, quos refert, & ſequitur D.Bartholomæus à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib.5. q.308. & Sanchez in præceptis decalogi tom.2. lib.5. c.5. à nu. 36. vſque ad 46. vbi latè tractat hanc materiam, & ampliat etiam in iuramentis ſoli Deo emiſſis, quia rationem voti induunt, nu. 44.

Limitari tamen poteſt ſupradicta concluſio, itaut non habeat locum in voto reali, de re, quæ cadit in vtilitatem alicuius tertij, & ab illo tertio ſit acceptata; vt ſi quis nouiſſet ſe daturum calicem alicui eccleſiæ, aut dotem alicui pupillæ orphanæ, aut eleemoſynam alicui indigenti, quæ fuiſſet acceptata à ſupradictis; nam per acceptationem, acquiſitum eſſet ius illi tertiæ perſonæ, & per conſequens in damnum tertiæ perſonæ commutari non poſſet: ſecus vero quando non eſſet acceptata promiſſio à tertia perſona, quia tunc ius non eſſet illi acquiſitum. Nauar. in manuali c.12.nu.78.Lopez, Caiet. Petrus Aragon, Azorius,& alij, quos refert, & ſequitur Sayrus in lib. 6. Clauis Regiæ c.11.nu.121.& Suarez t.2. de Religio.tract 6.lib.6.c.15.

c.§.21. Vigeſimoſecundò quæritur. Quot ſint Priuilegia profeſsioni conceſſa? Reſpondeo, quòd ſunt multa, de quibus videri poteſt Sāch.in præc.dec.t.2.lib.5 c.5.à princ. ſed inter alia quatuor ſunt, quæ faciūt ad noſtrū propoſitū.

Primum eſt, quòd per eam remittuntur omnia peccata, quo ad pœnas Deo debitas, dummodo profitens ſit in gratia, vt dictum eſt ſupra q.1. quam remiſsionem conſequitur etiam profitens per Indulgentiam plenariam Religioſis conceſſam tempore profeſsionis à Paulo Quinto per ſuam Bullam ſub data die 23. menſis Maij anni 1606. quæ incipit *Romanus Pontifex.*

Secundum Priuilegium eſt, quòd omnia vota ſimplicia, realia, perſonalia, atque mixta, abſque Superioris auctoritate commutantur in Religionis ſolemne votum, ita quòd profeſsione emiſſa, omnia ſupradicta vota ceſſant, vt dictum eſt in præcedenti quæſt. 21.

Tertium Priuilegium eſt, quòd tollit irregularitatem, quæ eſt orta ex natalium defectu, eo quòd illegitimus ſit profitens; nam eo ipſo ceſſat per Religionis profeſſionem quoad ordines ſuſcipiendos, itaut abſque diſpenſatione poſsit profeſſus ille ad omnes etiam ſacros ordines promoueri, ita tex. in c. 1. de filijs presbyterorum, & Nauar. Com. 2. de Regularib. nu. 6. Azorius lib 12. inſt. moral. c. 5. q. 12. Suarez t. 5. de cenſuris diſp. 41. ſect. 1. num. 3. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep. decal. t 2. lib. 5. c. 5. nu. 9. exiſtimans dictam irregularitatem prorſus aboleri, non ſolum, quo ad ordines ſuſcipiendos, ſed etiam quo ad ſuſceptorum vſum, vt probat ibidem nu. 10.

Quartum Priuilegium eſt, vt aboleat omnes ingratitudines præteritas ipſius profitentis, ante patris mortem contractas, ob quam exhæredari poterat, itaut filius ob nullam illarum poſsit exhæredari c. fin. 19. q. 3. & docent communiter Doctores, gloſſ. in l. Deo nobis, §. hoc etiam, verbo quaſi C. de Epiſcopis, & Clericis & c. fin. v. ingratitudinis 19 q. 3. & ibi Turrecremata num. vnico. Cardin. in clem. fin. num. vlt. q. 12. de Regularibus, Felyn. in c. cum deputati nu. 4. de Iudicijs. Syl. v. Religio 6. q. 1. in fin. Emanuel Roderiq in ſuis quæſt. regular t. 1. q. 13. ar. 3. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præceptis decalogi t. 2. lib. 5. c 5. nu. 33.

d Obedientiam accuratè ſeruare, &c. Quæritur primò in quibus caſibus non tenetur Religioſus obedire ſuo Prælato? Reſpondeo in tribus regulariter, primo

in

in his, quæ ſunt ſupra regulã; ſecundò in his, quæ ſunt præter regulã; tertiò in his, quæ ſunt contra regulã. ita Tolet. in Summa lib. 8. c. 16. E contra vero tenetur obedire, primò in his, quæ in regula continentur, ſiue directè, & expreſsè ſiue indirectè, & implicitè ad eam pertineant; Doctores communiter, quos refert, & ſequitur Sanchez de præcep. decal lib. 6. c. 2. n. 9. & 15 & Lud. Miran. in ſuo man. Præl. t. 1. q. 26. art. 7. Secundò tenetur obedire in his ſine quibus ea, quæ in regula continentur impleri nequeunt, vt docet Sanchez in præceptis decalogi lib. 6. cap. 2. nu. 45. Tertiò tenetur obedire in pœnis inflictis propter culpas contra prædicta duo, Sanchez vbi ſupra.

d. §. 1. Secundo quæritur, quid ſi ſubditus eſſet in dubio an caſus eſſet contra, ſupra, vel præter regula an teneatur obedire? Reſpondeo affirmatiuè, ſi præceptum Superioris eſſet de re non euidenter mala, vel vbi nullum immineret periculum bono publico, aut tertiæ perſonæ, neque ſubditus graue damnum pateretur. Et ratio eſt, quia Superior, tanquam poſſidens, habet ius imperandi omne id, quod non euidenter conſtat eſſe malum, aut extra limites auctoritatis ipſius; Præterea obedientia eſt virtus perfectiſſima, nec debet ſubditus rationem omnium præceptorum exigere, nec Prælatus tenetur reddere, maximè in caſibus ſupradictis, ita Sayrus in lib. 1. clauis Regiæ c. 13. nu 40. & 59. Sot. de ratione teg. ſecretum, membro 3. q. 2. concl. 1. Sanchez exactè ſuper decalogo to. 2. lib. 6. c. 3. nu. 3. & ſeq. Miranda in ſuo man Prælat. t. 1. q. 26. art. 5.

d. §. 2: Tertiò quæritur, An in aliquo caſu teneatur ſubditus obedire Prælato præcipienti aliquid contra regulam, ſeu contra noſtras Conſtitutiones, quæ ſunt loco regulæ? Reſpondeo, quòd ſi aliquid præcipit diſpenſando cum cauſa legitima, in tali caſu tenetur ſubditus obedire; Et ratio eſt, quia opus illud pro tunc, non eſt contra regulam,

ita Ludouicus Miranda in ſuo man. Prælat. t 1.q.26 ar.8. & t.2.q 31.ar.8.

d.§.3. Quarto quæritur, An ſubditus teneatur obedire Superiori, quando eſt dubius, an Superior ſit legitime electus, aut confirmatus? Reſpondeo teneri; & ratio eſt, quia Superior habet legitimam poſſeſſionem, & ideo ſubditus non poteſt ipſum ſpoliare, denegando debitam obedientiam; ita D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib.6.q.69. Ludouicus Miranda in ſuo man. Prælat. t.1.q.26.ar.6.

d.§.4. Quinto quæritur, An Religioſus teneatur obedire Prælato coarctanti immunitates, & libertates à Regula, vel ab altiori Superiore conceſſas? Reſpondeo teneri, ita docet Corduba ſuper Regula S. Franciſci cap 10. q.2. p.6. quem refert, & ſequitur D Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib.6.q.70. Et ratio eſt, quia quamuis Prælatus non poſſit in vniuerſum huiuſmodi libertates immutare, poteſt tamen in caſu particulari iuſta aliqua de cauſa huiuſmodi immunitates coarctare; neque hoc eſt contra regulam. Et in dubio an Prælatus poſſit coarctare, & an cauſa id faciendi ſubſit, ſtandum eſt Superioris iudicio per ſupradicta quæſt 2.

d.§ 5. Sexto quæritur, Si Prælatus tempore peſtis præcipiat Religioſo, vt ſacramenta infirmis adminiſtret, an teneatur obedire, non obſtante, quòd debeat ſequi mors ipſius miniſtrantis? Reſpondeo, quòd ſi loquamur de Religioſis domeſticis peſte infectis tenentur, non ſolum ſacramenta miniſtrare, ſed etiam inſeruire, ſi id etiam præcipiat Prælatus; Et ratio eſt, quia bonum commune, & conſeruatio ſtatus Religioſi id poſtulat, ſicut etiam cum tali periculo tenetur ſæcularis ex iuſſu Principis bellum aggredi, ita D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib.6.q.104.

Si

Si verò loquamur de externis peſte infectis, in hoc caſu, ſi id munus poteſt ſufficienter per Parochos exerceri, non tenetur; Et ratio eſt, quia id munus per ſe primo ad Parochos ſpectat.

Si verò per Parochos ſufficienter adimpleri non poteſt, quia verbi gratia non ſufficiunt: Et in hoc caſu ſi eſſent alij Sacerdotes, qui Epiſcopi ſumptibus vellent Parochos adiuuare, non teneretur; ſi verò nō adeſſent alij Sacerdotes, teneretur, etiam ex præcepto charitatis. ita D. Barthol. à S. Fauſto, vbi ſupra q. 107. Quamuis autem id verificetur quo ad omnes alios Religioſos, maximè tamen, & ſpecialiter de nobis affirmandum eſt, cum noſtri muneris ſit eſſe Epiſcoporum, & Parochorum coadiutores in ſalutem animarum.

d. §. 6. Septimo quæritur, An Præpoſitus generalis noſtra Congregationis, vel alterius poſſit eximere ſubditum ab obedientia ſui Præpoſiti? Reſpondeo non poſſe, quia iuri rectæ rationi, & conſuetudini generali obſtare videtur; Cum ſolus Romanus Pontifex poſſit huiuſmodi exemptiones indulgere; ita D. Bartholomæus à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib. 6. q. 146 & Rodriquez in ſumma p. 2 c. 31. nu. 6. & Ludouicus Miranda in ſuo man. Pralat. t 2. q. 7. ar. 6.

d. §. 7. Octauo quæritur, Quæ ſit perfecta obedientia? Reſpondeo, quòd perfecta obedientia exigit, vt Religioſus in omnibus licitis obtemperet Superioribus, quamuis ea præcipi non poſſint; Imò vt exequatur Superiorum voluntatem, quouis modo ſibi cognitam, etiam ſi nulla præcipiendi voluntas ſit, & ad Superiorum nutum ducatur in omnibus licitis, quod mirabiliter explicuit S. Benedictus in ſua Regula, cuius verba ſunt hæc.

Cæterum ſubditus obedientiam, quæ voti finibus cohibetur nouerit imperfectam, ad hanc profitentes ex neceſsitate

ceſsitate coguntur. Obedientia verò perfecta eſt, ſecundum quam ſubditus ſimpliciter obedit in omnibus, quæ nō ſunt contraria legi diuinæ, vel Regulæ, quam eſt profeſſus. Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, non continetur profeſsionis anguſtijs, & ad omne, quod iniungitur, ſpontaneo vigore, liberalis, alacriſq; animi, modum non conſiderans in infinitum fertur. Sotus verò lib. 7. de iuſt. & iur. q. 2. ar. 4. ad finem dicit, hoc eſſe intelligendū in rebus, quæ quotidiano monaſticæ vitæ exercitio ſeſe offerunt: in his enim præſtat non expectare præceptum Superioris, ſed intellecta eius voluntate præuenire.

Aduertat tamen lector, quod licet vera ſint, quæ dixi, quo ad perfectionem obedientiæ, tamen certum eſt, quo ad præciſam voti obedientiæ obligationem, non teneri Religioſum obedire, licet norit voluntatem ſui Prælati eſſe, vt aliquid faciat; ſed oportet adeſſe præceptum illius voce expreſſum, vt docet D. Tho. de veritate q. 23. ar. vlt arg. 3. iuncta eius ſolutione, Sylu. v. obedientia in fine, & verbo præceptum q. 2. Vaſquez in 1. 2. D. Thom. q. 95. art. 3. diſp. 155. ad finem. Sanchez in præceptis decalogi lib. 6. c. 2. nu. 3. & 5. Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælatorum t. 1. q. 26. art. 4.

e Abſque ſui Superioris licentia, &c. Hic quæri poteſt primò, An Religioſus habens ſuperflua ſecūdum ſuum ſtatum, de licentia tamen iniuſta Prælati, ſi paratus ſit omnia ea reſignare in manibus Prælati ſtatim ac fuerit ab eo requiſitus, committat peccatum proprietatis, & poſſit puniri, vt proprietarius? Reſpondeo, quòd vterque peccat mortaliter ex ſuo genere, ideſt, tam ſubditus vtendo, quàm Prælatus concedendo huiuſmodi licentiam: Non tamen eſt proprietarius, nec vt talis puniri poteſt, ita docet Sylu. de mente Archidiaconi, v. Religio 6. q. 7. nu. 7.

verſ.

verſ. quartum &c. & Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælat.t.1.q.28.ar.15.concl.1. & Nauar. in c. non dicatis. 12.q.1.nu.21.

e §.1. Secundò quæri poteſt, An Religioſus, qui dat, donat, vendit, aut diſtrahit rem aliquam notabilem de licentia iniuſta Prælati, peccet mortaliter, & incidat in pœnas proprietarij? Reſpondeo quòd peccat mortaliter tam ſubditus, quàm Prælatus: Nō tamen incidit in pœnas proprietarij, nam huiuſmodi pœnæ non imponuntur contra omnem committentem peccatum proprietatis, ſed contra illos ſolummodo, qui clam, & ſine licentia Prælatorū abutuntur monaſterij bonis, ita docet Nauar. in c. non dicatis 12.q.1.nu.21. quem refert,& ſequitur Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælat.t.1 q.28.art.15 concl.2.

e.§.2. Tertio quæri poteſt, an contrahens debita ſine licentia ſui Superioris puniri poſſit, vt proprietarius? Reſpondeo, quòd ſic, quia per mutuum transfertur dominiū, & dum ſine licentia Superioris accipitur, expenditur, vel poſſidetur, efficitur proprietarius; Et in Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum anni 1293. fuit factum infraſcriptum Decretum,

Inhibemus diſtrictè, ne aliquis contrahat debitū ſine licentia ſui Superioris; Et qui ſecus fecerit teneatur ieiunare in pane, & aqua quotidie, quouſque ſatisfecerit creditori.

In noſtra vero Religione punitur pœna trium menſium carceris per Decretum factum ab A. R. P. Generali D. Philippo Maria Guadagno & ſuis Conſultoribus die 22. Martij 1628. vt apparet ex libro Conſultationum fol 24.

f Poſsidere. Noſtri licet, neque in communi, neque in particulari poſſideant annuos redditus, neque bo-

na

na immobilia, præter domum, in qua habitant, & locum in quo recreantur. Tamen non ſunt incapaces ad ſuccedendum hæreditatibus, legatis, donationibus, annuis redditibus, &c. vt patet ex his, quæ dixi in ſecunda parte Cōpendij noſtrorum Priuilegiorum, tit. hæreditas, §.1. & in ſcholio.

g Renunciant. De iure communi, quæ diſpoſita ſunt circa diſpoſitionem propriam bonorum Nouitiorum, latè tractat Sanchez in præceptis Decalogi lib. 7. cap. 1. 2. 3. & 4. Quid autem immutatum ſit, & ſtatutum per Decretum Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 16. de Regular. explicabimus per infraſcriptas quæſtiones.

g. §. 1. Et primo quæritur, An Nouitius habens beneficium eccleſiaſticum, poſſit validè illi renunciare, non ſeruata ſolemnitate Decreti Conc. Trid. in ſeſſ 25. cap. 16. de Regularib. nulla quoque renunciatio, &c. Reſpondeo non poſſe; & ratio eſt, quia Concil. Trid. generaliter agit de renunciatione, nullum excludens: Ergo generaliter debet intelligi, iuxta tex. in cap. ſolitè, §. fin. de maior. & obed. & l. 1. §. in infinitum, ff. de legatis præſtandis. Præterea vbi eſt eadem ratio, eadem debet eſſe iuris diſpoſitio, c. dudum, il ſecondo, de electione, c. cum dilecta de confir. vtil. vel inutil. l. illud, ff. ad leg. Aquil. ſed ratio, quæ mouit Concilium ad id ſtatuendum, fuit ne Nouitius retardetur à libero egreſſu, videns ſi egrediatur, ſe non potiri bonis àntea poſſeſsis, & hæc ratio æquè locum habet in hac renunciatione beneficiorum; Ergo, vt talis renunciatio ſit valida opus eſt, vt fiat cum licentia Ordinarij intra duos menſes ante profeſsionem; & ſi profeſsio non ſequatur tenetur is in cuius fauorem facta fuit, reddere, ei iterum præfatum beneficium. Et hanc opinionem tenet Flamin. Pariſ. de reſign. benefic. lib. 3. q. 13. nu. 5. 6. & 7. & addit ſic

ſæpe reſpondiſſe Congregationem Illuſtriſſimorum Cardinalium, quem refert, & ſequitur D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib 5.q.181. & q.182. illam extendit etiam ad beneficium, cuius titulo eſt ordinatus, & Sanchez in preceptis decalogi lib.7.cap.5.nu.36. vſque ad 40. incluſiue, & nu.41 illam extendit ad renunciationem patrimonij, cuius titulo Nouitius ad ordines eſt promotus, & Ludouicus Miranda in ſuo manuali Prælat. tom.1.q 23. art. 5. dummodo fiat mentio in tali renunciatione, Nouitium eius titulo eſſe ad ſacros ordines promotum.

g. §. 2. Secundo quæritur, An renunciatio facta à ſeculari ante ingreſſum Religionis de ſuis bonis ſit valida? Pro deciſione huius difficultatis, ſciendum eſt primo, quod ſiquis non habens animum ingrediendi Religionem renũciaſſet, aut quamcunque aliam donationẽ feciſſet, abſque dubio valeret; nam Concilium Tridentinum de ea non loquitur. ita Sanchez in præceptis decalogi lib.7.c 5 nu.2. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Relig. lib.5.q.183.

Sciendum eſt ſecundo, quòd quando non appareret an eſſet facta intuitu ingrediendi Religionem: ſi eſſet facta paulo ante ingreſſum Religionis præſumeretur facta intuitu ingrediendi Religionem, ita Emanuel Rodriquez to.2. quæſt. Regular. q.47. art. 8. quem refert, & ſequitur Sanchez vbi ſupra.

Nunc difficultas eſt, An renunciatio facta à ſeculari de ſuis bonis ante ingreſſum Religionis, & intuitu ingreſſus Religionis ſit valida? Et duæ ſunt Doctorum opiniones, vna eſt Nauar. in Conſilijs in 1. editione lib.3. tit. de donat. conſ.7. & 8. & in 2. editione tit. de Regularibus co ſ 81. & 82. Molinæ to.1. diſp.139. & 149. Azorij t.1. inſtit. moral. lib.13.c.9.q.2. Menoc. conſ. 388 nu.7. vol.4. Flamin. Pariſ. de reſign. benefic. lib.3.q.13.nu.9. dicentis, ſic conſueuiſſe Sacram Congreg. Cardinalium declarare, Ludouici Mirã-

dæ in ſuo man. Prælat. t. 1. q. 23. ar. 2. & 3. & aliorum, quos refert Sanchez vbi ſup. nu. 3. qui dicunt eſſe irritam, & nullam, tanquam factam contra Decreti Conc. Trid. formam. Ducuntur primò, quia Concil. in vniuerſum loquitur de renunciatione facta ante profeſſionem, non reſtringendo ad factam tempore Nouitiatus.

Secundò, finis Concilij eſt, ne impediatur libertas egreſſus Nouitij ex amiſſione bonorum, quibus intuitu ingreſſus ſe ſpoliauerat, quæ ratio æquè habet vim in hoc caſu, ac in renunciatione facta tempore nouitiatus.

Tertiò, lex pœnalis, & exorbitans extenditur ad alium caſum, quòd ſi ad illum non extenderetur fruſtraretur c. ſi Ciuitas de ſent. excomm in 6. At ſuo fine defraudaretur Concil. ſi ante ingreſſum nouitiatus permitterentur renunciationes eius intuitu factæ: Ergo hoc Decretum quantumcunque pœnale, & exorbitans eſt ad has renunciationes extendendum.

Altera opinio eſt Mandoſij conſil. 22. num. 8. & 9. vol. 1. Paſſarelli in priuilegijs Minorum c. 37. dicentis ita ſibi reſpondiſſe Congreg. Illuſtriſſimorum Cardinalium confect. in Priuilegijs Mendicantium notabilibus poſitis poſt Bullas Apoſtolicas tit. 13. c. 12. in fine, & 13. Conſtæ de remedijs ſubſidiarijs remedio 85. in fine. Stephani Gratiani in deciſ. Rotæ Marchæ tota deciſ. 37. p. 1. Vegæ to. 1. ſummæ cap. 91. caſu 4 & to. 2. cap. 50. caſu 3. & aliorum quos refert, & ſequitur Sanchez in præceptis decalogi lib. 7. c. 5. num. 4. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum q. 83. num. 2. omnes iſti Doctores dicunt dictam renunciationẽ eſſe validam, & non comprehendi in dicto Decreto Conc. Trid. ducuntur ad id aſſerendum.

Primò, quia in dubio, tex. eſt intelligendus iuxta rubricam, ſub qua conſtituitur, cum vnuſquiſque textus congruis ſubdatur titulis, l. ſi quid autem, §. ſi quid verò, C. de vet.

ret.iur. enucleando, & l.1.§.quibus ſpecialiter,C. de nouo codice faciendo: Cum ergo intelligentia huius tex. dubia ſit, accipienda eſt ex rubr. ſub qua conſtituitur, quæ eſt de Regularibus; Ergo non intelligitur de merè ſecularibus, quales ſunt, qui in nouitiatum nondum ingreſsi ſunt.

Secundò probatur ex c.15.eiuſdem ſeſſ.25. Conc.Trid. cui continuatur Decretum hoc 16. per dictionem copulatiuam (quoque) ibi, nulla quoque renunciatio, &c. cuius natura eſt copulare ſequentia, cum præcedentibus, argum. §. præter quoque, inſt. de iure naturali, & §. poſthumo, inſt. de legatis: Et pariformiter determinare, vt notatur in l.4. C. de impuber. & alijs ſubſlit.Cum ergo caput illud immediatè præcedens loquatur de Nouitijs, de eiſdem intelligendum eſt Decretum capitis ſubſequentis: At prohibita certo tempore cenſentur in reliquo permiſſa, l. Imperatores, ff. de poſtulando, l. ſtatu liberum, §. ſticum, ff. de legat.1. Ergo cum iſta renunciatio ſit prohibita tempore nouitiatus, in alio tempore, nempe ante nouitiatum cenſetur permiſſa.

Tertiò, antequam ille renuncians ſit Nouitius, eſt perſona mera ſecularis,& tractatur de bonorum temporalium renunciatione: Ergo non cenſetur de eo aliquid diſponere voluiſſe Conc.Trid.arg. c. nouit.de iudicijs, & c.per venerabilem qui filij ſint legitimi.

Quartò,Decretum hoc eſt iuris communis correctoriũ, maximè dum vires iuramenti infirmat, aufertq. liberam de proprijs bonis diſponendi facultatem. Ergo non debet extendi de vno tempore ad aliud.

Quintò, ita declarauit Sacra Congregatio Illuſtriſsimorum Cardinalium, vt refert Paſſarellus, & Stephanus Gratianus,& Sanchez in locis præallegatis.Declaratio hæc eſt, An diſpoſitio cap.16.ſeſſ.25. comprehendat illum etiam, qui habuit animum ingrediendi Religionem,

& adhuc in ſeculo exiſtens, & tamen acceptatus, licet habitum non ſuſceperit, donauit bona ſua matri, non adhibitis ſolemnitatibus, hoc capite requiſitis? Congregatio cenſuit non habere locum in renunciatione facta ante ſuſceptionem habitus.

Iſtæ opiniones ambæ probabiles ſunt, ſed ſecunda videtur probabilior meo iudicio, & illam amplectendo, reſpondeo rationibus primæ ſententiæ; &c.

Ad primam dico, Decretum Conc. Trid. manifeſtè loqui de Nouitijs; vt patet ex prima, & ſecunda ratione ſecundæ opinionis.

Ad ſecundum dico, quòd ſi dicta ratio efficax eſſet idē probaret de renunciatione facta non intuitu ingreſſus Religionis, quia illa ſimiliter impedit libertatem egreſſus.

Ad tertiam dico, eam doctrinam accipiendam eſſe quādo ea, ad quæ fit extenſio, commodè comprehendi poſſunt ſub verbis prohibitionis: at nondum ingreſsi in nouitiatum minimè comprehendi poſſunt ſub Nouitiorum nomine, cum ſint omnino perſonæ ſeculares, & iuriſdictioni temporali ſubiectæ.

g.§.3. Quæritur tertio, An prædictum Decretum 16. ſeſſ. 25. de Regularibus, intelligatur de omnibus Nouitijs, an de ſolis minoribus ſexdecim annis? Menoch. de arbitrarijs iudicum lib. 2. cent. 5. caſu 43. nu. 8. exiſtimat intelligi de ſolis minoribus ſexdecim annis, atque Nouitios hāc ætatem excedentes poſſe quandocunque liberè de ſuis bonis diſponere.

Alij verò tenent Decretum hoc loqui de Nouitijs etiam maioribus ſexdecim annis, quia ratio huius Decreti fuit, vt conſuleretur libertati Nouitij egredi volentis, ne ea occaſione diſcedere nequeat, quòd totam, vel maiorem ſubſtantiæ ſuæ partem donauit, neç facilè eam recuperare valet;

let; quæ ratio æquè militat in maioribus ſexdecim annis: Et cum ratio ſit omnino ſimilis, par quoque diſpoſitio eſſe debet, c.tranſacto de conſtitutionibus, l. illud, ff. ad legē Aquiliam, & hanc ſententiam tenet Cenedo in ſuis Collectaneis collect. 50. in Decretum nu. 5. Guttierez in ſuis qq. Canonicis lib. 2. c. 1. nu. 34. Valaſc. de partit. cap. 16. nu. 27. Emanuel Roderiq. t. 2. ſummæ cap. 7. nu. 7. & in qq Regular. t. 2. q. 47. ar. 13. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep. decalogi lib. 7. c. 5. nu. 7. quæ opinio mihi videtur vera, & hæc in praxi ſeruatur.

g. 54. Quæritur quarto, An Nouitius poſsit quocunque tempore voluerit teſtamētum condere? Et reſolutiuè reſpondendo dico poſſe; Et ratio eſt, quia Conc. Trid. in hoc Decreto 16. ſeſſ. 25. de Regularibus, loquitur de ſolis renunciationibus, & obligationibus, non autem de teſtamentis, & alijs vltimis voluntatibus. Præterea finis huius Decreti eſt, ne Nouitius videns ſe expoliatum ſuis bonis cogatur in Religione inuitus remanere, quod non contingit in teſtamento, & alijs vltimis voluntatibus, cum ante profeſſionem poſsit illud, vel illas ſemper ad ſui libitum reuocare, & ita docent Nauar. comment. 2. nu. 51. de Regularib. & lib. 3. conſilior. in 2. edit. tit. de Regul. conſil. 83. n. 2. & 3. Guttierez quæſt. canon. lib. 2. c. 1. à nu. 31. vſque ad 34. Molina t. 1. de iuſt. & iur. diſp. 139. & 149. Roder. to. 2. quæſt. Regular. q. 47. ar. 10. Azor. lib. 12. inſtit. moral c. 2. q. 14. & lib. 13. c. 9. q. 2. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præceptis decalogi t. 2. lib. 7. c. 5. nu. 13. & 14. & D Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Relig. lib. 5. q. 188. & 189. Et idem dicunt in locis præallegatis de donationibus cauſa mortis, & quacunque alia vltima voluntate, & præcipuè Sanchez nu. 14. & D Barthol q. 189. & Ludou. Miranda in ſuo man. Prælat. t. 1. q. 23 art. 4.

Facta autem profeſsione non poteſt amplius teſtamen-

tum

tum facere, nec factum ante profeſsionem reuocare, aut mutare (nota) nec etiam explicare, vt infra videbimus quæſt.24. præſentis Commenti.

g.5.5. Quæritur quintò, An donatio, ſeu renunciatio bonorum temporalium facta à Nouitio,ſtatim poſt ſuſceptum habitum, ea conditione, vt ſit irrita non ſequuta profeſsione,ſit valida? Reſpondeo eſſe inualidam, & nullius valoris, eſto quòd iuramento firmata ſit. Probatur.

Primò ex Conc.Trid.ſeſſ.25.cap.16.de Regularibus,vbi abſolutè dicit, omnes donationes, & renunciationes aliter factas, quàm, vt ibi exprimitur, eſſe inualidas, & nullius momenti.

Secundò in renunciatione facta in tempore, & cum ſolemnitate requiſita per Decretum Concil.Trid.ineſt tacitè ea conditio, vt profeſsione, nondum ſequuta, ſit nullius valoris, & nihilominus ea ſolemnitas eſt neceſſaria; Ergo idem dicendum eſt ea conditione expreſſa: cum taciti, & expreſsi idem ſit iudicium l.cum quid ff.ſi cert.pet. & fruſtra exprimitur,quod tacitè ſubintelligitur. l. Cornelia ff. de hæred.inſtituen.l.hæc verba ff. de leg.1.

Tertiò, Cùm iſtæ renunciationes, & donationes inter viuos factæ reuocari nequeant, niſi egreſſo Nouitio è Religione, vt infra videbimus, Conc. Trid. ſtatuit, vt fierent cum maturitate, nempe bimeſtri proximo profeſſioni, & cum licentia Ordinarij.

Quartò, hanc opinionem tenet (contra Molinam, qui docet eſſe validam in t.1.de iuſtitia diſp.149.) Nauar.in conſilijs in prima editione lib. 3. tit. de donationibus conſ. 7. num.2. & in ſecunda editione tit. de regularibus conſ. 82. Roderiq. in Summa 1.part.cap.90.nu.2. Menoc.conſ.388. num.7.vol.4.quos refert, & ſequitur Sanchez in præceptis Decalogi lib.7.cap.5.num.17. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum,queſt.185.

Quæ-

g.§.6. Quæritur ſextò, an nomine renunciationis, & obligationis intelligatur, & comprehendatur in dicto Decreto Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. de regularibus, donatio inter viuos? Reſpondeo abſque dubio comprehendi, quia etſi non videatur propriè renunciatio, eſt tamen quædam renunciandi proprijs bonis ſpecies. Præterea dubitari nequit eam comprehendi nomine obligationis, cum donans obligetur ad rem irreuocabiliter tradendam Donatario.

Tandem, quia finis huius Decreti, non minus habet locum in donatione, quàm in renunciatione, æquè enim vtraque obſtat libero Nouitij egreſſui, ita Nauarr. in conſ. in prima editione lib. 3. tit. de donationibus conſ. 7. nu. 2. & conſ. 8 num. 1. in ſecunda verò editione tit. de regularibus conſ. 81. num. 1. & conſ. 82. num. 2. & Commentario ſecundo de Regularibus num. 51. in fine, Menochius de arbitrar. Iudicum lib. 2. cent. 5. caſu 436 num. 8. Spino in Speculo teſtam. gloſ. 12. principali nu. 50. Molina tom. 1. de iuſtitia, diſput. 139. col. 9. verſ. Ambiget præterea, Emanuel Sa. in Summa. v. Religio num. 5. Emanuel Roder. in Summa t. 1. cap 90 num. 1. & t. 2. cap. 7. num. 8. quos refert, & ſequitur Sanchez in præceptis Decalogi lib. 7. cap. 5. num. 20. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſ. lib. 5. q 80.

Quæ opinio procedit, ſiuè donatio fiat in fauorem Monaſterij, ſiue fiat in fauorem perſonæ ſecularis, ita Sanchez vbi ſup. num. 21.

g.§ 7. Quæritur ſeptimò, an poſſit Nouitius facere aliquam eleemoſynã de ſuis bonis tempore Nouitiatus abſq; ſolemnitate requiſita ex Decr. Conc. Trid. ſeſſ. 25 c. 16. de Regularibus? Reſpondeo, quòd poteſt dummodo ſit modica, conſideratis facultatibus ipſius Nouitij; & ratio eſt, quia libertati egreſſus à Religione non poteſt obſtare, & ſicut poteſt illam tribuere pauperi extraneo, poteſt etiam erogare Monaſterio, ita Sanchez in præceptis Decalogi

lib. 7.

lib.7.cap.5.num.22.D.Barthol.à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib.5. quæſt.180. in fine, & Azorius lib.13. inſtit.moral.cap.9.quæſt.2.

Et adueniente caſu, quo Nouitius exeat è Religione, non tenetur Monaſterium dictas eleemoſynas erogatas nouitio reſtituere, vt exiſtimat Sanchez in loco præallegato num.22.in fine,ibi,nec has reddendas egreſſis exiſtimo, licèt reſtituere teneatur omnia bona,quæ nouitius in Monaſterium intulerat iuxta dictum Decretum Conc. Trid. & etiam fructus inde perceptos, qui ad bona nouitij pertinet. ita Azor.in loco præallegato, & D. Bartholomæus à S.Fauſto vbi ſup.lib 5.quæſt.190.

Similiter parentibus nouitij non eſt interdictum eleemoſynas,& donationes facere Monaſterio,vbi eſt nouitius, & de proprijs bonis ipſorum parentum,quas poſſent facere cuicuique extraneo, & ratio eſt, quia Concil.Trid.in dicto Decreto ſolùm prohibet ex bonis nouitij aliquid tribui Monaſterio, non autem ex bonis parentum, ita Sanchez in præceptis Decal.l.7.c.5 num.23.

g.§.8. Quæritur octauò, an poſſint Prælatus, & Patres Monaſterij accipere mutuo à nouitio, vel parentibus nouitij ex bonis dicti Nouitij. Et reſpondetur poſſe,& maximè ſi intercedat fideiuſſio, vel pignus,vel ſaltèm ſcriptura publica, & ratio eſt, quia illa datio eſt prohibita per Concil. Trid. per quam dominium acquiritur Monaſterio ante profeſſionem, ita vt nunquam reſtituere teneatur.

Præterea ratio Concilij Tridētini ceſſat in mutuo, quia ſi diſcedit nouitius à Religione, facilè recuperare poterit quod Monaſterio mutuauit.

g.§.9. Quæritur nonò, an parentes, vel propinqui, vel curatores nouitiorum dantes aliquid Monaſterio, vel Religioſis Monaſterij, in quod ingreſsi ſunt tempore Nouitiatus ex bonis nouitiorum incurrant ipſo facto in excommuni-

municationem latam à Conc.Trid. ſeſſ.25.cap.16. de Regularibus? Reſpondeo, quòd duæ ſunt Doctorum opiniones, vna eſt Velaſchi de parti. cap. 16. num.31 & Manuel Roderiquez in ſumma.t.2 cap 7. num.vlt. quos refert Sanchez in præceptis Decalogi lib.7 cap.5 num.26. qui dicunt dictam excommunicationem eſſe latam in dantes, & recipientes ex bonis nouitij, præter eius victum, & veſtitum.

Altera docet non eſſe latam, ſed ferendam, quia ſancta Synodus præcipit ſub anathematis pœna dantibus,& recipientibus; ne hoc vllo modo fiat: quæ verba ſolam excommunicationem ferendam continent, vt tradunt Doctores in Tractatu de excommunicatione, Suarez tom.5. de cenſuris diſp.22. ſect.5.nu.15. Sayrus de cenſuris lib.1. cap.11. n.12. Vgolinus de cenſuris in genere tab.1.cap.9.§.6 nu.15. Nauarr.in Manuali cap.27.num.12.& Sanchez vbi ſup.

Sed aduertendum eſt, quòd quæſtio procedit quando datio eſt in magna quantitate, quod colligitur ex eodem Decreto ibi, ne hac occaſione diſcedere nequeat,quòd totam, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſsideat.

§ 10. Quæritur decimò, an nouitius è Monaſterio diſcedens ante profeſsionem,teneatur ſoluere ſumptus,quos in eo alendo Monaſterium fecit? Reſpondeo,quòd Doctores communiter docent non teneri.

Primò, ducti ea ratione, quia ſi monaſterium eum aluit, ipſe quoque monaſterio inſeruiuit.

Secundò quia liberè poteſt redire ad ſeculum iuxta tex. in c. non ſolum de Regularibus in 6. At non poſſet liberè exire, ſi ad expenſas teneretur, quia retineri poſſet, eo quòd expenſas non ſoluiſſet: Ergo non tenetur expenſas ſoluere.

Tertiò, in multis Religionibus non petuntur dicta alimenta quando Nouitij exeunt à Religione: Ergo ſignum

eſt, quòd non tenentur; ita docent Sylu. v. Religio. 5. q. 1. Azor. lib 12. inſt. moral. c. 3. q 6. Emanuel Sa v. Religio n. 8. D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Relig. lib. 5. q 191. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præceptis decal. to. 2. lib. 6. c. 10. nu. 4. Poſſet tamen aliquis oppoſitam ſententiam ſuſtinere, nempe, quòd teneantur; & primò probatur ex dicto Decreto Conc. Trid. ſeſſ. 25 c. 16 de Regularibus, vbi habetur, quòd diſcedente Nouitio à Religione ante profeſſionem, ſi aliquid acceperunt Religioſi à parentibus dictorum Nouitiorum ex bonis Nouitij tenenrur reſtituere (nota) excepto victu, & veſtitu Nouitij; non enim hoc dixiſſet Concilium, niſi dicti Nouitij tenerentur.

Secundò, in monaſterijs mulierum conſuetudo eſt vniuerſalis, vt Nouitiæ alantur à parentibus, vel curatoribus ex bonis Nouitiæ tempore nouitiatus: Ergo cũ Conc. Trid. loquatur de Nouitijs, tam maſculis, quàm fœminis, ſequitur idem obſeruandum eſſe in vtriſque. Nec obſtant rationes contrariæ opinionis, nam ad primam dico, quòd non ſolum Nouitij non ſeruiunt monaſterio, cum ſint inexpertes rerum pertinentium ad Religionem, ſed potius monaſterium ſeruit Nouitio, vt benè experti ſunt Magiſtri Nouitiorum.

Ad ſecundam nego minorem: nam non ſequitur non teneri ad expenſas ex eo, quòd tex. dicit, quòd liberè poſſunt exire è monaſterio.

Ad tertiam dico, quòd ſi non petuntur (vt obſeruat noſtra Religio) procedit ex modeſtia Religioſorum; tamen non ex hoc ſequitur, quòd non teneãtur Nouitij, vel quòd non poſſint retinere Religioſi ex bonis Nouitij expenſas factas pro victu, & veſtitu. Imò audiui, quod in aliquibus Religionibus virorum id obſeruatur, vt non recipiantur Nouitij, niſi à principio ſoluant alimenta pro tempore Nouitiatus. A communi tamen opinione non eſt recedendũ,

& iſta

& iſta ſecunda opinio poteſt habere locum, quando à Nouitijs, vel conſanguineis Nouitij aliqua liberaliter fuerunt tradita pro victu, & veſtitu, nam retineri poſſunt, dato quòd repetantur diſcedente Nouitio à Religione ſi fuerint conſumpta. Et ſic explicari debet Concil. Trid. in loco allegato.

Poteſt etiam habere locum iſta ſecunda opinio, quando ante ingreſſum Religionis, Religio peteret alimenta à Nouitio pro tempore nouitiatus.

g.§.11. Quæritur vndecimò, An teſtamentum factum à Nouitio ante ingreſſum Religionis, in quo non eſt inſtitutum monaſterium, reuocetur eo ipſo ſequuta profeſſione? Reſpondeo, quòd quatuor ſunt Doctorum ſententiæ in hac difficultate, ſed quia breuitati ſtudeo, remitto lectorem ad Sanchez, qui in præcepris decal.t.2.lib.7.c.3.à nu. 23. latè diſputat hanc difficultatem, ipſe verò ſequitur vltimam opinionem, quæ tenet teſtamentum illud firmum omnino manere, ſiue tempore teſtamenti cogitatum ſit de ingreſſu Religionis, ſiue non.

g.§.12. Quæritur duodecimò, An teſtamentum factum per Nouitium, reuocetur per donationem bonorum validá factam poſt teſtamentum ante, vel poſt ingreſſum Religionis? Reſpondeo, quòd reuocatur; ita docet Sanchez, vbi ſupra lib.7 cap.5.nu.30. Sed dubium eſt, An reuocetur per donationem inualidam poſtea factam ex defectu alicuius conditionis, earum præcipuè, quas poſtulat Conc. Trid. in ſeſſ.25.cap.16. de Regularibus? Reſpondeo, quòd in hac difficultate plura dicunt Doctores, ſed ex illis, videndi ſunt inter alios Couarr. in rubrica de teſtamentis p.3.n.21. poſt quintam concluſionem, Molina to.1. de iuſtitia, diſp. 153. Menoch. de præſumpt. lib.4. præſump.167.num.11.& 12. Pro deciſione verò noſtri dubij dico, quòd licet prima facie videatur huiuſmodi donatio non poſſe annullare inſtitu-

ſtitutionem hæredis, nec legata, quia, quod nullum eſt, nullum producit effectum, tamen Bart. in l. fin. in fin. ff. de auro argento legato docet, licet contractus non tollatur per inutilem ademptionem, ſecus tamen contingere in vltimis voluntatibus, & in l. cum Dominus, §. fin. nu. 1. ff. de peculio legato, ſic ait: licet inutilis diſpoſitio facta in teſtamento non vitiet priorem, ſecus ſi illa inutilis ſit inter viuos, & hanc opinionem ſequitur Sanchez in præceptis decalogi t. 2. lib. 7. c. 5 nu. 30

g. §. 13. Quæritur decimotertiò circa Decretum Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 16. de Regularibus; qui contractus comprehendantur ſub nomine renunciationis, & obligationis? Reſpondeo, quòd veniunt omnes contractus lucratiui, quales ſunt donationes, renunciationes, fideiuſſiones, liberationes à reddendis rationibus, &c. & etiam illi contractus onerosi, in quibus non tantidem recipitur quantum datur; vt v. g. dare pecuniam in Puellæ dotem marito futuro, eſt contractus onerosus, cum detur ob cauſam matrimonij, vt vir obligetur ad illius onera ſubſtentanda, & tamen comprehenditur in hoc Decreto, quia Nouitius ſpoliat ſe bonis nihilo recepto; At non comprehenduntur contractus onerosi, in quibus tantum recipitur, quantum datur; vt ſunt contractus emptionis, & venditionis, permutationis, locationis, & ſimiles, quia in his ceſſat ratio Decreti Concil. Trid. quæ eſt ne Nouitius patrimonio deſtitutus, cogatur hac occaſione profiteri; vnde illi contractus poſſunt à Nouitio celebrari abſque ſolemnitate requiſita à dicto Concilio, & ita docet Sanchez in præceptis decalogi to. 2. lib. 7. cap. 5. à nu. 31. vſque ad 35. incluſiuè D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib. 5. q. 179. Roderiq. in ſumma to 2. cap. 7. nu. 4.

g. § 14. Quæritur decimoquarto, An renunciatio facta à Nouitio iuxta Decretum Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap 16. de

Regu-

Regularibus, in fauorem monaſterij, vel alterius, corruat ſi contingat mori Nouitium ante profeſſionem? Reſpondeo duas eſſe Doctorum opiniones; Vnam, quæ tenet non corruere, ſed firmam manere; & ratio eſt, quia licet in dicto Decreto dicatur renunciationem hanc non alias intelligi ſortiri ſuum effectum, niſi ſequuta profeſſione, attamen, cum finis dicti Decreti ſit cõſulere libertati egreſſus Nouitiorum, & conditio niſi ſequuta profeſſione, idem videtur eſſe, ac ſi diceret, niſi permanente Nouitio in Religione. Ex eo enim, quòd poſt mortem non ſint reddenda bona hæredibus Nouitij nõ impeditur libertatis egreſſus, cum igitur permanſerit in Religione videtur ſortiri effectum dicta renunciatio, & hanc opinionem tenet Fuſcus de viſitatione Epiſcoporum lib.2. c.14. vel 15. nu.67. quæ poteſt comprobari.

Primò, quia huiuſmodi renunciationes pendent tanquã à conditione à futura profeſſione, veluti à morte quadam ciuili, & ideo induunt rationem donationis cauſa mortis, quia morte ciuili Nouitij ſequuta ſuum effectum ſortiuntur: Ergo eo magis debent habere effectum, ſequuta morte naturali.

Secundò, quia quælibet diſpoſitio facta in fauorem loci pij, etiam non ſeruatis ſolemnitatibus, quæ ad illam requiruntur, valet fauore piæ cauſæ; ſed talis diſpoſitio cenſetur facta in fauorem animæ: Ergo valet ſequuta morte.

Altera opinio eſt, manere irritam renunciationem; & ratio eſt, quia conditio Concil. Trid. ſequuta morte, non eſt adimpleta; Conditio enim eſt, vt non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri niſi ſequuta profeſſione: Ergo nõn ſequuta profeſſione per mortem, ſequitur clarè eſſe irritam, & nullam.

Et hanc opinionem tenet Nauar. in conſilijs in 1. editione lib.3. tit. de ſtatu Regular. toto conſ. 1. in 2. vero edit. tit

de

de ſucceſſ. ab inteſt. conſ. vlt. Paſſarellus in priuilegijs Minorum cap. 37. dicens, ſic ſibi reſpondiſſe Congregationē Illuſtriſſimorum Cardinalium, Guttierez in quæſt. Canon. lib. 2. c. 1. nu. 107. & 108. Roderiq. in quæſt. Regular. t. 2. q. 47. ar. 12. & in ſumma t. 1. in 2. edit. c. 90. nu. 6. Molina t. 1. de iuſt. diſp. 140. col. 1. verſ. de alijs ergo, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcept. decal. t. 2. lib. 7. c. 5. nu. 49. & D. Bartholomæus à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib. 5. q. 186.

g. §. 15. Quæritur decimoquintò, An renunciatio facta à Nouitio, iuxta formam Decreti Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 16. de Regularibus, poſſit reuocari teſtando, ita ut ſi moriatur Nouitius non facta profeſſione, in eo euentu ceſſet valor prioris renunciationis, aut donationis, ac ſi facta nō fuiſſet? Reſpondeo reuocari poſſe, nec teſtamentum indigere ſolemnitate dicti Decreti Concil. Trid. cum ſit vltima voluntas.

Nec obſtat, quòd renunciatio, vel donatio ſit facta irreuocabiliter, nam non ſequuta profeſſione per mortem, effectum ſuum non ſortitur, vt dictum eſt in præcedenti quæſtione; & ita tenet Emanuel Roder. in ſuis quæſt. Regul. t. 2. q 47. ar. 12. & t. 1. ſummæ in 2. edit. c. 90. n. 6. quem refert, & ſequitur Sanchez in præceptis decal. t. 2. lib. 7. c. 5. nu. 50. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib. 5. q 186. nu. 3.

g. §. 16. Quæritur decimoſextò, An donationi factæ à Nouitio in monaſterij fauorē ſeruata forma Decreti Concil. Trid. in ſeſſ. 25. c. 16. de Regularibus, ſint bona donata ſtatim tradenda monaſterio? Reſpondeo negatiuè, ſed ſequuta profeſſione; Et ratio eſt, quia per dictum Decretum prohibetur monaſterio aliquid accipere ex bonis Nouitij, non ſolum à parentibus, propinquis, aut curatoribus Nouitij, ſed etiam ab ipſo Nouitio quocunque prætextu, quia

eadem

eadem ratio militat in Nouitio, ac in curatoribus, &c. Nouitij, ita Sanchez in præcep. decal. lib. 7. c. 5. nu. 53.

g.S.17. Quæritur decimoſeptimò, An renunciatio, ſeu donatio facta à Nouitio cum ſolemnitate requiſita à Concilio Trid. ad hoc, vt ſit valida, requiratur, vt profeſſio ſit valida? Reſpondeo affirmatiuè, & ratio eſt, quia ad firmitatem prædictæ renunciationis, vel donationis, Conc. Trid. petit profeſſionem: & verba ſunt intelligēda cum effectu; nam idem eſt actum non fieri, & eſſe nullum, vt latè probauit Sanchez de matrim. lib. 3 diſp. 3. n. 5. Præterea Conc. Trid. voluit, vt egreſſus Nouitiorum ſit liber: at dum profeſſio eſt irrita, profitens eſt verè Nouitius, & licitè egredi poteſt: Ergo non eſt valida ea donatio, niſi ſequuta profeſſione valida; & hanc opinionem tenet Emanuel Roder. 2. p. ſummæ cap. 7. nu. 6. Lopez in lib. 2. de contractibus cap. 39. Sanchez in præcep. decal. lib. 7. c. 5. nu. 55. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Relig. lib. 5. q. 187.

Si verò profeſsio eſſet nulla, non ratione ætatis, ſed quia facta eſſet anno non integrè tranſacto, vel ex metu, vel alijs de cauſis, in hoc caſu cum renunciatio ab initio valuerit, eiusq; firmitas pendeat à profeſsione validè emiſſa quamuis profeſsio fuerit initio irrita, & ſic non confirmarit renunciationem, cum tamen ea adhuc in ſuo priſtino valore perſeueret confirmabitur, quoties illa profeſsio ratificata fuerit alia profeſsione, ſiue expreſſa, ſiue tacitè valida. ita Sanchez vbi ſupra nu. 56.

Dixi non ratione ætatis, quia in hoc caſu, non ſolum profeſsio eſt nulla, cum ſit facta ante legitimam ætatem, ſed etiam renunciatio, vel donatio erit nulla eadem ratione; vnde non poteſt conualeſcere ſequuta poſtea legitima ætate, & legitima profeſsione, ſiue expreſſa, ſiue tacita; ſed requiritur vt renunciatio de nouo fiat validè ante profeſsionem validam. ita Sanchez vbi ſup. nu. 56.

Quæ-

g.§.18. Quæritur decimo octauò, an ſicut renunciatio, & donatio à Nouitio facta cum ſolemnitate Decreti Conc. Trid reuocantur non ſequuta profeſsione, poſsit quoque reuocari ab ipſo Nouitio volēte in Religione perſeuerare? Reſpondeo reuocari non poſſe; ita docet Sanchez in præcep.decal.t.2.lib.7 c.5.nu.58. D. Barthol.à S.Fauſto in ſuo theſauro Relig.lib.5.q.184. & ratio eſt, quia donatio cōditionalis non poteſt pendente conditione reuocari, vt docet Angelus verſ.donatio nu.46. Syl. verſ.donatio, primo. q.15.nu 19 Couarr.lib 1.var.reſol.c.14.nu.16. paulò poſt medium, Molina t 2 de iuſtitia diſp.285.col.4.quos refert, & ſequitur Sanchez vbi ſupra. Vnde cum iſta donatio cōtineat in ſe tacitam conditionem, vt non habeat effectum ſuum, niſi ſequuta profeſsione, ſequitur, quòd perſeuerante Nouitio in Religione, reuocari non poſsit, quia ſemper pendet conditio.

g.§.19. Quæritur decimononò, cuius ſint fructus illorum bonorum quibus Nouitius renunciauit (quando renunciatio confirmata fuit profeſsione) nempe illius medij temporis à renunciatione vſque ad profeſsionem? Reſpondeo non eſſe illius, in cuius fauorem Nouitius ille renunciauit, ſed hæredis, ſi alium inſtituit hæredem; & ratio eſt, quia facta profeſsione incipit eſſe dominus rei illius ille in cuius fauorem facta eſt renunciatio. ita latè probat Sanchez in præcep.decal t.2.lib.7.c.5 à n.59. vſque ad 63, incluſiuè, ſed præcipuè nu. 63.

g.§.20. Quæritur vigeſimò, An neceſſario requiratur, vt renunciatio fieri debeat à Nouitio integro bimeſtri profeſsioni proximo?

Reſpondeo non requiri, ſed ſatis eſſe toto eo bimeſtri fieri, quod patet ex decreto dicti Concil. dum dicit, *Intra duos menſes proximos ante profeſsionem*, nec dixit, vt fiat bimeſtri ante illam, ſed intra, vnde facta toto illo ſpacio, dicuntur

cuntur facta intra duos illos menſes. ita Sanchez in præcept.decal.t.2.lib.7.c.5.nu.80. & D. Barthol. à S.Fauſto in ſuo theſauro Relig.lib.5.q.192.

An debeat eſſe id bimeſtre mathematicum, ideſt de momento ad momentum computandum? Reſpondeo numerandos eſſe hos duos menſes de momento ad momentum ſecundum quod occurrit menſis in Calendario.

Probatur, quia Conc.Trid. in dicto Decreto 16. ſeſſ. 25. de Regularibus diſponit à quo tempore illud bimeſtre incipere debeat, nempe à die profeſsionis futuræ, in quo euētu computatur dies de momento ad momentum; vt probat Sanchez lib.2.de matrim. diſp.24.nu.15. vbi exemplis hoc declarat; & hanc opinionem tenet idem Sanchez in præcep.decal.t.2.lib.7.c.5.n.81. contra Lelium Zechium, qui in ſuo tract. de Repub.eccleſiaſt.tit.de Regular.c.3.nu. 14.lim.8. tenet id bimeſtre, non mathematico modo, ſed morali accipiendum eſſe, quem ſequitur D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſ.Relig.lib.5.q.193.

Notandum verò eſt, quòd facta ſemel renūciatione iuxta Conc.Trid. in illo bimeſtri ante profeſsionem legitimè faciendam, nihil refert ſi completo anno nouitiatus profeſsionem differat Nouitius ex quacunque cauſa (excepta ætatis) quia adhuc erit valida dicta renunciatio; & ratio eſt, quia lex ea, quæ frequenter accidunt ſpectat, l. nam ad ea, ff. de legibus. & profeſsio frequenter finito anno nouitiatus fieri ſolet; vnde dum Conc. Trid. petit fieri renunciationem bimeſtri ante profeſsionem, intelligendum eſt de bimeſtri proximo tempori, quo regulariter profeſsio fieri debet. ita Sanchez in præcep. decal. t.2.lib.7.c.5.n.82. & D.Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſ.Relig.lib.5.q.193.n.3.

g.S.21. Quæritur vigeſimoprimò, ſi ex diſpenſatione Pontificia Nouitius octauo menſe profeſſurus eſſet, vel minor ſexdecim annis, & ſic abbreuiaretur tempus profeſsio-

ni præſcriptum, An ſufficeret in hoc caſu tempus bimeſtre ante profeſsionem ad renunciationem faciendam? Et videtur dicendum, quod ſic; & ratio eſt, quia diſpenſatio, quamuis ſit ſtricti iuris, extenditur ad connexa, vt docet Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 1. nu. 19. vnde cum ex Decreto Conc. Trid ſeſſ. 25. c. 16. de Regularibus connexum ſit profeſsioni, vt renunciatio fiat bimeſtri ante profeſsionem. diſpenſatio, vt fiat profeſsio ante legitimum tempus, extendetur quoque ad hanc renunciationem bimeſtri proximo faciendam, Sanchez verò in præcep. decal. t. 2. lib 7. c. 5. nu. 83. verius credit non poſſe renunciare bimeſtri illo ante profeſſionem, ſed renunciationem debere fieri proximè profeſsioni, vt eodem die, vel præcedenti, quod probat, quia diſpenſatio non extenditur ad acceſſoria ſeparabilia, ſed ad neceſſariò inſeparabiliter connexa, vt probauit, vbi ſupra de matrim lib. 8. diſp. 1. nu. 19. & 20. At non inſeparabiliter eſt connexum, vt renunciatio fiat integro bimeſtri ante profeſsionem: Ergo ea diſpenſatio non extenditur ad totum id tempus: & quia renunciatio fieri nequit tempore deſignato à Conc. Trid. erit ſeruandum in quantum fieri poteſt, vt fiat proximè profeſsioni.

Vtraque opinio eſt probabilis, ſed vltima ſecurior.

g. §. 22. Notandum eſt, quòd ſi Nouitius ante finem anni nouitiatus, Religionem deſerat facta renunciatione, & pœnitentia ductus redeat in Religionem, renunciatio primo facta eſt irrita, nec conualeſcit per nouum ingreſſum, ſicut nec etiam illud nouitiatus tempus ante exitum computatur ad annum probationis: Vnde annus probationis de nouo inchoandus erit, vt probat Sanchez in præcep. decalogi lib. 5. c. 4. nu. 31: & ſic bimeſtre conceſſum renunciationi ante profeſsionem inchoandum erit.

g. §. 23 Si vero abſoluto nouitiatus anno egrederetur Nouitius, dato quod renũciaſſet ante egreſsũ, indigeret noua

ua renunciatione, quia prior illa, etſi legitimo tẽpore facta ſit, corruit per egreſſum, ac proinde repetẽda eſt, vt valeat; ſed ad profeſsionẽm emittendam nõ requiritur nouus annus nouitiatus: ſed poteſt ſtatim poſt regreſſum legitimè profiteri ſecundum aliquos, vt dictum eſt ſup. hoc eod. capite, in Commentario, verbo Profeſsionem iterare, q. 10.

g §.24. Quæritur vigeſimoſecundò, Vtrum poſsit dari modus, in quo Nouitius directè, vel indirectè validè diſponat de ſuis bonis, non ſeruata forma Conc. Trid. in ſeſſ. 25. c. 16. de Regularibus? Reſpondetur affirmatiuè, & 3

Primus modus eſse poteſt, ſi pater, vel mater, vel fratres Nouitij, pactum facerent cum monaſterio ſe daturos certam quantitatem pecuniarum, vel bonorum monaſterio, pro legitima, & omni eo, quod ſpectare poſset ad monaſterium ratione profeſsionis dicti Nouitij, in omni caſu, quo profeſsionem emittat in dicto monaſterio, non facta aliqua diſpoſitione ſuorum bonorum. Et ratio validitatis dicti modi eſt, quia Nouitius nullam facit renunciationem, vel donationem, ſed tantum monaſteriũ tranſigit ius, quod poterat ad ſe ſpectare ratione dictæ profeſſionis; quæ tranſactio nihil Nouitio nocet, nec ei impedit liberum egreſſum à Religione, cum ipſe tranſactioni non conſenſerit: & poſſit liberè teſtari, & bimeſtri ante profeſsionem renunciare in fauorem cuiuſcunque: ita Sanch. in præcep. decal. t. 2. lib. 7. cap. 5. nu. 45. & monaſterium poteſt licitè tranſigere, cum illa bona Nouitij non ſint incorporata monaſterio ante profeſsionem vt patet ex his, quæ dicit Stephanus Quaranta in ſumm. Bullarij tit. Alienatio rerum Eccleſiæ nu. 43. 3

Secundus modus eſſe poteſt, vt Nouitius ante profeſsionem conueniat cum monaſterio, vt in omni caſu, quo ipſe profeſsionem emittat in dicto monaſterio, nõ facta aliqua diſpoſitione ſuorum bonorum, & ſuus pater, mater, vel

fratres, &c. dederint mille aureos, vel aliud ſimile monaſterio, teneatur monaſterium cedere, & relaxare dicto patri, &c. omne ius, quod ſpectare poſſet ad dictum monaſterium ratione dictæ profeſsionis. Iſte modus ſimiliter non præiudicat Nouitio, quin poſsit liberè diſcedere à Religione, vel diſponere de ſuis bonis quomodo velit: nec monaſterio eſt prohibitum, quin poſsit facere dictam conuentionem cum Nouitio per ſupradicta.

Quæritur vigeſimotertiò, circa licentiam Epiſcopi, vel eius Vicarij requiſitam ex Conc. Trid. ad valorem renunciationis, ſeu donationis Nouitij.

g.§.25. Primò, An Epiſcopus confirmatus, nondum tamen conſecratus poſsit hanc licentiam concedere?

Reſpondeo poſſe; & ratio eſt, quia tempore confirmationis incipit habere iuriſdictionem: At huiuſmodi licentiam concedere eſt actus iuriſdictionis, Ergo, ita docet Sanchez in præceptis decalogi lib.7.c.5. nu.65. & D. Barthol. à S.Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib 5.q.194. ſecus verò ſi ſit tantum electus, & non confirmatus. ita Sanchez vbi ſupra.

g.§.26. Secundò, an Archiepiſcopus conſecratus, qui nondum pallium accepit poſſit concedere hanc licentiam? Reſpondeo poſſe, & ratio eſt quia tantum interdicitur Archiepiſcopo ante receptum pallium congregare Concilium & ea, quæ ad ordinem Epiſcopalem pertinent, exercere, non verò, quæ ſunt iuriſdictionis, quæ facta confirmatione ante receptum pallium exercere poteſt: ita Sanchez in præceptis Decalogi lib.7.cap.5.nu.66. non autem poterit Archiepiſcopus illam concedere in Diœceſi ſui ſuffraganei, niſi Epiſcopo eam denegante, quia in hoc caſu deuolueretur per appellationem ad Archiepiſcopum, qui in ea cauſa iuriſdictionem haberet, & licentiam impertiri poſſet, quia in cauſis appellationis eſt legitimus iudex cap. 1. de offic.

dele-

delegati ita Sanchez vbi ſupra, num. 68.

g.§.26 Tertiò, Capitulum Sede vacante, an poſſit eandem licentiam concedere? Reſpondeo poſſe, & ratio eſt, quia ſuccedit in omni ordinaria iuriſdictione Epiſcopi, ita Sanchez in præceptis decalogi t.2.lib.7.cap.5.num.67. & D.Barthol à S.Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum lib.5. quæſt.195.

g.§.27. Quartò an Abbates, & alij Prælati habentes iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, & nullo Epiſcopo ſubiecti, poſſint hanc licentiam in ſuis Diœceſibus concedere? Reſpondeo poſſe, ita Sanchez in præceptis Decalogi, lib.7. c.5.num.68.& D.Barth. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſ.lib.5.quæſt.196.

g.§.28. Quintò, an Vicarius Capituli Sede vacante poſsit hanc licentiam concedere. Reſpondeo poſſe, non obſtante, quòd Concilium mentionem faciat de Vicario Epiſcopi, & ratio eſt, quia nomine Vicarij Epiſcopi intelligitur Vicarius habens iuriſdictionem Epiſcopalem qualis eſt Vicarius Capituli Sede vacante; ita Sanchez vbi ſupra num.69.& D.Barth.à S.Fauſto vbi ſup.quæſt.197.

Idem dicendum de Vicarijs, quorumcunque Prælatorũ iuriſdictione Epiſcopali in ſua Diœceſi gaudentium, quia cenſentur Vicarij Epiſcopi, ita Sanchez vt i ſup num.70. ſecus verò dicendum eſt de Vicarijs Foraneis, nam dictam licentiam coucedere non poſſunt abſque expreſſa commiſſione ſibi facta, ita Sanchez vbi ſup.num.72. & à S. Fauſto vbi ſup.q.198.lib 5.

g.§.29. Sextò, an hæc licentia poſsit delegari, tam ab Epiſcopis, quàm ab eorum Vicarijs? Reſpondeo poſſe, & ratio eſt, quia cum hæc iuriſdictio ſit iure communi per Conc Trid.perpetuò annexa dignitati, vel officio, eſt ordinaria; & per conſequens delegabilis, vt latè probat Sanchez de matrim lib.2. diſp.40 n.14. & in præceptis Decal.

lib.7.

lib.7.c.5.num 73.& D.Bartol. à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſ.lib.5.q.199.

g.§.30. Septimò, an Prælati Regulares poſſint dictam facultatem concedere in Monaſterijs exemptis monialium ſibi ſubiectis? Reſpondeo, quòd non, vt videre eſt apud Sanchez in præcept. Decalogi lib.7.c.5.num.74.

g.§.31. Octauò, an dicta licentia debeat eſſe in ſcriptis? Reſpondeo negatiuè, & ratio eſt, quia Decretum Concilij de nulla ſcriptura mentionem facit, & vbi in ſcriptis illam obtinendam voluit, id expreſsit, vt fecit in eadem ſeſſ.25. c.5. de Regularibus, agendo de licentia ad ingrediendum Monaſteria monialium. Prætera omnis diſpoſitio poteſt fieri verbo, niſi lex requirat ad actus valorem ſcripturam, vt probat Sanchez de matrimonio lib.3.diſp.39. num 10. & hanc opinionem tenet Sanchez in præceptis Decalogi lib.7.c.5.n.76 & D.Barth.à S.Fauſto, vbi ſup. lib.5.q.200.

g.§.32. Nonò, an dicta licentia debeat eſſe obtenta? Reſpondeo, quòd ſic, nam non dicitur cum licentia fieri quando ea ſolùm petita eſt, ita Sanchez in præceptis Decalogi lib.7.cap.5.num.77.& à S.Fauſto, vbi ſupra lib.5. quæſt.201.

g.§.33. Decimò, an dicta licentia præcedere debeat renunciationem? Reſpondeo, quòd præcedere debet, & ſi fuerit conceſſa eodem die renunciationis, & non conſtet an præceſſerit præſumitur præceſſiſſe, ſi tamen renunciatio fieret ſub conditione, ſi poſtea Epiſcopus approbet, ſatis erit in hoc caſu approbatio ſuperueniens, vt probat Sanchez in præc.Decal.lib.7.c.5 num.78.

g.§.34. Quia ſupra in quæſtione 4. eiuſdem Commenti fuit dictum, poſſe Nouitium teſtari, nunc vigeſimoquartò videndum eſt, an facta profeſsione poſsit teſtari, vel teſtamentum ante profeſsionem factum, poſt profeſsionem reuocare, vel declarare, &

Circa

Circa primum dico, quòd Religioſo profeſſo interdictũ eſt teſtari, vt patet ex cap. Quia ingredientibus 19. q. 3 & c. 2. de teſtam. & authentica ingreſsi, C. de Sac. ſanct. Eccleſ. & ratio eſt, quia nec proprium habet, nec proprij habendi eſt capax, & ita docet Abbas in rubr. de teſtam. in fine, Francus in eadem rub. in 6. num. 74. Peregr. conſ. 53. num. 10. vol. 2. Syl. in v. teſtamentum 1. quæſt. 4. in fin. Tabiena eodem verbo quæſt. 2. num. 3. Nauar. in comment. 2. de Regularibus num. 22. coroll. 10. Graffius 2. par. deciſ. lib. 3. c. 19. nu. 85. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præceptis Decalogi t. 2. lib. 7. c. 8. num. 3.

Amplio primò, ſupradictam deciſionem, etiamſi ad pias cauſas teſtari vellet; ita Doctores ſupra allegati in locis prædictis.

Secundò, amplio etiam ad Prælatos Regulares: ita Abbas in c. in præſentia num. 16. de probat. & ibi Pariſius nu. 17. Francus in rubr. de teſtam. in 6. num. 65. Tabiena v. Religio quæſt. 42. Nauarr. comment. 2. de Regular. num. 44. & 22 coroll. 10. Emanuel Roder. t. 3. quæſt. Regularium, q. 69. art. 2. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez vbi ſupra in præceptis Decalogi lib. 7. cap. 8. num. 5.

Tertiò amplio, quòd nec etiã poſsit teſtari ex Superioris licentia de rebus, quæ, nec Monaſterij, nec Religioſi ſunt, accedente conſenſu eorum, quorum ſunt propriæ, ita Nauarr. comment. 2. de Regularibus num. 57. & Sanchez vbi ſup. num. 6. ſed ſi de facto teſtetur, quamuis teſtamentum non valeat, tamen conſenſum præſtans compelli poſſet ad exequenda relicta in eo teſtamento, non quaſi debita ex vltima voluntate Religioſi, ſed ex quadam executione mandati concedentis prædictam facultatem, quia eo ipſo, quòd eam conceſsit, videtur ſe obligaſſe, ad ea exequenda, quæ Religioſus, vt ſui mandati exequutor diſpoſuit. Sic Nauarrus vbi ſup. & Tapia in authentica ingreſsi.

C. de

C.de ſac.ſanct.Eccleſ.verbo,ideoq; nec de his c. 1. nu. 27. & Sanchez vbi ſupra lib. 7. c. 8. num. 7.

Quartò amplio, quòd nec etiam poteſt Codicillos facere de Superioris licentia, quia qui de iure teſtari nequit, nec etiam poteſt Codicillos facere, vt docet Petrus de Bellapert.in auth.ingreſsi,q,vltima,C.de ſacr.ſanct.Eccleſ. & ibi Albericus num. 31. Odofred. num. 10. in fine Signorol. num. 35. Nauarr.comment.2. num. 43. & 44. de Regularibus,& in manuali Prælatorum cap. 27. num. 270. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcept. Decal. t. 2. lib. 7. cap. 8. num. 9.

Quintò amplio, quòd nec etiam poſsit cauſa mortis donare ex Superioris licentia, ita Nauarr. in conſil. in prima editione lib. 3. tit. de donationibus conſil. 6. num. 3. & in ſecunda editione lib. 2. tit de præſumpt.conſ. 2. num. 3 Emanuel Roder.in ſuis quæſtionibus regularibus, t. 2. q. 47. ar. 7. in fine, & 1. t. Summæ in ſecunda editione cap. 90 num. 7. col. 2. Graffius 1. par. deciſ lib. 3. cap. 5. num. 58. & 2. parte lib 3. cap. 19. Præpoſitus in cap. nulli dubium num. 20. & 21. q. 5. & alij, quos refert Sanchez, vbi ſupra lib. 7. cap. 8. num. 10. licet ipſe oppoſitum ſentiat num. 11.

Supradictam deciſionem ſic ampliatam limito.

Primò non procedere quando adeſſet Summi Pontificis licentia, nam in quacunque Religione poteſt profeſſus teſtari ex Summi Pontificis licentia, vt docet Syl. v. teſtamentum 1. q. 3. verſ 11. Nauarr.comm. 2. de Regularibus num. 57. idem Nauarr. in Apologia de reddit.Eccleſiaſt. quæſt. 3. monit. 11 num. 3 Couarr. de teſtam. cap. 2. num 10. & cap. Cùm in officijs num. 7. Molina t. 1. de iuſt. diſp. 141. colum. penult. Graff. 1. par. deciſ. lib. 3. cap. 5. num. 57. & 59. & alij, quos refert. & ſequitur Sanchez in præceptis Decalogi t. 2. lib. 7. cap 8. num. 45. & ſequentibus.

Limito ſecundò, ſupradictam deciſionem non procede-

ſe quando aliquis ſecularis relinqueret conſanguineis ali qua bona poſt mortem alicuius Religioſi profeſsi cum facultate, vt dictus Religioſus poſſit eligere perſonas, ad quas debeant pertinere poſt mortem ſuam, nam in dicto caſu Religioſus non diſponeret tanquam teſtator, ſed tanquam perſonarum elector, ita Sanchez vbi ſupra lib.7.c.8. nu.8. & ante ipſum docuit Fuluius Pacianus conſil.36. à n. 103, vſque ad 108. quem ipſe refert.

2 Limito tertiò ſupradictam deciſionem non procedere, quando Religioſus ſcriberet ſchedulam, in qua rogaret Prælatum, vt ſic diſponeret de bonis ſibi conceſſis ad ſuum vſum poſt mortem ſuam, relinquendo omnia ad liberam voluntatem Prælati; nam non eſt teſtamentum, neque codicillus, ita Nauar. in man.cap.27. nu.270. & comment.2. de Regular.nu 22.corollar.10 Graffius 1.p. deciſ. lib.3.c.5. nu.58. & p 2 lib.3 c.19.nu.14. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez vbi ſupra lib.7.c.8.nu 12.

Et ſi Prælatus promitteret Religioſo in dicto caſu ſe impleturum eius deſiderium, teneretur naturaliter adimplere, & in foro conſcientiæ, licet non ciuiliter, ita Sanchez, vbi ſup. in præcep.decal.t.2.lib.7.c.8. à nu.13. vſque ad nu. 18. incluſiuè.

g.§.35. Circa ſecundum, An poſſit Religioſus teſtamẽtum ante profeſſionem factum poſt profeſſionem reuocare? Reſpondeo, quòd quando monaſterium eſt incapax ſuccedendi, vt eſt Religio Ordinis Minorum, conſtat inter omnes non eſſe integrum reuocare, quia ea profeſſio reputatur tanquam mors naturalis, quæ confirmat omnino teſtamentum factum. ita communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep.decal.t.2.lib.7.c.11.

Quando verò Religio eſt ſuccedendi capax, tres ſunt Doctorum opiniones. Prima tenet abſolutè huic profeſſo eſſe integrum reuocare teſtamentum ante profeſſionem

 factum.

factum . Secunda tenet integrum eſſe reuocare, diſponendo aliter ad fauorem filiorum , aut monaſterij, non autem in extranei fauorem . Tertia tenet nullatenus integrũ eſſe profeſſo teſtamentum reuocare . Prima eſt probabilis, ſimiliter, & ſecunda, ſed tertia eſt probabilior ; & breuitatis gratia remitto lectorem ad Sanchez , qui in præceptis decal. t. 2. lib. 7. c. 1 1. latè diſputat hanc quæſtionem à n. 1. & ſequitur tertiam opinionem.

g. §. 36. Circa tertium , An poſſit Religioſus profeſſus teſtamentum ante profeſſionem à ſe factum poſt profeſſionem declarare , dato , quòd non poſſit reuocare ? Reſpondeo duas eſſe Doctorum opiniones . Prima tenet non poſſe declarare ; & ratio eſt, quia dubia ſunt explicanda & interpretanda iuxta diſpoſitionem iuris cõmunis . ita docet Nauar. in C. non dicatis à nu. 43. vſque ad 56. Couar. in c. 2. de teſtamentis nu. 5. & 9. & Ludou. Miranda in ſuo man. Prælat. t. 1. q. 23. ar. 10.

Secunda opinio tenet poſſe declarare , ſi ſumus in vera , & propria declaratione voluntatis obſcuræ , & incertæ . Secus verò ſi declaratio reſpiceret diſpoſitionem , quæ de iure erat certa ; & teſtator vellet illam declarare , ita docet Magdalenus de numero teſtium cap. 30. nu. 11. & 12. Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 3. toto tit. 1. Emanuel Roder. in ſuis qq. Regul to. 3. q. 69. ar. 3. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep decal. t. 2. lib. 7. c. 11. à num. 15. vſque ad finem capitis .

g. §. 37. Quæritur vigeſimoquinto, An Religioſus profeſſus ad dignitatem Epiſcopalem promotus poſſit teſtamentum ante profeſſionem factam reuocare ?

Reſpondetur negatiuè , ita docet Tapia, in authentica ingreſſi , verbo, Ideoq; nec de his, cap. 1. nu. 67. C. de ſac. ſanct. Eccl. quem refert, & ſequitur Sanchez in præcep. decal. to. 2. lib. 7. c. 11. nu. 6. licet contrarium teneat Iaſon in

Z dicta

dicta authentica ingreſsi num. 17. & ibi Petrus de Vergnia additionator ad Butrigarium lim. 6.

g. §. 38. Quæritur vigeſimoſexto, Vtrum Summus Pōtifex poſsit diſpenſare Religioſo profeſſo, vt poſsit teſtamentum ante profeſsionem factū reuocare? Surdus conſ. 90. nu. 8. vol. 1. tenet, quòd non, in Religione ſuccedendi incapace; In Religione verò ſuccedēdi capace tenet, quòd ſic, ſi teſtator non diſpoſuit teſtamentum habere effectum ſuum à die profeſsionis. Sanchez verò in præcep. decal. t. 2. lib. 7. c. 11. nu. 14. tenet quòd nec in iſto euentu poſsit Summus Pontifex diſpenſare abſque vrgentiſsima cauſa.

g. §. 39. Quæritur vigeſimoſeptimò, qualiter Religioſis profeſsis habentibus aſcendentes, aut deſcendentes, teſtari liceat inter eos. Vide in authentica, ſi qua mulier, C. de ſac. Sanct. Eccl. & in authen. Nunc autem, C. de Epiſc. & Cler. Vide etiam latè per Sanchez in præcep. decal. t. 2. lib. 7. c. 9. per tot. & Ludou. Mirandam in ſuo man. Prælat. t. 1. q. 23. art. 10. concl. 2.

h Annui redditus à parentibus cōſanguineis alijſvè relinquantur, &c. Aduertendum eſt, quòd quamuis in hoc loco per Conſtitutionem ſit nobis ordinatum, vt ſimilia legata, vel donationes, nec procurentur, nec permittantur, vt fiant: tamen ſi de facto fiant, ſunt valida; & acquiritur ius Religioni, & præcipuè domui, in qua profeſsionem quis emiſit; nec illæ particulares perſonæ, quibus legata, vel donationes factæ ſunt, poſſunt de aliqua re diſponere; & ſi de facto diſponerent, eſſent proprietarij, & vt tales à Religione punirentur, vt apparet in Decretis p. 2. c. 1. nu. 2. & 3.

i Spontè à fidelibus offeruntur, &c. Legata, & donationes nobis ſponte factas, non eſt nobis vetitum

extraiudicialiter petere: Et quamuis olim Patres ſe abſtinuerint ab illis petendis in iudicio, quando ſponte à debitoribus non erant ſolutæ, & optimum ſit; nec ad præſens in iudicio exigere: tamen non eſt inconueniens, nec vetitū in iudicio petere, præcipuè ad ſatisfaciendum creditoribus, vel creditoribus illa eadem legata, aut donationes cedere pro debitis ſoluendis.

k Sine Superioris licentia. Hic primo quæri poſſet, An Religioſus ex pecunijs, quas aliquis ſibi tradidit diſtribuendas inter pauperes, & pijs operibus applicandas, poſsint cum licentia Superioris ſibimet tanquam pauperi applicare? Hæc quæſtio non ſolum de Religioſo: ſed vniuerſaliter de omni alio, tractatur exactè per Sanchez in præcept. decal. t. 2. lib. 6. c. 11. à nu. 50. vſque ad fin. Capitis. Reſpondeo, quòd duæ ſunt Doctorum opiniones. Aliqui enim negant id fieri poſſe, quia inter dantem, & recipientē debet eſſe diſtinctio; Præterea, cum dans pecuniam diſtribuendam, nouerit eſſe Religioſum, & ſubinde pauperem, cenſetur eum excluſiſſe ab ea eleemoſyna participanda: ita docet Emanuel Roder. in ſuis qq. Regular. t. 3. q. 70. art. 4. Syl. v. Eleemoſyna q. 2. in fine, & v. Teſtamentum 2. q. 2. dic. 5. & alij quos refert Sanch. in præcep. decal. t. 2. lib. 6. c. 11. nu. 50. & 60. Ipſe verò Sanchez in loco prædicto n. 61. exiſtimat poſſe hunc Religioſum ſibi applicare, dato quòd ipſe ſolus ſit diſtributor; & etiam ſequendo ſententiam illorum, qui dicunt non poſſe diſtributorem eleemoſynarum eleemoſynam ſibi ipſi applicare, niſi in extrema neceſsitate, quos refert idem Sanchez vbi ſup. nu. 60. & ratio eſt, quia cum Religioſus hanc eleemoſynam ſibi applicatam expendere debeat in vſibus ſibi neceſſarijs, & cum licentia Superioris pro quibus à conuentu expenſæ ſuppeditandæ eſſent, releuat ab eo onere conuentum, ac ſubinde ſuo

monaſterio cenſetur dictam eleemoſynam applicare, cui poſſe applicare docent multi Doctores, nempe Sylu. v. Teſtamentum 2. q. 2. dicto 5. Roſella v. Reſtitutio 5. num. 8. Nauar. in propugnaculo ad apologiã de redditibus eccleſ. monit. 19. nu. 12. & alij allegati ab ipſomet Sanchez, vbi ſup. nu. 59. & hanc opinionem Sanchez tenuit ante ipſum Pariſius in Conſilijs t. 4. conſil. 26. nu. 24. & multi Doctores relati ab ipſo Sanchez; vbi ſupra nu. 54 in fine.

k. §. 1. Ex prædicta deciſione Sanchez, ſequitur primò multo magis poſſe illam applicare ſuo monaſterio, dato quòd ipſe diſtributor eſſet ſuperior monaſterij: ita docent multi Doctores relati à Sanchez, vbi ſupra nu. 59. quos ipſe ſequitur.

k. §. 2. Sequitur ſecundò, poſſe applicare conſanguineis pauperibus; & etiam patri, vel matri: ità Abbas, Cardin. Ancharanus, Sylu. Angelus, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez, vbi ſup. nu. 52.

k. §. 3. Sequitur tertiò, Religioſum, & quemcumque alium, cui traditur pecunia aliqua, non vt eleemoſyna pauperibus diſtribuenda, ſed gratia exonerandi conſcientiam debitjs incerti domini grauatam, poſſe ſibi applicare ſi verè pauper eſt, quia tradens pecuniam diſtribuendã, nihil aliud intendit, quam conſcientiam ſuam exonerare, qui finis ſatis obtinetur cuicunque pauperi, etiamſi ſit ipſemet diſtributor, vt applicetur: ita Sanchez in præceptis decal t. 2 lib. 6. c. 11. nu. 62.

k. §. 4. Licet ſupradicta omnia ſint vera, tamen non debet eſſe facilis Religioſus ad applicandum ſibiipſi, vel ſuo monaſterio, vel proprijs conſanguineis dictas eleemoſynas ſibi traditas, vt diſtribuantur pauperibus; ne proprio amore decipiatur, & proximo detur occaſio ſcandali.

k. §. 5. Secundo quæri poſſet, An delinquat peccato furti, & contra votum paupertatis Religioſus, qui eleemoſy-

nam

nam à ſe pauperibus, aut alicui determinato pauperi petitam applicat ſibi, aut alij pauperi? Reſpondeo, quod ſi nomine pauperis generico ſit petita eleemoſyna vel determinato, ſed non expreſſo eius nomini, vel circumſcripta aliqua circunſtantia, nullius culpæ erit reus, ſi ſibi, vt vero pauperi applicet, cum licentiâ Superioris, vel alteri pauperi; Et ratio eſt, quia dantis intentio eſt, vt vero pauperi applicetur, & reuera ita applicatur. ita Nauar. in lib. 3. conſiliorum tit. de mendicantibus, conſil. vnico, quem immediatè ponit poſt tit. de Regular. Emanuel Roderq. 1. tom. ſummæ in 2. edit. c. 202. nu. 2. quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep decal. t. 2. lib. 7. c. 30. nu. 6. & 7.

Si verò petita, aut data ſit eleemoſyna pro determinato paupere, aut aliquibus circumſtantijs circumſcripto, vt pro in carcere incluſo, vel pro dote puellæ, &c. in hoc caſu tenetur dare illi determinato aut circumſcripto pauperi; ita Doctores ſuperius allegati, & præcipuè Sanchez à n. 8. vſque ad finem c. 30.

k. §. 6. Tertiò quæri poſſet, Vtrum ſi Religioſus, abſque Superioris licentia acceptet pecunias in pauperes diſtribuendas, & diſtribuat ſit reus voti paupertatis? Reſpondeo negatiuè, vt latè docet Sanchez in præcep. decal. to. 2. lib. 7. c. 30. nu. 4.

k. §. 7. Quartò, quia noſtri Superiores concedere ſolent noſtris Sacerdotibus, vt ſemel in hebdomada poſſint ad eorum libitum applicare ſacrificium miſſæ; Quæritur nũc an dicti Sacerdotes abſque alia licentia ſui Superioris poſſint applicare dictum ſacrificium ſecundum intentionem alicuius ſui conſanguinei pauperis, pro quo ſacrificio dictus conſanguineus accipit ſtipendium ab aliquo, ſciente Sacerdote? Reſpondetur quòd non, quia ſtipendium illud acquiritur Sacerdoti, & proinde idem eſt, ac ſi dictus Sacerdos illud acciperet, & illi daret: Vnde abſque licentia

illud

illud transferendo in aliud peccat, ac ſi bona monaſterij abſque licentia donaret; ita docet Sanchez in præcep. decal. t. 2. lib. 7. c. 28. nu. 13. & 19. in fine, & ante ipſum docuit Petrus Nauar. de reſtit. lib. 3. c. 1. & in noua edit. p. 3. dub. 2. nu. 170. & Emanuel Roder. in ſuis qq. Regul. t. 3. q. 29. ar. 13. quos refert idem Sanchez fol. 32. lin. 14.

k. §. 8. Paupertas itē priuatim eniteat in cellulis. De Paupertate, quam in cellulis, veſtibus, & ſupellectilibus ſeruare tenemur, vide quæ præſcribuntur ab admodum noſtro R. P. Generali titulo, *Ordini intorno alle celle, & veſtiti*.

De Veſtibus. Cap. II.

Summa Capitis II. Conſtitutionum.

Veſtium Clericorum & laicorum forma. num. 1.
Veſtes omnium ſint eiuſdem pretij, modi, & qualitatis. nu. 2.
Lectulorum noſtrorum forma. num. 3.
Veſtes ſeruentur in veſtiario, & utenda diſtribuantur Præpoſiti arbitrio. num. 4.
Barbam & capillum omnes tondeant. num. 5.

1 VESTITVS noſter niger ſit, & ſimplex: videlicet, qui honeſtos deceat Clericos, ſacris Canonibus non repugnet, & in quo munditia cum paupertate ſit coniuncta. Veſtis interior, ne ſit aperta, ſed concluſa vndique: Clericorum talaris, Laicorum, paullo infra ſuram perti-

pertineat; honeſta tamen, & religioſis viris congruens: Biretis vtantur Clerici in Crucem formatis, Laici rotundis: qui cum domo egre-
2 diuntur, pileo vti poterunt. Clericis tam domi, quàm foris, eiuſdem qualitatis, pretij, & modi inter ſe erit veſtitus: itidem inter ſe lai-
3 cis. Lectuli ſint lati palmos non amplius quatuor, ſine conopeo, aut vlla re conſimili, ſine ornatu, vna culcitra, vno vel ad ſummũ duobus puluinaribus. Ne quid vnquam reperiatur ſericum in noſtris lectis, aut indumentis, vel à noſtra profeſsione alienum, aut indecorum.
4 Veſtes omnes tam laneæ, quàm lineæ in communi Veſtiario reponantur, exceptis ijs quæ cuique Superioris arbitratu vtendæ diſtribuũtur. Ne quis rem ſuam propriam nominare,
5 vel habere audeat. Capillum, & barbam omnes tondeant, ne nutriant, neve radant.

Commentaria in Caput II.

CVm hac Rubrica concordat alia Rubrica Decretorũ par.2.cap.2.

De hac materia vide, quæ dixi in præcedenti capite, commento vltimo, lit.K.§.8. remiſsiuè.

De Menſa atque Ieiunijs. Cap. III.

Summa Capitis III. Conſtitutionum.

Ciborum parſimonia decet pauperes. num. 1.

Ieiunia, quæ Noſtri eccleſiaſticis ieiunijs addunt. nu. 2.

Carnibus abſtinemus quarta feria. nu. 3.

Menſæ primæ omnes interſint, exceptis legitimè impeditis, & de licentia Superioris. Nullum ſit diſcrimen inter primam & ſecundam menſam. num. 4.

Menſa communis ſacra lectione condiatur. nu. 5.

Corrigere lectionis menſæ errata nemo audeat præter Superiorem. num. 6.

Culpæ quæ in domeſticis operibus, non autem eccleſiaſticis, commiſſæ fuerint, in principio menſæ flexis genibus in refectorio dicantur. num. 7.

Menſa completa, cum ſilentio lotis manibus in eccleſiam abeant, pro benefactoribus oraturi. nu. 8.

Nona poſt menſam dicitur, exceptis diebus ieiunij. ibid.

Ieiuniorum tempore, in ſerotina cœnula quæ ſeruanda ſint. n. 9.

Refectorij fores finita ſecunda ſerotina cœnula claudantur. nu. 10.

Cibum ſumere extra menſam non licet abſque Superioris licentia. num. 11.

1 CIBORVM parſimoniam, & ſobrietatem (quod paupertatis proprium eſt) magnoperè ſeruemus. Ieiunia[a] ab Eccleſia indicta accuratè cuſtodiamus. Addimus ieiunium Aduentus Domini, & ob præcipuam reuerentiam erga a

2 (margin)

ga Saluatoris noſtri ſacratiſsimam Paſsionem, ieiunium ſextæ cuiuſque Feriæ, niſi feſtũ prõ quo pridie ſit ieiunatum, aut feſtum Titularis eccleſiæ, Sancti Stephani, Sancti Ioannis Euãgeliſtæ, & Circumciſionis Domini in eam incidat. Ieiunamus præterea in Vigilia Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & Sanctiſsimi Corporis Chriſti. In Vigilia Exaltationis ſanctæ Crucis, quod ea die noſtra Congregatio ſumpſerit initium. In Vigilia Natiuitatis, & Purificationis ſanctiſsimæ Virginis. In ſecun-
3 da, & tertia feria ante Cineres. Quarta quaque feria, quia tum Dominus à Iuda proditus eſſe perhibetur, à carnibus abſtinebimus, niſi feſtum fuerit primæ Claſsis.

4 Primæ communi Menſæ [b] omnes ſtudeant interesse: nec ſine rationabili cauſa, aut ſine Superioris licentia ad eam venire quis prætermittat. Qui ad primam venire non poterunt, ad alteram ſtatim veniant, ne tertiam cogamur ſtruere. Communis omnium menſa, communis cibus, idem omnibus ferculorum numerus, eadem qualitas. Primæ & ſecundæ menſæ nullum ſit diſcrimen, nullum perſonarum. b

5 Communi menſæ nunquam deſit ſacra Lectio [c], vel ex ſacra Scriptura, vel ex SS. Patribus,

bus , vel ex auctoribus alijs valde probatis : vt
animâ æquè cæleſti , ac terreno corpus cibo
6 nutriatur . Lectionem omnes auſcultent ſilen-
tio ; eius errata corrigere , aut de ea verba fa-
cere præter Superiorem audeat nemo .

7 Culpæ [d] quæ in alijs domeſticis operibus,vel d
quibuſuis alijs rebus non eccleſiaſticis commiſ-
ſæ fuerint, eæ in principio menſæ, flexis in re-
fectorio genibus , dicantur . Pœnas Præpoſi-
tus , aut qui Præpoſiti vices in eo loco geſſerit
cuique debitas imponat .

8 Poſt prandium, & gratias de more actas, cũ
ſilentio lotis manibus in Chorum abeant , &
Nonam dicant . Poſt cœnã pari ratione abeant
in eccleſiã,Deum pro benefactoribus , præſer-
tim quos in menſa recitatos audierint,oraturi.

9 Ieiuniorum tempore ad ſerotinam cœnulam
ſimul accedant : cibum ſedentes ſumant ; ſpiri-
tualis lectionis cibo reficiantur. Quibus ad pri-
mam non eſt viſum venire,ij nonniſi ad ſecun-
dam, poſt horæ dimidium à primo ſigno dato,
10 conueniant . Deinde refectorij fores claudan-
tur . Cibis qui in communi menſa apponuntur
quiſque contentns ſit , nec aliquid amplius re-
quirere , aut extra menſam ſumere ſine ſpe-
11 ciali Superioris facultate liceat.

Commentaria in Caput III.

Summa Commentariorum ſuper Caput III.

Qui in ſua hebdomada non legerit qua pœna puniatur. lit. c.

CVM hac Rubrica cõcordat alia Rubrica Decretorum Capitularium p.2.c.3.

a Ieiunia, &c. Vide; quæ dixi in 1. parte Compendij noſtrorum Priuilegiorũ. titulo Ieiunia.

b Primæ communi Menſæ, &c. In Capitulo Generali anni 1624.die 5.Maij fuit ſtatutum hoc Decretũ.

Prima communi Menſa expleta, ne tertiam cogamur ſtruere, detur ſecundæ ſignum pro ijs, qui primæ legitimè impediti adeſſe nequiuerint.

Vide Ordines P. Generalis titulo *Ordini per il vitto.*

c Sacra lectio, &c. De lectione menſæ, vide Decretum quod eſt p.2.cap.3.nu.4.& Decretum Capituli Generalis anni 1624. ſub die 5. Maij, quod incipit, *Qui à profeſsione, &c.* & aliud Decretum anni 1627. ſub die 8. Maii, quod incipit, *Vt omnino, &c.* & vltimo loco per A.R.P. Generalem D. Philippum Mariam Guadagnum, & ſuos Conſultores die 13.Martij 1628. vt apparet ex libro Conſultationum fol.22. à tergo, fuit ordinatum, vt intelligatur ipſo facto ſuſpenſus à voce actiua & paſsiua per menſem, Vocalis ille, qui in ſua hebdomada non legerit, ceſſante legitimo impedimento; quod an ſit tale, nec ne, Præpoſito cũ

alijs

alijs Vocalibus domus Capitulariter congregatis, & per vota ſecreta, incumbit onus iudicandi.

[d] Culpæ, &c. Pœnæ, quæ imponuntur pro dictis culpis, ſunt pœnæ regulares, & pro culpis leuibus, quæ taxatæ ſunt per Capitulum Generale anni 1621. vt videre eſt in Decretis p.3.c.9.nu.1.

De Curandis Infirmis. Cap. IV.

Summa Capitis IV. Conſtitutionum.

Infirmi diligenter & beneuolè ſunt curandi. Quotidie aut alternis diebus ab omnibus viſitentur: Ne tamen multi ſimul. Ijs monitis ſunt roborandi: Vana verò confabulationes in eorum cellulis vitandæ. num. 1.

Medicorum iuſſa infirmarij, & infirmi exequantur. nu. 2.

Senes, & imbecilli mitius ſunt tractandi. nu. 3.

Valetudinarij, qui cæli mutatione indigere videntur P. Generali notum faciant, & eius reſponſo cum animi tranquillitate acquieſcant. nu. 4.

Medicus vnicus pro omnibus à Superiore deligatur, neque alius ſine eius licentia adhibeatur. nu. 5.

1 MAGNOPERE curandum eſt, vt cum in morbum quis Noſtrum incidet, ei neceſſaria miniſtrentur accuratè, ne conſanguineorum beneuolentiam, aut domus ſuæ commoda deſiderare poſſe videatur. Qui febri, vel graui alio quouis morbo laborat, eis in cellam defe-

ratur

ratur cibus. Lecti latiores cum duabus cultricis, & pluribus puluinaribus concedi poterũt. Præpoſitus virum ſedulum, & cum cæteris virtutibus, tum charitate, & patientia prædi-
2 tum ægrotis curandis præficiat. Is det operã, vt medicorum mandata, & omnia, quæ fuerint factu neceſſaria, conficiantur tempore. Præpoſitus & cæteri, ſi modò fieri poterit, quotidie, aut ſaltem alternis diebus ægrotos viſitet, eosq; ad patientiam, Diuinarumq; rerum deſiderium cohortentur. Multi autem ne commorentur ſimul in eorum cellulis: res friuolas ne tractent: ſubmiſſa voce loquantur; nec ſermonem æquo longius producant.

3 Senum & qui imbecilla ſunt corporis habitudine, ratio habeatur. Si Præpoſito viſum fuerit, ieiunandi eos lege ſoluat: illisq; ſi neceſsitas poſtulare videatur Fratrem laicũ mi-
4 niſtrare iubeat. Si pro ſua quis tuenda valetudine loci, aut cœli mutatione indigere arbitretur, ad orationem primum confugiat, rem deinde totam P. Generali notam faciat. Demum quæ ille decreuerit, tanquam omnium optimam, ſumma animi quiete, & tranquillitate, neque amplius vrgeat, aut requirat.

5 Communis medicus pro infirmis omnibus

curan

curandis à Superiore deligatur; neque alius à quoquam ſine eius licentia adhibeatur.

Commentaria in Caput IV.

De hac materia vide in noſtro Compendio Priuilegiorum parte 1. & 2. tit. Infirmi, & parte 1. titulo Diſpenſatio, §.9.10. & 11.

De recipiendis, & inſtituendis Nouitijs[a]. Cap. V.

Summa Capitis V. Conſtitutionum.

Nouitij antequam ad Religionem acceptentur, de quibus ſunt examinandi. num. 1.

Nouitij Præpoſito diſſentiente recipi non poſſunt à Capitulo domus. num. 2.

Nouitij qui recipiendi non ſunt in Religione. nu. 3.

Nouitiorum Magiſtrū quis eligere vel recuſare poterit, & qualis eſſe debeat. num. 4.

Nouitij de quibus ſunt informandi à Magiſtro Nouitiorum. nu. 5.

Nouitius admiſſus, per aliquot dies habitu ſeculari indutus permeneat. num. 6.

Eius veſtes ſeculares in veſtiario reponantur vſque ad profeſsionem. num. 7.

Quando in ſuo Ordine miniſtrare poſsit, ſi ſit in ſacris. nu. 8.

Ad nullum ſacrum ordinem promoueatur, ſed ſola clericali tonſura ſi eam non habet, erit initiandus. nu. 9.

Si ſit ſacerdos, nullo pacto confeſsionibus audiendis exponatur. n. 10.

Scientijs audiendis ne admittatur; ſed tantum humanioribus literis ſtudeat. num. 11.

Nouitij

Nouitij cum profeſsis ne verſentur. nu.12.
Nouitij inhabiles ſub ſpecie charitatis non admittantur. nu.13.
Laici fratres legere aut ſcribere ne diſcant. nu.14.
Miſſæ interſint quotidie. ibidem.
Quas preces quotidie fundere debeant. ibidem.

AD diuinum cultum, & totius Religionis progreſſum plùrimùm intereſt, vt ijs tantum qui à Spiritu ſancto ducuntur, & ſpectatæ vitæ ſunt, quique vſui Religioni eſſe poſſunt pateat aditus. Quare priuſquam quis recipiatur,
1 precationi ſe totum tradere Patres iubeant. Probetur deinde eius ſpiritus, & accuratè, ac diligenter examinetur de Fidè Catholica, de vita, de moribus, de fama, de eruditione, de valetudine, de ætate, ſit ne ex legitimo matrimonio natus, & vtrùm in aliam Congregationem, vel etiam an alibi in noſtrã dederit operam, vt adſciſceretur, aut ſit aliquando adſcitus: habeat ne ſorores collocandas, an parentes egentes, aut infirmos: ſit ne ære alieno grauatus, & ſiqua horum ſunt ſimilia. Quòd ſi diligentiſſimè, & per plures hebdomadas examinatus, nihil impedimento fuerit quominus idoneus videatur, qui admittatur, de conſenſu [b] b
2 maioris partis Vocalium loci, modò ne Præpo-

ſitus

2 ſitus diſſentiat,[c] recipi poterit. Quòd ſi fortè in aliqua domo non adſit, niſi Præpoſitus, atque alter tantum Vocalis, ſi in recipiendis Nouitijs, aut habitu induendis, aut ad profeſſionem admittendis Vocalis ille cum Præpoſito non conſentiat, res tota deferatur ad P. Generalem. c

3 Qui de hæreſi vnquam ſuſpectus,[d] aut delatus fuerit; qui in alia Religione profeſſionem fecerit, nullo pacto recipiatur. Qui alius Ordinis habitu tantum fuerit indutus, ſi P. Generali cum Conſultoribus videbitur, poterit recipi. Qui in noſtram ſemel admiſſus[e] poſtea receſſerit; Qui à Patribus cuiuſpiam Domus repulſam paſſus ad aliam ſe contulerit; Qui ex legitimo matrimonio natus non ſit[f], nulla ratione, niſi ex conſenſu P. Generalis recipiatur. Quòd ſiquis eiuſmodi ex rei ignorantia receptus ſit, is ne induatur habitu neve ad profeſſionem admittatur, niſi Præpoſiti Generalis facultate impetrata. Siquis in aliquã ex noſtris Domibus, vt admittatur poſtulauerit, ne recipiatur abſque illius Domus Patrum licentia, in quam prius vt ingrederetur petierat: niſi fortè in eam Ciuitatem ita ſe contulerit, ibiq; fuerit commoratus, vt domicilium mutaſſe cẽſeatur. d e f

4 Vbi primum quis receptus fuerit, tradatur
à Præpoſito inſtituendus Nouitiorum Magi-
ſtro[g]; cuius electio à Præpoſito, maioreq; par- g
te Vocalium (modò ne Præpoſitus diſſentiat[h]) h
ſingulis fiat annis[i]; idemq; per plures ſi vide- i
bitur annos refici poterit. Deligatur autem
ex Sacerdotibus, qui præcipua vitæ integrita-
te, morumq; grauitate ſit præditus: qui pru-
dentia, & diſcretione polleat: qui manſuetu-
dine, & ſeueritate, pro rerum, & perſonarum
qualitate vti optimè nouerit: Qui noſtræ Cō-
gregationis communes labores libenter, & aſ-
ſiduè cum alijs ſubeat: Qui rebus Diuinis, &
Eccleſiaſticis nō mediocriter ſit eruditus: Qui
mandata Dei atque conſilia, perfectionisq; viā,
verbo, & exemplo alios edocere valeat. Is pro
5 facultate ſibi à Præpoſito conceſſa, diligenter,
& ſollicitè informet Nouitios ſibi commiſſos
Deum ex animo amare, mundi huius volupta-
tes, & illecebras contemnere; paupertatem,
& humilitatem in rebus omnibus colere; Obe-
dientiam prompto, & alacri animo amplecti;
puritati, & vitæ innocentiæ magnopere ſtu-
dere; bis ſaltem in die conſcientiam examina-
re; ter in hebdomada confiteri[k]; diebus Do- k
minicis vnà conuenire, ac coram Magiſtro cul-

pas ſuas dicere. Hortetur etiam eos tentationes, atque adeo cogitationes ſingulas Magiſtro ſuo quamcitiſsimè, & ſua ſponte detegere: tempus in rebus inutilibus non conterere: vanas ſeculi occupationes deuitare: ſilẽtium opportunis locis, ac temporibus ſeruare: orationis feruorem, & aſsiduitatem diligere: rebus Diuinis magnopere delectari: atque cætera Religionis noſtrę inſtituta diligẽtiſsimè tueri.

6 Poſtquàm in noſtram Congregationẽ quis admiſſus fuerit, per aliquot dies ſuo habitu ſeculari vitæ noſtræ rationem contempletur. Tum ſi perſeuerandi ſpem exibuerit; clericali habitu indutus pro hoſpite habeatur. Si pro Clerico eſt admiſſus[l], per menſes quatuor[m]: l
Si pro Laico[n], per annum pro hoſpite repute- m n
7 tur: Eiusq; veſtes donec profeſsionem emittat
8 in communi Veſtiario reponantur. Hoſpites ſi in ſacris ſint, ante ſuſceptũ[o] habitum ne mi- o
niſtrẽt in ſuo Ordine: Si ſint Sacerdotes, perraro, & nonniſi diebus feſtis, de Præpoſiti licentia, Sacrum faciant. Si ſæpius fieri, neceſſitas loci, aut alia ratio poſtulare videatur, Præpoſiti Generalis facultàs erit impetranda.
9 Nouitij ad nullum Ordinem promoueantur, ſed ſola clericali tonſura, ſi eam non habeant,

10 initiandi ſunt. Siquis Nouitius ſit Sacerdos,
nulla ratione Confeſsionibus audiendis expo-
11 natur. Ante profeſsionem, niſi aliter P. Ge-
nerali certa de cauſa videatur, nemini, nec Phi-
loſophiæ, nec Theologiæ lectionibus intereſſe
facultas fiat, ſed Diuino cultui, Eccleſiaſticis
cæremonijs, ſui ipſius abnegationi, atque de-
uotis, & ad pietatem accommodatis legendis
libris vacent.

12 Profeſsi cum Nouitijs, ne verſentur, neque
vllo pacto colloquantur, ne illi quidem, qui vt
ingrederentur operam dederunt, aut eorum
confeſsiones audierunt.

13 Qui ad functiones Eccleſiaſticas inhabilis [p], p
aut Religioni oneri futurus eſſe exiſtimatur, is
nulla charitatis, aut miſericordiæ ſpecie ad
profeſsionem admittatur.

14 Laici ſcribere, aut legere, ne diſcant, ſed cũ
ſimplicitate domeſticis operibus vacent [q], quæ q
ita temporibus diſtribuant, vt ad communem
orationem cum alijs veniant. Miſſæ interſint
quotidie. Pro Matutino [r] Orationem Domi- r
nicam, & Salutationem Angelicam quinde-
cies: pro quaque Hora, ter dicant.

Com-

Commentaria in Caput V.

Summa Commentariorum ſuper Caput V.

Vocalis an peccet mortaliter, ſi abſque iuſta, & rationabili cauſa deneget votum alicui Nouitio alias idoneo ad ingrediendum in Religionem, vel poſtquam eſt ingreſſus ad habitum ſuſcipiendum, aut ad profitendum? lit.b.§.1.

Vocalis, qui per ſuffragium ſui voti recipit ad religionem eum, qui eſt inutilis, ſeu non idoneus religioni, peccat mortaliter. lit.b.§.2.

Si Præpoſitus proponat in Capitulo domus Titium qui cupit in Religionem ingredi, & facto ſcrutinio non ſolum voce, ſed etiam per vota ſecreta eſt acceptatus in tribus Capitulis, vtrum poſſit idem Præpoſitus diſſentire antequam recipiatur, vel teneatur illum recipere in Religionem? lit.c.

Vtrum Præpoſitus habeat diſſenſum ſolum in acceptatione Nouitiorum, vel habeat etiam quando habitu eſt induendus Nouitius, vel ad profeſſionem admittendus? lit.c.§.1.

Vicarius vel vocalis, qui habet gubernationem Domus cum conſenſu Capituli Domus (quando Præpoſitus eſt mortuus, vel abſens à Ciuitate) Vtrum poſſit recipere Nouitios in Religione, & receptos admittere ad profeſſionem, vel ad habitum, ſine licentia & auctoritate Præpoſiti? lit.c.§.2.

Profeſſio expreſſa an poſſit fieri per procuratorem abſente Nouitio? lit.c.§.3.

Præpoſitus an poſſit admittere Nouitium ad profeſſionem, abſque Capitulo domus. lit.c.§.4.

Forma præſcripta in noſtra Religione ad profeſſionem emittendam, an ſit de eius ſubſtantia? lit.c.§.5.

Profeſſus tacitus an efficiatur aliquis in noſtra Religione? lit.c.§.6.

Profeſſio nulla ex defectu conſenſus Præpoſiti, an efficiatur valida ſi à Præpoſito ratificetur? & à quo tempore incipiat valere? lit.c.§.7.

Pro-

Profeſſio ſolemnis in Religione emiſſa ſi ſit irrita & nulla, Vtrum obliget vt votum ſimplex? lit.c.§.8.

Si Religioſus profeſſus alterius religionis ſit acceptatus in noſtra Religione non vt religioſus profeſſus, ſed vt ſecularis ob inaduertentiam Patrum, vel ob malitiam Nouitij, & profeſſionem emittat in noſtra Religione, Vtrum eius profeſſio in noſtra Religio*ne emiſſa, ſit valida? lit. d.*

Vtrum Capitulum Generale noſtræ Religionis poſſit edere decretum irritans profeſſionem eius, qui occultans impedimentum aliquod ex his, quæ à noſtris Conſtitutionibus præſcribuntur, Religionem adijt, & in ea profeſſionem emiſit? lit.d.§.1.

Admiſſus ad Religionem per Capitula ſi voluntate ſua differt ingreſſum per multos menſes, recipi non poteſt abſque nouis Capitulis. lit. e.

Nouitij quas qualitates habere debent. lit.f.§.1.

Nouitiorum Magiſtri quas qualitates habere debent. lit. g.

An teneatur Præpoſitus antequam fiat electio Magiſtri Nouitiorũ declarare ſuam voluntatem ſeu diſſenſum; vel id poſſit differre vſque ad ſubſequutam electionem? lit. h.

Vtrum poſſit Præpoſitus confirmare Magiſtrum Nouitiorum ante completum magiſterij annum? lit. i.

Facta electione Magiſtri Nouitiorum à Capitulo domus cum conſenſu Præpoſiti, Vtrum poſſit Præpoſitus ſolus, vel cum conſenſu Capituli domus illum amouere ab officio, abſque eius conſenſu infra annum magiſterij? lit.i.§ 1.

Completo anno officij Magiſtri Nouitiorum Vtrum poſſit Præpoſitus cum Capitulo domus licentiare dictum Magiſtrum, & eligere alium, ſaltem vſque dum alius eligatur? lit.i.§.2.

Vtrum completo anno officij Magiſtri Nouitiorum & quoad eius confirmationem renuente Præpoſito, annuentibus vero domus Vocalibus, & P. Generali, poſſit ſolus Præpoſitus ſuo diſſenſu illum excludere? lit.i.§.3.

Si Magiſter Nouitiorum compleat annum ſui officij tempore Capi-

tuli

tuli Generalis, quando Præpoſiti renunciauerunt Præpoſituris? Vtrum poſſit Vicarius cum Capitulo domus, eo tempore confirmare Magiſtrum Nouitiorum per alium annum; vel alium de nouo eligere. lit. 1. §. 4

Nouitiorum confeſſiones quis poſſit audire? lit. k.

An Religioſus profeſſus & pro clerico admiſſus, poſſit Superioris auctoritate ad ſtatum Conuerſorum, ſeu Laicorum transferri? lit. l.

Vtrum Præpoſitus Generalis ex aliqua iuſta cauſa poſſit diſpenſare cum Nouitio clerico, vt poſſit indui habitu Religionis, non completis quatuor menſibus ſui hoſpitij? lit. m.

Poſito quòd aliquis Nouitius tempore hoſpitij, vel nouitiatus fuerit à Religione Capitulariter licentiatus, nondum tamen domo eiectus, vel habitu expoliatus; Quæritur modo, ſi Patres maioris experimenti gratia vellent adhuc illum detinere, vtrum id præſtare poſſent, & faciendo, vtrum continuaretur tempus hoſpitij vel nouitiatus. lit. n. §. 1.

Nomen impoſitum alicui ex noſtris in ſuſceptione habitus, quis poſſit mutare? lit. o.

Religioſi, qui in Religione non laborant iuxta eorum profeſſionem, an peccent mortaliter? lit. q.

Vtrum fratres noſtri laici teneantur ex præcepto recitare orationes eis ordinatas per noſtras Conſtitutiones? lit. r.

Nouitius ſi delinquat à quo puniri debeat? lit. r. §. 1.

Legata à Nouitijs relicta cuius Domus ſint? lit. r. §. 2.

Nouitius cuius domus ſit filius? lit. r. §. 3.

Nouitius ante 14. annum ne recipiatur. lit. r. §. 4.

Ad recipiendum Nouitium ante 14. annum in religione, vltra licentiam P. Generalis requiritur conſenſus Patris vel Tutoris. lit. r. §. 5.

Quis propriè dicatur Nouitius? lit. r. §. 6.

Nouitius antequam recipiatur, tria debent celebrari Capitula intra menſem, & duæ partes Vocalium conſentire debent. lit. r. §. 7.

Inter

Inter Capitula quæ fiunt ad recipiendum Nouitium, debet eſſe ſpacium decem dierum inter vnum & alterum. lit.r.§.8.

Nouitius an recipi poſſit ante celebrationem trium Capitulorum in aliquo caſu. lit.r.§.9.

Nouitio quando incipiat currere tempus hoſpitalitatis. lit.r.§.10.

Si aliquis Nouitius eſſet excluſus à Capitulo Domus, & poſtea de nouo congregato Capitulo de eadem re, eſſet admiſſus ad profeſſionem; & Prælatus de facto daret ei profeſſionem, eſſet nulla. lit.r.§.11.

Si aliquis Nouitius eſſet approbatus à Capitulo domus ad profeſſionem emittendam, non poſſet Præpoſitus de eadem re de nouo Capitulum congregare, abſque noua cauſa & licentia P. Generalis: ſed ſi de facto faciat & concludatur contrarium, vt ſcilicet dimittatur, validum erit ſecundum Capitulum. lit.r.§.12.

Si P. Generalis prohiberet alicui Præpoſito locali ne admitteret aliquem Nouitium ad profeſſionem ex aliqua iuſta cauſa; Et Præpoſitus cum conſenſu Capituli domus, hac prohibitione non obſtante, illi daret profeſſionem, Vtrum eſſet valida dicta profeſſio. lit.r.§.13.

Generalis non poteſt annullare profeſſionem. lit.r.§.14.

Nouitius excluſus à Capitulo Domus poteſt Domi detineri à Præpoſito, cum eodem habitu, eouſque det relationem P. Generali. lit.r.§.15.

Magiſter Nouitiorum laicorum à quo eſt eligendus. lit.r.§.16.

a CVM. hac Rubrica concordat alia Rubrica, quæ eſt in Decretis Capitularibus par. 2, cap.4. Vbi multa de nouo ſunt ordinata circa Nouitiorum gubernationem.

Multæ Dubitationes quoad Nouitios fuerunt tractatæ ſupra in hac parte ſecunda, capite primo, verbo Profeſſionem iterare, quas ibi videre poteris.

Vide

Vide de hac materia in prima parte Compendij noſtrorum Priuilegiorum titulo Nouitius.

b De cõſenſu maioris partis vocaliũ loci, &c. Circa receptionem Nouitiorum; vide omnino, quæ ordinata ſunt in Decretis Capitularibus p.2.c.4.nu. 13. & 14. nam tria diuerſa ab his, quæ hic ſunt, ibi ſunt decretata.

Eſt aduertendum, quòd quamuis de iure communi ad admittendum aliquem ad profeſsionem, non ſufficiat conſenſus Prælati, & dimidia partis Conuentus, ſed debeat maior pars Conuentus vltra Prælatum conſentire, vt docet Francus in c.fin.num.2.de Regularibus in 6. Nauar. in conſ. in 1. editione lib.3 conſ.61. num.3. & in ſecunda editione conſ.37.num.3.tit.de regular. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præceptis Decal.t.2.lib.5. c.4. num.69. tamen in noſtra Religione ſufficit conſenſus maioris partis Capituli, computato etiam Prælato in Capitulo, nam moris eſt ſcrutari conſenſum Capituli, per vota ſecreta, vt patet ex præſenti conſtitutione approbata à Clem VIII. & generali conſuetudine noſtræ Congregationis, approbata per curſum centum annorum, & quamuis per Capitulum Generale anni 1612. & 1621. aliter ſit ordinatum circa receptionem Nouitiorum, vt apparet ex Decretis Capitularibus p.2.c.4.num.13. & 14. tamen circa admiſſionem ad habitum poſt quatuor menſes ab ingreſſu in Religionem, & circa admiſſionem ad profeſſionem poſt annum nouitiatus, nihil innouatum eſt.

b.§.1. In hoc loco quæritur, an vocalis peccet mortaliter, ſi abſque iuſta, & rationabili cauſa deneget votum alicui Nouitio aliàs idoneo ad ingrediendum in Religionẽ, vel poſtquam eſt ingreſſus, ad habitum ſuſcipiendum, vel ad profitendum? Reſpondeo quòd duæ ſunt Doctorum opiniones ambæ probabiles, vna tenet peccare tantum

venialiter, quæ eſt Sanchez in præceptis Decalogi lib. 5. cap. 4. num. 59. Et ratio eſt quia facit contra charitatem; ſed non contra iuſtitiam, & præceptum charitatis non obligat ſub mortali, niſi in caſu neceſſitatis, quæ non eſt in caſu noſtro; ſecus verò ſi denegaret ſuffragium ad habitum ſuſcipiendum in noſtra Religione, qui dari ſolet poſt quatuor menſes ab ingreſſu in Religionem, quia tunc faceret iniuriam grauem ingreſſo. Altera tenet peccare mortaliter; Et ratio eſt, quia in re graui contrauenit charitati proximi, nam vnicuique Deus mandauit de proximo ſuo. Præterea facit contra bonum totius Religionis expellendo idoneos à Religione, & hanc opinionem tenet D. Bartholomæus à S. Fauſto in ſuo Theſauro Religioſorum. lib. 5. quæſt. 213. & 214. & Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum t. 1 quæſt. 25. art. 12. concl. 1. & 2.

b. §. 2. Hinc ſimiliter mortaliter peccat, qui per ſuffragium ſui voti recipit ad Religionem eum, qui eſt inutilis, ſeu non idoneus Religioni, quia infideliter agit contra Religionem matrem ſuam; ita D. Bartholomæus à S. Fauſto vbi ſup. quæſt. 214. num 3.

c Modo ne Præpoſitus diſſentiat recipi poterit. Hic dubitari poteſt,

Primò, ſi Præpoſitus proponat in Capitulo domus Titium, qui cupit in Religionem ingredi, & facto ſcrutinio, non ſolùm voce, ſed etiam per vota ſecreta eſt acceptatus in tribus Capitulis, vtrum poſſit Præpoſitus diſſentire antequam recipiatur, vel teneatur recipere illum in Religionem?

Reſpondeo primò, quòd Præpoſitus non debet aliquem proponere in Capitulo, nec ſcrutare vota vocalium, ſi non habet animum illum recipiendi in Religione.

Secundò, dato quòd Præpoſitus habeat animum recipiendi

piendi in Religione quem proponit Capitulo domus, & ille ſit acceptatus in primo, & ſecundo Capitulo, ſi ſuperueniat aliqua iuſta cauſa vel vetus manifeſtetur, poterit Præpoſitus diſſentire, & non proponere illum in tertio Capitulo, nec tenebitur cauſam manifeſtare.

Tertiò, ſi acceptato Titio per primum, & ſecundum Capitulum domus, non ſuperueniat noua cauſa, vel notitia Præpoſito, & tamen Præpoſitus nolit amplius eum proponere in Capitulo, in hoc caſu, an peccet mortaliter, vel venialiter, dico quòd duæ poſſunt eſſe opiniones ambæ probabiles, vna quòd peccet venialiter; altera verò quòd peccet mortaliter, ſicut dictum eſt in præcedenti dubio: quomodocunque verò ſit, nec per Capitulum domus, nec per Patrem Generalem cogi poterit ad proponendum illum in tertio Capitulo, quia Conſtitutio clarè loquitur, ne recipiatur, dum Præpoſitus diſſentit.

Quartò, ſi acceptato Titio per tria Capitula domus, Præpoſitus nolit illum recipere in Religionē, ſiue cum cauſa, ſiue ſine illa, in hoc caſu quia per Decretum Capituli generalis par. 2. cap. 4. num. 14. nullus Nouitius recipi poteſt in Religionem ſine expreſſa licentia P. Generalis, habito Patris Generalis cōſenſu poterit Capitulum domus, etiam diſſentiente Præpoſito, illum recipere in Religionem. Et ratio eſt, quia Præpoſitus proponendo illum in tertio Capitulo præſtitit conſenſum; vnde cum capitulariter ſit acceptatus, non poteſt Præpoſitus amplius diſſentire, abſque conſenſu Capituli; quia, quæ à principio ſunt voluntatis, ex poſt facto ſunt neceſſitatis l. ſicut C. de actionibus, & obligationibus, & confirmatur ex noſtra conſtitutione parte tertia capit. nono. §. Præpoſitus, quandoque, &c. vbi habetur, quòd ſi quis à Religione ante profeſſionem eſt dimittendus, debet fieri cum conſenſu vocalium domus; quæ licet loquatur de illis, qui iam ingreſſi ſunt in Reli-

gionem, tamen eadem ratio procedit cum illis, qui per tria Capitula ſunt acceptati, quia ille eſt formalis ingreſſus in Religionem.

c.§.1. Secundò dubitari poteſt, vtrum Præpoſitus habeat diſſenſum ſolùm in acceptatione Nouitiorum, vel habeat etiam quando habitu eſt induendus Nouitius, vel ad profeſsionem admittendus. Reſpondeo breuiter, ſolùm in acceptatione, quia in hoc caſu loquitur præſens conſtitutio, & ſi haberet in alijs caſibus propoſitis, ſequeretur; quòd ipſe ſolus poſſet dimittere, Nouitium à Religione, quod eſſet contra conſtitutionem par. 3. cap. 9. Præpoſitus quandoque

c.§.2. Tertiò dubitari poteſt, quia ad profeſsionem expreſſam requiritur, vt recipiatur à Prælato, & fiat in manibus eius, vel alterius habentis licentiam, & authoritatem ab eo, ſecundum Innocentium Panor. & alios in c. porrectũ de Regularibus, & Mirandam in ſuo Manuali Prælatorum, t. 1. q. 24. art. 3. concluſ. 1. vtrum ſi in aliqua domo noſtræ Religionis non adeſſet Præpoſitus, quia eſſet mortuus, vel abſens à Ciuitate, vbi eſt domus, pro longo tempore, poſsit Vicarius illius domus, vel ſi nec Vicarius adeſſet, poſsit vocalis, qui habet gubernationem domus cum conſenſu Capituli domus recipere Nouitios in Religionem, & receptos admittere ad habitum Religionis, & ad profeſsionem, quando vigore noſtrarum Conſtitutionum illis competit, ſine licentia, & authoritate Præpoſiti? Reſpondeo, &

Dico primò, quòd ſi officium Præpoſiti vacat, Vicarius domus, vel vocalis, qui habet regimen domus in abſentia Præpoſiti, & Vicarij, poteſt facere omnia, quæ poteſt facere Præpoſitus, quia eius vices gerit, vt patet ex noſtra conſtitutione par. 3. c. 9. §. in ſingulis domibus. verſ. Abſente Præpoſito, & c. & per conſequens poteſt recipere Nouitios, & receptos ad habitum, & profeſsionem admittere.

Et

Et confirmatur ex cap. fin. de Regularibus, in 6. vbi deciditur, quòd ſi receptio Monachorum pertinet ad Abbatem, & monacos ſimul (vt obſeruatur in noſtra Religione, & ferè in omnibus) poterit Conuentus vacāte monaſterio recipere monachum, & ita docet Sánchez in præceptis decalogi t. 2. lib. 5. c. 4. num 67.

Dico ſecundò, quòd ſi Præpoſitura non vacat, ſed Præpoſitus eſt abſens, non debet Vicarius, vel vocalis, qui habet regimen domus dictas actiones facere inconſulto Præpoſito, dum differri poſſunt, vſque ad Aduentum Præpoſiti, vt apparet ex noſtra conſtitutione parte tertia. cap. nono. ibi, ea tantum exequantur, quæ in aduentum Præpoſiti commodè differri non poterunt. Et ſi differri non poſſent vſque ad aduentum Præpoſiti, puta quia eſſent in graue præiudicium Nouitij, vel Religionis, debet ſaltèm per literas certiorem facere Præpoſitum, & ſcire eius voluntatem, ſi commodè fieri poteſt, nam conſtitutio in loco præallegato paulo poſt, lin. 12. dicit caueat autem, ne minimum quid agat, quod à Superioris ſui voluntate ſenſerit eſſe alienum.

Sed ſi de facto Vicarius, vel vocalis ſupradicta facerent, cum differri poſſent, acta eſſent valida, & ratio eſt, quia Præpoſiti vices gerunt abſente Præpoſito; & quamuis prohibeantur per conſtitutionem, tamen non annullat acta, ſi fiant; & multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenēt. l. ſi quis C. de Epiſc. & cler. l. militem. C. de procuratoribus. c. nemo. 2. quæſt. 1.

c. § 3. Quartò dubitari poteſt an profeſſio expreſſa fieri poſſit per procuratorem abſente Nouitio? Reſpondeo, quòd fieri poteſt, & ratio eſt, quia ſecundum ius quilibet actus, qui non ſit expreſſè à iure prohibitus expleri poteſt per procuratorem, iuxta l. 1. §. vſus ff. de procurat. & Regulam, poteſt quis de reg. iur. in 6. & in iure nullus eſt locus,

quo

quo præcipiatur expreſsè, ne profeſsio fiat per Procuratorem. Et hanc opinionem tenet Sylu. v. Religio 3. q. 15. Nauar. in conſilijs lib. 3. tit. de regularibus conſ. 31. Miranda in ſuo man. Prælat. to 1. q. 24. ar. 1. concl. 3. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep. decal. to. 2. lib. 5. c. 3. num. 7.

Vt autem procurator hic validè profiteatur nomine abſentis, quinque requiruntur conditiones;

Prima, vt habeat ſpeciale mandatum, ad profeſsionem emittendam.

Secunda, vt ſit mandatum ad profitendum in Religione determinata.

Tertia, vt procurator per ſeipſum exequatur; nec poterit ſubſtituere, niſi ſpecialiter hoc committatur.

Quarta, vt tempore, quo procurator profitetur non ſit reuocata poteſtas.

Quinta, vt Conſtitutio procuratoris non ſit metu graui extorta.

De quibus conditionibus latè tractat Emanuel Roder. in ſuis quæſt. regul. t. 3. q. 17. ar. 13. & Sanchez vbi ſupra lib. 5. cap. 3. nu. 8. vſque ad 12. In noſtra Religione nunquam per procuratorem emiſſa fuit.

c. §. 4. Quintò dubitari poteſt, An Prælatus poſſit admittere Nouitium ad profeſsionem abſque conſenſu Capituli Domus? Reſpondeo, quòd non poteſt; Et ratio eſt, quia creatio Religioſorum ſpectat de iure ad Prælatum, & ad Conuentum ſimul, cap. ea noſcitur de his, quæ fiunt à Prælatis. ſecundo, In creatione Religioſorum inuenitur quidam contractus, & reciproca obligatio, qua profitens monaſterio obligatur, & monaſterium viciſſim ipſi profitenti, eundem alendi, & ſubſtentandi, & cum ipſo vnum corpus, & vnum Collegium conſtituendi: Ergo requiritur vtriuſque partis conſenſus; & ſicut profeſſio eſt nulla deficiente

ciente conſenſu profitentis: ita & nulliter facta eſt cenſenda, & exiſtimanda deficiente conſenſu monaſterij, & maximè contradicente Capitulo; ita docet Nauar. in conſilijs lib. 3 .tit. de Regularibus conſil. 62. n. 2. & ſuper c. ſtatuimus de Regularibus nu. 74. quem refert, & ſequitur Ludouic. Miranda in ſuo man. Prælat. t. 1. q. 24. ar. 8. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſ. Relig. lib. 5. q. 240. Vnde ſequitur, quòd nec Capitulū repugnante Prælato, nec Prælatus repugnante Capitulo, poteſt aliquem ad profeſſionem admittere, vt docet idem Nauar. in conſilijs in 2 edit. lib. 1. tit. de conſtit. conſil. 9. q. 5 nu. 13. & in 1. edit. lib. 3. tit. de Regularib. conſ. 62. nu. 3. & Sanchez in præcep. decal. lib. 5, c. 4. nu. 69: quos refert, & ſequitur D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſ. Relig. lib. 5. q. 240. nu. 3.

Et quæ dicta ſunt procedunt non ſolum ad admittendum aliquem ad profeſſionem; ſed etiam ad receptionem ad habitum, vt docet Miranda in loco præallegato, Leſſius lib. 2. de iuſtitia cap. 41. dub. 7. Sa verbo Religio num. 65. quos refert, & ſequitur à S. Fauſto, vbi ſupra nu. 2.

Et procedunt non ſolum, quo ad Prælatos inferiores, ſed etiam quo ad Generalem. Doctores præallegati in locis præallegatis.

Et multo magis prædicta habent locum in noſtra Religione: de qua re habemus Conſtitutionem expreſſam p. 3. c 9. §. Præpoſitus quandoque. & Decreta p. 2. c. 4 nu. 13 & 16. & conſuetudinem à fundatione Religionis præſcriptā.

c. §. 5. Sextò dubitari poteſt, An forma præſcripta in noſtra Religione ad profeſsionem emittendam ſit de eius ſubſtantiá? Reſpondeo breuiter, quòd non; ſed quibuſcunque alijs ſit facta verbis, valebit; ita Syl. v. Religio 3. q. 1. & 18. in fine. Roſella v. Nouitius nu. 22. Azor. tit 1. lib. 12. Inſtit. Moral. c 5. q. 7. in fin. Tabiena v. Nouitius, q. 11. n. 12. Angelus v. Profeſsio nu. 1. & alij, quos refert, & ſequitur

Sanchez

Sanchez in præcep.decal.to.2.lib.5.c.3.nu.4.

Aduerte tamen, quòd profeſsio eſt facienda in ſcriptis, vt conſtat ex c.fin. 20.q.1. & ibi gloſ. in verbo ſcriptis, & docet Gregorius Lopez p.1.lib.2.verbo ſe puode tit.7.Syl. v.Religio 3.q.1.Tabiena, Roſella, & Sanchez,vbi ſup.n:5.

c.§.6. Septimò dubitari poteſt, An in noſtra Religione efficiatur quis profeſſus tacitus?

Ratio dubitandi oritur, quia quando Nouitij habitu induuntur noſtræ Religionis à Prælato fieri ſolet hæc proteſtatio;In primis ſcias,quod tibi expreſsè proteſtamur,quòd nulla temporis diuturnitate, vel habitus delatione, aut quacunque officiorum exercitatione, quoad nos cenſeberis eſſe profeſſus, niſi à nobis ad expreſſam in ſcriptis profeſsionem fueris admiſſus. Cum igitur ex parte Religionis, & Domus non detur hæc profeſsio tacita; Dubitatur,vtrũ detur ex parte Nouitij: ita vt finito anno probationis, & perſeuerando in Religione cum eodem habitu, qui communis eſt profeſsis, & Nouitijs, & exercendo actus eiſdem communes, cenſendus ſit profeſſus tacitus, cum nullam proteſtationem fecerit in contrarium ex parte ſua, ſicut Prælatus fecit ex parte monaſterij.

Reſpondetur, quòd prima fronte videtur dari hæc profeſsio tacita ex parte Nouitij,quia quamnis non ſit profeſſus noſtræ Religionis, erit profeſſus Religionis in communi, ita vt teneatur ingredi in aliquam Religionem approbatam. Sed oppoſitum mihi videtur verius, quia neque quoad ſe erit profeſſus tacitus. Et ratio eſt. Primo quia, ſicut profeſsio expreſſa non inducitur, niſi fiat in manibus potentis recipere, & incorporare Religioni: ita nec etiam tacita fieri poterit ſine ſcientia, & aſſenſu monaſterij, vel Religionis,quæ illum acceptet, quia non poteſt eſſe profeſsio ſolemnis Religionis,dum non eſt Religio,quæ illum acceptet.

Secun-

Secundò, Profeſsio non poteſt fieri ſine voluntate profitentis: ſed voluntas Nouitij noſtræ Religionis non eſt obligandi ſe ad aliam Religionem, ſed ad noſtram: Ergo dum à noſtra non acceptatur pro tacito profeſſo, nec etiã Nouitius per delationem habitus,& profeſſorum actus obligatur ad noſtram, nec ad aliam Religionem, quia votum non extenditur vltra voluntatem vouentis, ſicut nec lex vltra voluntatem legiſlatoris.

Tertiò, Ea libertate gaudet Nouitius ad exeundum, qua gaudet Religio ad expellendum.

Quartò, Profeſsio cum ſit quidam contractus inter Religionem, & Profeſſum, ex quo reciproca quædam oritur obligatio, ſequitur, quòd nec profeſsio tacita, neque expreſſa fieri, aut dari poteſt alicui ſine conſenſu vtriuſque nempe Capituli, & Nouitij, iuxta tex. in l. in omnibus, ff. de action. & obligat. & l. ſicut, C. eod. tit.

Et hanc opinionem tenet Innoc. Panor. & alij in c. porrectum, de Regul. Syl. v. Religio. 3. q. 19. n. 19. in princ. teſtãs eſſe communem, Ludou. Miranda in man. Prælat. t. 1. q. 24. ar. 7. concl. 1. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep. decal. to. 2. lib. 5. c. 3. nu. 14. & clarius, vbi expreſsè tractat de caſu noſtro.

c. §. 7. Octauo dubitari poteſt, ſi profeſsio Nouitij emiſſa ſit in manibus alicuius ex noſtris non habentis poteſtatem admittendi ad profeſsionem, ſed ex conſenſu Capituli Domus, & admiſſa ſit nomine habentis poteſtatem admittendi ad profeſſionem, nempe futuri Præpoſiti (ſi vacante Præpoſitura ſit emiſſa) Vtrum ſit valida, ſi à futuro Præpoſito ratificetur, & à quo tempore incipiat valere? Reſpondeo, quod erit valida, ſi voluntas Nouitij non fuerit mutata per actum contrarium tempore ratihabitionis; Patet ex regula iuris in 6. ratihabitionem retrotrahi; & mandato non dubitamus comparari; & ita docet Innoc. in

Dd c. por-

c. porrectum nu. 5. de Regularibus, & ibi Hoſtienſis, & Io. Andreas nu 4. Henricus nu. 5. & Anchar.nu.6. Sylu.v.Religio 3.q.16. & q.18. dicto 2. Angelus v. profeſsio nu. 1. Nauar. in conſilijs in 1.edit.lib. 3.tit.de Regularib.conſ 6.n.7. & in 2.edit.conſ.40.nu.7 Emanuel Roder.in 2.to. ſummæ c.8.nu.13 concl.12. & in quæſt.Regular.t.3.q.17.ar.12. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep.decal. t.2. lib.5.c.4. nu. 80. Incipit tamen valere profeſsio illa à tempore, quo rata habita fuerit à Superiore, vt docent Doctores.præcitati in locis præallegatis.

c.§.8. Nono dubitari poteſt, quãdo profeſsió ſolemnis in Religione emiſſa eſt irrita, & nulla, Vtrum obliget, vt votum ſimplex. Vide Sanchez in præcep.decal.to.2.lib.5. c.4. à nu. 193. vſque ad finem cap.

c.§.9. Recipi poterit,&c. Hic aduertendũ eſt,quòd nunc recipi non poterit abſq; licẽtia A.R.P. Generalis,dato quòd per Capitulũ domus ſit acceptatus,& Præpoſitus non diſſenſerit,vt patet ex Decreto p.2.c.4 n.14 quæ licẽtia regiſtrari debet in lib. Capitulorũ domus,antequam fiat tertium Capitulũ, vt fuit ordinatũ ab A.R.P. Generali D.Philippo Maria Guadagno, & ſuis Cõſultoribus die 21. Martij 1628. vt apparet ex libro Conſultationum fol.23.à tergo.

d Qui de hæreſi vnquam ſuſpectus, &c. & Qui in alia Religione profeſsionẽ fecerit, &c. Hic oriri poteſt dubitatio, Ponamus,quòd Religioſus profeſſus alterius Religionis ſit acceptatus in noſtra Religione non vt Religioſus profeſſus, ſed vt ſecularis ob inaduertentiam Patrum, vel ob malitiam Nouitij,& profeſsionem emiſerit in noſtra Religionẽ: & tranſitus à prima Religione ad noſtram non ſit prohibitus, Vtrum profeſsio facta in noſtra Religione ſit valida? Reſpondeo, quòd eſt valida; & ratio eſt, quia, quamuis noſtra Conſtitutio dicat,vt

nullo pacto recipiatur, tamen non annullat profeſsionem factam: Et collatio facta criminoſo, quamuis ſtrictè prohibeatur, eſt valida iuxta Felin. in c. poſtulaſti de reſcrip. & hanc opinionem tenet D.Barthol. à S.Fauſto in ſuo theſauro Relig. lib.5.q.210. & 211. Et idẽ dici poterit in alijs caſibus notatis in dicta Conſtitutione incipiendo à §. qui de hæreſi, &c vſque ad §. vbi primum, &c. Niſi per Conſtitutionem Sixti V. quæ incipit, *Cum de omnibus, vel per aliã legem ſit declarata nulla*; Nam vigore noſtræ Conſtitutionis in nullo caſu eſt annullata.

d.§.1. Alia dubitatio incidenter oriri poſſet, nempe, An Capitulum Generale noſtræ Religionis, poſſet edere Decretum, irritam reddens profeſsionem illius, qui tacito aliquo impedimento ex ſupradictis in præcedẽti quæſtione ingreſſus eſt Religionem, & profeſsionem in ea emiſerit? Reſpondeo, quòd non; Et ratio eſt, quia ſolius Summi Pontificis eſt hoc facere, vt multis citatis probat Sanchez de matrim.lib.7.diſp.37.nu 30. & in præcep.decal. t.2.lib. 5.c.4.nu.73. & Emanuel Roder. in ſuis quæſt. regul. to.3. q.11.ar.2. & q.15.ar.10.col.3. & q.17.ar.20.

Poſſet tamen indirectè hoc facere, ſtatuendo nimirum Decretum, vt nullus admittatur ad Religionem, nec ad profeſsionem, niſi proteſtatione præmiſſa, non eſſe animũ Religionis admittendi illum, ſi tali impedimento laboret; Tunc enim profeſsio facta cum illo impedimento non valeret: Non ratione decreti irritantis, ſed ex defectu intentionis admittendi illum; poſſet etiam reſtringere facultatem Prælatorum, & Vocalium admittendi habentes tale impedimentum, & tunc profeſsio eſſet irrita ex defectu poteſtatis in admittente, vt probat Sanchez, & Emanuel Roder. in locis præallegatis.

e Qui in noſtram ſemel admiſſus, &c. Hic

quæri poteſt, ſi N. ſit admiſſus ad religionem per Capitula Domus, & per multos menſes ab vltimo Capitulo, voluntate ſua non ſit ingreſſus, Vtrum abſque nouis Capitulis poſsit à Præpoſito in religionem recipi? Et quid ſi non voluntate ſua non eſt ingreſſus, ſed patris, & matris? Reſpondeo ad primum negatiuè, per ea, quæ à me tradita ſunt in ſimilibus caſibus ſupra p.1. cap.4 verbo pro Sacris Ordinibus, &c. dubio 5. & c. 5. verbo, nec niſi, &c. dub.2. quæ breuitatis gratia hic non repeto.

Ad ſecundum dico, quòd ſi tempus non eſt longum dependet ex arbitrio Capituli Domus conſideratis circumſtantijs.

f Qui ex legitimo matrimonio natus non ſit, &c.

Præſens Conſtitutio loquitur ſimpliciter, & ideo comprehendit tam illos, qui Religionem ingrediuntur tanquã clerici, quàm illos, qui ingrediuntur tanquam laici, quamuis Conſtitutio Sixti V. contra illegitimos, non obſtet ijs qui ingrediuntur Religionem tanquam laici.

f.§.1. Circa qualitatem Nouitiorum recipiendorum in religionem, Aduertendum eſt, quòd extat Bulla Sixti V. quæ incipit, *Cum de omnibus &c.* quæ iubet non ſolum non eſſe recipiendos illegitimos, ſed nec etiam criminoſos, & reddendis rationibus obnoxios, vel ære alieno grauatos.

g Nouitiorum Magiſtro cuius electio, &c.

Hæc electio Magiſtri Nouitiorum fieri debet per ſchedulas, vt declaratum fuit ab A.R.P. Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus die 13. Martij 1628. & apparet ex lib. Conſultationum fol. 22. à tergo.

Aduertendum eſt, quòd Magiſter Nouitiorum debet primo eſſe Sacerdos; ſecundo, vt in Religione perſtiterit

per

per decennium à profeſſione emiſſa; tertio, vt ſit conſtitutus ſaltem, in anno quinto ſupra trigeſimum ætatis ſuæ annum; quarto, debet eligi ad minus per trienium; In Decretis Sacræ Congregationis Concilij, & Clem. VIII. tit. Inſtitutiones ſuper receptione, & educatione Nouitiorum Religioſorum, Decreto Nouitiorum Magiſter &c. & Decreto, Tam Nouitiorum, &c.

Socius Magiſtri Nouitiorum quãdo fieri debeat, & quas qualitates habere debeat, habetur in eiſdem Decretis.

De Magiſtris Nouitiorum vide Decreta, quæ ſunt par. 2. cap. 4. nu. 6. 19. & 21. & Decretum Capituli Generalis anni 1627. die 30. Aprilis, quod incipit, *Adoleſcentium, &c.*

h Modo ne Præpoſitus diſſentiat. Dubitari po- in hoc loco, An teneatur Præpoſitus antequam fiat electio Magiſtri Nouitiorum declarare ſuam voluntatem, ſeu diſſenſum, vel poſſit differre illum facta electione? Reſpondeo, quòd non tenetur ante electionem manifeſtare ſuum diſſenſum, niſi forte à Vocalibus Domi proponantur duæ, vel tres perſonæ determinatæ, vel plures, ex quibus velint Magiſtrum Nouitiorum eligere: nam in hoc caſu tenetur manifeſtare quem, vel quos excludit, vt electio poſſit fieri perſonæ, quæ ſibi non diſpliceat; & ſi Præpoſitus in hoc caſu nollet manifeſtare quem, vel quos excludit, poſſent vocales differre electionem, & certiorem facere P. Generalem ad hoc, vt cogeret Præpoſitum ad manifeſtandam ſuam voluntatem.

i Singulis annis fiat, &c. Hic dubitari poteſt, Vtrum poſſit Præpoſitus confirmare Magiſtrum Nouitiorum antequam completus ſit annus magiſterij?

Reſpondeo, quòd ſi annus magiſterij completur tempore ſuæ Præpoſituræ, poterit illum confirmare cum conſenſu

ſenſu Capituli Domus; Si verò non completur tempore ſuæ Præpoſituræ non poterit illum confirmare, quia eſſet in præiudicium futuri Præpoſiti? Et ſimiliter non poterit cogere Capitulum ad illum confirmandum non completó anno magiſterij, dato etiam, quòd complendus ſit tempore ſuæ Præpoſituræ, quia dependet à voluntate Capituli ſimul cum Præpoſito, confirmare, vel non confirmare illum ante tempus.

i.§.1. Secundò dubitari poteſt, Vtrum facta electione Magiſtri Nouitiorum à Capitulo Domus cum cōſenſu Præpoſiti, poſſit Præpoſitus ſolus, vel cum conſenſu Capituli illum amouere ab officio abſque eiuſdem Magiſtri conſenſu infra annum magiſterij? Reſpondeo, quòd non abſque culpa, & cauſa cognita, ſaltem ſummariè diſcuſſa à Præpoſito, & Capitulo Domus: Et ratio eſt, quia Conſtitutio nō dat hanc facultatem Præpoſito (nec ſimul cum Capitulo) vt dat de Vicario, qui ad nutum Præpoſiti eſt amouibilis, vt patet in p.3. c.9. Ergo dum ordinat, vt eligatur per annum, & non dat facultatem amouendi, ſequitur, quod abſque conſenſu, vel culpa Magiſtri, non poſſit amoueri ab officio intra annum.

Dixi abſque culpa, & cauſa cognita à Præpoſito, & Capitulo Domus, quia, qui habet facultatem inſtituendi, habet etiam facultatem deſtituendi. ita Antonius de Butrio in c. quod in dubijs de renunciatione nu.7. & Anchar.in c. admonet, ſub n.2.verſ. & tradit circa &c. eod. tit.

i.§.2. Tertio dubitari poteſt, Vtrum finito anno officij Magiſtri Nouitiorum poſſit Præpoſitus cum Capitulo Domus licentiare dictum Magiſtrum, & eligere alium, ſaltem vſque dum alius eligatur? Reſpondeo negatiuè, niſi aliqua iuſta cauſa ſit illum amouendi, & ratio eſt, quia dum alter in eius locum non eſt legitimè electus, debet continuare ſuum officium vſque ad electionem, & poſſeſsionem alterius,

rius, ſicut in Præpoſitis obſeruatur, vt patet ex Conſtitutionibus par. 3. cap. 9. vbi ſunt hæc verba, *Præpoſitus etiamſi iam annus elapſus ſit, in ſua tamen adminiſtratione permaneat quouſque alius Præpoſitus munus adierit.*

Vnde ex identitate rationis idem ſeruandum eſt cum Magiſtro Nouitiorum. Et confirmatur, quia Magiſter Nouitiorum non poteſt de nouo eligi à Præpoſito, & Capitulo Domus, abſque notitia A. R. P. Generalis, ad quem ſpectat denominatio iuxta Decretum par. 2. cap. 4. num. 6. Et ideo non poſſunt, nec debent amouere primum, niſi electo altero, vt dictum eſt, vel cum conſenſu Prioris Magiſtri, & P. Generalis; Et ſi de facto illum amouerent, poſſet P. Generalis, etiam contradicente Præpoſito, & Capitulo Domus, ordinare, vt reſtitueretur in eodem officio, & continuaret vſque ad electionem, & poſſeſſionem alterius.

§. 3. Quarto dubitari poteſt, Vtrum completo anno officij Magiſtri Nouitiorum, ex quo ad eius confirmationẽ renuente Præpoſito, annuentibus verò Domus Vocalibus, & Patre Generali poſſit ſolus Præpoſitus ſuo diſſenſu illum excludere? Reſpondeo, quòd vigore præſentis Conſtitutionis contradicente Præpoſito, confirmari non poſſet; dicit enim, modo ne Præpoſitus diſſentiat. Sed ſtante Decreto Reformationis ſub tit. Inſtitutione ſuper receptione, & educatione Nouitiorum Religioſorum, &c. §. Nouitiorum Magiſtro, &c. in quo diſponitur, vt Magiſter Nouitiorum eligatur ad minus per tres annos, non poteſt Præpoſitus, qui conſenſum præbuit in electione dicti Magiſtri in principio, diſſentire nunc non completo triennio ab electione, abſque iuſta, & legitima cauſa. Imò tam Præpoſitus, quàm Capitulum Domus debent illum confirmare vſque ad tertium annum incluſiuè. Et non confirmando poſſet P. Generalis cum ſuis Conſultoribus illum confirmare vigore dicti Decreti.

Quinto

i.§.4. Quinto dubitari poteſt, Ponamus, quòd Magiſter Nouitiorum compleat annum ſui magiſterij tempore Capituli Generalis, quando Præpoſiti renunciauerũt Præpoſituris, Vtrum poſsit Vicarius cum Capitulo Domus eo tempore confirmare Magiſtrum Nouitiorum per alium annum, vel alium de nouo inſtituere? Reſpondeo, quòd non: Et ratio eſt, quia in tali electione debet interuenire Præpoſitus ad hoc, vt poſsit præſtare aſſenſum, vel diſſenſum, iuxta præſentem Conſtitutionem; Præterea cum electio iſta ſit res grauis, quæ poteſt differri vſque ad aduentum noui Præpoſiti, non debet Vicarius facere hanc electionem contra Conſtitutionem par. 3. cap. 9. verſ. abſente Præpoſito.

k Ter in hebdomada confiteri. Hic aduerti debet, quòd Nouitiorum confeſsiones audiendi cura ſoli Magiſtro Nouitiorum committi debet, ſemel tamen, vel bis in anno, id etiam licebit Superiori; vel cui ille commiſerit, vt patet ex Decreto Clem. VIII. *Quilibet Nouitius, &c.* ſub tit. Inſtitutiones ſuper receptione, & educatione Nouitiorum Religioſorum.

Ex hoc Decreto manifeſtè apparet, quòd nullus alius præter nominatos in dicto Decreto habet facultatem audiendi Confeſsiones Nouitiorum, & ſi alij de facto audiãt, & abſoluant, Confeſsio erit nulla ex defectu poteſtatis Confeſſarij.

Clerici profeſsi, qui adhuc ſunt ſub Magiſtro, Vtrum confiteri poſsint Confeſſarijs ordinarijs Domus? Vide ſup. p. 1, c. 9. commento ſuper Verbo, confitebuntur autem &c.

l Si pro Clerico eſt admiſſus. Hic dubitari poteſt, An Religioſus profeſſus, & pro Clerico admiſſus, & Choro deputatus, poſsit Superioris auctoritate ad ſtatum

Con-

Conuerſorum, ſeu Laicorum transferri? Reſpondeo, vel Religioſus eſt ſacro ordine inſignitus, vel non; ſi primum non poteſt Superior ad ſtatum Conuerſorum, ſeu Laicorũ illum transferre, ita D. Bartholomæus à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib.6.q.177.nu.1.

Si ſecundum, duæ ſunt Doctorum opiniones, Vna eſt Nauar. in cap. quando, de conſecr. diſt.1 q 21.nu.20. qui negat id fieri poſſe. Altera affirmat, & eſt Soti de iuſtit. & iure, lib.10.q 5.ar.1.Aragon.in 2.2.D.Tho.q.83,ar.12.Petri de Ledeſma 2.to.ſumm.tract.9. c.4. Azorij inſtit.moral. lib.10.c.6.q.7. quos refert,& ſequitur D.Barthol.à S.Fauſto in loco præallegato, & ratio eſt, quia non variatur Religionis ſtatus, ſed illæſus manet, cum eiſdem Religionis votis ligatus, opinio Nauarri videtur vera ipſo contradicente, & aliorum vera ipſo conſentiente.

Eſt tamen aduertendum, quòd non quilibet Prælatus habet hanc facultatem, ſed apud nos, Capitulum Generale, vel Præpoſitum Generalem, vnà cum Conſultoribus arbitror habere hanc facultatem, ſi adeſt iuſta cauſa.

Cauſa autem iuſta erit, vel pro punitione alicuius delicti, vel pro ineptitudine ad literas, ita D. Barthol. à S.Fauſto in loco præallegato q.178.lib.6.

m Per menſes quatuor. Hic dubitari poteſt, Vtrũ ex aliqua iuxta cauſa poſſit Præpoſitus Generalis diſpenſare cum Nouitio clerico, vt poſſit indui habitu Religionis nõ completis quatuor menſibus hoſpitij? Reſpõdeo, quòd ſic, niſi diſpenſatio ad multos dies ſe extendat, vt patet ex his, quæ dicta ſunt in Proœmio Conſtitutionum, commentario ſuper verbo, Veteres abrogandi, verſ. quinto poteſt diſpenſare in caſibus leuibus &c.

n Si pro laico, &c. Aduertendum eſt, quod in Ca-

pitulo Generali anni 1610. fuit ſtatutum, vt qui pro fratribus laicis in Congregatione noſtra admittuntur, nonniſi quinquennio expleto noſtræ Religionis habitu induantur, vt patet in Decretis p.2.c.4.nu.20.

n.§.1. Hic dubitari poteſt, Ponamus, quòd aliquis Nouitius laicus, dum pro hoſpite habetur, per Capitulum domus ſit licentiatus, & poſtea, cum non adhuc ſit domo eiectus, nec habitu hoſpitum expoliatus, velint Patres adhuc experiri magis, Vtrum idoneus ſit nec ne, An poſſint hoc facere? & faciendo Vtrum continuetur tempus hoſpitij, vel de nouo inchoandum ſit? Reſpondeo, quòd Præpoſitus localis, etiam cum Capitulo Domus, non poteſt hoc facere abſque licentia P. Generalis, & noua cauſa, vt conſtat ex Decreto p.2.c.4.nu.16. ex identitate rationis, & obtinendo dictam licentiam cum conſenſu P. Generalis Capituli Domus, & Præpoſiti continuabitur tempus hoſpitij, nec de nouo erit inchoandum, & ita in praxi ſeruatum eſt in Domo S. Sylueſtri.

Sed quid dicendum ſi hoc accideret in anno probationis, ſeu nouitiatus?

Dico circa primũ eodem modo, quòd Præpoſitus etiam cum Capitulo Domus non poſſet hoc facere abſque licẽtia P.Generalis, & noua cauſa, vt patet ex ſupradicto Decreto.

Dico ſecundo, quòd ſi eſt Clericus debet etiam concurrere conſenſus Capituli Domus, quæ acceprauit dictũ Nouitium, ſi non fuit receptus in Domo nouitiatus.

Dico tertio quòd vno deficiente (nẽpe vel conſenſu Generalis, vel Capituli Domus nouitiati, vel Capituli Domus, quæ Nouitiũ recipit) oporteret eijcere Nouitiũ à Religione.

Dico quarto, quòd ſi omnes ſupradicti concurrunt, vt non ſolum prætineatur Nouitius in Religione ſed etiam, vt continetur annus probationis; Non erit neceſſe de nouo incipere annum probationis, quia quamuis per Capitulum

Domus

Domus ſit licentiatus, dum non eſt expulſus è Domo, nec habitu Nouitiorum expoliatus, ſed continuè verſatus eſt in eodem ſtatu: Annus probationis nō dicitur interruptus, per illum actum Capituli, ſed continuus.

o Ante ſuſceptum habitum, &c. In ſuſceptione habitus apud nos fieri ſolet nominis mutatio; ſi videbitur Superiori, qui habitum dat, quo mutato, vel non mutato, non licet amplius, nec auctoritate priuata, nec ipſiuſmet Superioris illud mutare, ſed tantum auctoritate Capituli Generalis, vel P. Generalis; nam omnia ei licent, quæ non ſunt ei prohibita; & nominis mutatio ad Superiorem pertinet, vt docet Franc. in Procemio ſexti Decretalis, Duardus in Bulla Cœnæ Domini lib. 1. cap. 4. q. 5. nu. 14. & Bonacina de Sacramentis diſp. 2. q 2. par. 4. num. 24. Ex quo patet à fortiori, fraudulentam nominis mutationem non eſſe licitam, cum ſit à iure interdicta, vt patet ex lege prima, C. de mutat. nom. Introducta enim fuit hæc nominis mutatio in Religione, primo ad dimittendum nomina gentilium, ſi forte illa in Baptiſmo fuerint Nouitijs impoſita, & ad introducendum nomina Sanctorum. ſecundo ad indicandam vitæ interioris, & morum mutationem, & noui hominis inſtitutionem.

p Inhabilis, &c. Vide ſupra in princ. præſentis Capitis in Commentario, §. De conſenſu, &c. verſic. Hic ſimiliter, &c.

q Domeſticis operibus vacent. Hic quæri poteſt, An Regularis, qui in Religione non laborant iuxta eorum profeſſionem peccent mortaliter? Reſpondeo regulariter eos peccare mortaliter, niſi ex paruitate materiæ excuſentur à mortali, vel ex aliqua iuſta cauſa excu-

 ſentur.

ſentur. Et ratio eſt, quia in profeſſione fit contractùs inter Religionem, & profitentes, per quem Religio illis omnia neceſſaria ad decentem ſuſtentationem promittit, ipſi verò exhibent ſe Religioni paratos ad ea munera, ad quæ per profeſſionem ſunt deputati. Ergo ex iuſtitia tenentur Regulares actus ſuæ profeſſionis in Religione exercere, ac laborare; Ergo faciendo contra iuſtitiam regulariter peccant mortaliter. ita D. Tho. in 2.2.q.187.ar 4. & D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib 6.q.179. Hinc ſequitur, quòd Conuerſi, ſeu laici, qui in monaſterijs corporalibus, ad quæ per profeſſionem ſunt deputati, ſunt notabiliter negligentes peccant mortaliter. Et ſimiliter Religioſi ad Chorum deputati, qui ſine iuſta cauſa Miſſam non celebrant, Diuinis officijs ex conſuetudine in Choro non interſunt, ſacramentum pœnitentiæ ſi ſint Confeſſarij, requiſiti, miniſtrare nolunt ex conſuetudine. Dixi notabiliter negligentes, nam non ſunt faciliter condemnandi de peccato mortali; & ex altera parte Religioſi tepidi & negligentes debent animaduertere periculum cui ſe exponunt.

r Pro Matutino, &c. Hic dubitari poſſet, Vtrum noſtri Conuerſi, ſeu fratres laici teneantur ex præcepto recitare orationes, quæ ſunt eis ordinatæ per hanc Conſtitutionẽm, ſicut clerici horas Canonicas? Reſpondeo, quòd non, quia Conſtitutio non obligat ad culpam; Clerici autem non ſolum tenentur ex vi Conſtitutionis recitare horas Canonicas, ſed ex cõſuetudine vniuerſali Eccleſiæ, quæ obligat illos ſub præcepto. Et quamuis fratres laici de iure Diuino teneantur preces ad Deum fundere pro noſtris benefactoribus, poſſunt tamen illis ſatisfacere alijs orationibus, & pijs operibus; Imò ſuo modo pro benefactoribus orare cenſentur, dum clericis orantibus inſeruiunt. ita D.

Bartho-

Bartholom. à S. Fauſto in ſuo theſauro Relig. lib.6.q.170. r.§.1. Hic quæri poteſt, ſi Nouitius delinquat à quo puniri debeat? Reſpondeo, quòd puniri poteſt à Prælato Religionis in qua manet, (ſi in Religione permanere velit) ac ſi eſſet profeſſus; nam licet non ſit perfectè Religioſus, eſt tamen intra Religionem, eiusq; pars, quamuis imperfecta, & ipſum percutiens innodatur ſententia excommunicationis, c. Religioſo de ſent.excomm. in 6. Vnde eadem ratione gaudet priuilegio fori. & ita docent communiter Doctores quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep. decal.t.2 lib.6.cap.10 nu.10. quod procedit non ſolũ quando Nouitius delinquit contra Religionis Regulam, & ſtatutum, ſed etiam ſi committat alia delicta etiam capitali pœna digna, vt homicidium, &c. ita Nauarrus in manuali cap.12.nu 65. & in conſilijs in prima edit.lib.3. tit.de Regularibus conſil. 58. num.4. & in 2. edit. lib.2. tit. de foro competenti conſil.6 nu.4. & Azorius lib.12. inſtit.moral. cap.2.q 11. quos refert, & ſequitur Sanchez vbi ſup n.12.

Sed ſi Nouitius è Religione egredi eligat, ſiue ante ſiue poſt condemnationem à Prælato regulari factam, à Iudice ſeculari puniri poterit, ſi ante ingreſſum Religionis erat ſecularis, vel ab eccleſiaſtico ſi erat clericus, ob delictum in Religione commiſſum, quia delictum impunitum manere non debet, & è monaſterio egreſſus, eſt mere ſecularis, vel clericus ſecularis, vt prius erat. ita Farinac. in ſua practica criminali to. 1. tit. de Inquiſitione, in 3.edit. q.8. nu.46.ampliat.16. Bobadi.lib.2.polit.cap.18.nu.87. & alij quos refert, & ſequitur Sanchez vbi ſup. nu. 14.

Poteſt etiam excommunicari Nouitius à Prælato Religionis, vt docet Sanchez in præcep. decal t.2.lib.6 cap. 10. nu.17. Vltra ea quæ dicta ſunt de Nouitijs, aduertendum eſt, quod in Decretis noſtris Capitularibus p.2.c 4 ſunt inter alia Decreta, infraſcripta, annotatione digna.

In

r.§.2. In Decretis p.2.c.4.nu.5. Si qua bona Nouitius etiam nominatim legauerit illi Domui in qua profeſsionem emittit, cedant nihilominus in vtilitatem illius Domus, in qua eſt receptus; ſecus ſi nominatim alijs Domibus noſtræ Cõgregationis legaſſet.

r §.3. Notandum eſt, quòd vſus Religionis eſt, vt Nouitius inrelligatur filius illius Domus in qua receptus fuit, quamuis profeſſionem emittat in alia Domo; & ſicut ad illam Domum in qua fuit receptus pertinet onus dicti Nouitij, non ſolum dum eſt in nouitiatu: ſed etiam dum eſt profeſſus; ſic etiam omnia emolumenta quæ perueniunt ad Religionem ratione dicti Nouitij in quocunque tempore, pertinent ad eandem Domum, vt patet ex præſenti Decreto 5. & in Compendio Priuilegiorum noſtræ Congregationis par.2. tit. hæreditas, §.1. & eſt iuxta Regulam iuris, vt qui ſentit onus, & commodum ſentire debeat, l. ſecundum naturam, ff. de re iud.

Notandum eſt etiam, quòd aliquando ſolet occurrere, vt aliquis Nouitius acceptetur in Domo S. Antonij Mediolani (exempli gratia) & profeſſionem faciat (ob ſatisfactionem Nouitii vel eius parentum) nomine alterius domus, nempe S. Nicolai Tolentini Venetiarum, in hoc caſu intelligitur filius Domus S. Nicolai, & ad ipſam ſpectant onera, & emolumenta dicti Nouitij, & non ad Domum S. Antonij. Sed aduertendum eſt, quòd ad hoc faciendum concurrere debet conſenſus Capitulorũ vtriuſque domus, nempe S. Antonij, & S. Nicolai, & conſenſus Nouitij; & ita in facti contingentia fuit obſeruatum in perſona Ioannis Mariæ Vincenti noſtræ Congregationis clerici profeſſi Venetiarum. & ita ſimiliter obſeruant patres Dominicani ex ordine Capituli Generalis Marſiliæ celebrati anno 1300. quem refert P. Magiſter Vincentius Bandellus Generalis

neralis dicti Ordinis in ſuis commentarijs ad Conſtitutiones ſui Ordinis diſt. 1. c. 14. verſ. Ego N. facio profeſſionem lit b. fol. 47. col. 2.

Notandum eſt tertio, quòd ſi Capitulum domus in qua fuit receptus Nouitius. conſentiret, vt poſſet Nouitius donare, vel legatum facere in fauorem domus, in qua profeſſionem emittit, valeret donatio, vel legatum in hoc caſu, & ratio eſt, quia vnuſquiſque cedere poteſt iuri ſuo, c. ſi de terra de priuilegijs, & bona non acquiſita remitti, & relaxari poſſunt, Abbas in c. tua, nu. 9. de his, quæ fiunt à Prælatis, Felin. in c. præſentia, ſub nu. 57. verſ. decimo de probat. & late Stephanus Quaranta in ſua ſumma Bullarij, tit. alienatio rerum eccleſiæ, nu. 43.

r. §. 4. In Decretis p. 2. c. 4 nu. 12. Nemo ante quartumdecimum expletum ſuæ ætatis annum in noſtrã Congregationem admittatur, ſi ſecus fieri peculiaris aliqua ratio poſtulauerit, id nullo pacto fiat abſque P. Generalis facultate.

r. §. 5. Aduertendum eſt, quòd vltra licentiam P. Generalis, requiritur licentia, & conſenſus patris naturalis, vel tutoris Nouitij, qui conſenſus ſufficiet tacitus, & haberetur ſi per annum, & vnum diem non reclamaret, iuxta tex. in cap. 2. de Regularibus, & c. Puella, 20. q. 2. & annus incipit à die ſcientiæ, ita Sanchez in præcep. decal. lib 4. c. 18. nu. 10. & ſeq.

r. §. 6. Hic dubitari poteſt, An iſte Nouitius cum licentia P. Generalis acceptatus in Religione ante pubertatis annum, ſit propriè Nouitius, ita vt gaudeat priuilegio Canonis? Reſpondeo, quòd largè dicitur Nouitius, tamen cũ valeat ingreſſus, vt docet Sanchez in præcep. decal. lib. 4. cap 18. nu. 8. gaudebit etiam priuilegio Canonis conceſſo Nouitijs, c. Religioſo, de ſent. excomm. in 6. & ita docet

cet Angelus in ſumma, v. Nouitius, nu. 21. Palud in 3 ſent. diſt. 39. q 3. in quæſtiuncula 2. in fine, quos refert, & ſequitur Sanchez vbi ſup. to, 2. lib. 5. c. 4. nu. 24.

Dixi largè dici Nouitium, quia ad hoc vt ſit propriè Nouitius, & legitimum faciat nouitiatum, requiritur vt ſit pubes, ideſt quatuordecim annorum completorum; nam annus nouitiatus datur ad auſteritates Religionis experiendas, inter quas ſupremum locum obtinet caſtitatis obſeruantia, cuius difficultates impuberes experiri plenè nequeunt. Et quod requiratur hæc ætas, ſupponi videtur in clem. fin. iuncta glo. verbo ætate, de Regularibus, & docent Sylu. v. Religio. 2. q 12. & Religio. 3 q. 2. Azor. lib. 12. inſtit. moral. c. 2. q 4. & q. 7. & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep. decal. t. 2. lib. 5. c. 4 nu. 22.

r. §. 7. In Decretis p. 2. c. 4. nu. 13. Vt ea, quæ de recipiendis Nouitijs in noſtris Conſtitutionibus habentur facilius exequutioni mandari poſſint, ſtatuerunt Patres, vt nullus in poſterum in noſtram Religionem recipiatur, niſi prius à Præpoſito, & Vocalibus illius Domus, in qua recipiendus eſt, tria celebrentur Capitula, quæ tamen in minori temporis ſpatio, quàm vnius menſis nullatenus celebrentur. In illis autem celebrandis, hoc perpetuo ſeruetur, ſcilicet vt vbi Præpoſitus, & tres tantum, aut pauciores vocales fuerint, niſi omnes & ſinguli conſentiant nemo recipiatur; Vbi vero maior Vocalium numerus adfuerit, duæ ſaltem partes conſentiant, quæ tamen de Nouitijs tantum recipiendis intelligantur; Quod autem ad illos habitu induendos, vel ad profeſſionem admittendos attinet, firmum ſit quod in

noſtris

noſtris Conſtitutionibus habetur, ſcilicet vt ad hæc omnia ſufficiat conſenſus maioris partis Capituli; & vt hæc firma atque rata ſeruari poſſint, Patres Viſitatores viſitationis tempore diligenter inquirant, an ſeruentur, & inſuper quænam ſit receptorum Nouitiorum in moribus probitas, quæ regularis obſeruantia, ac tandem, quæ literarum eruditio; & omnia ad P. Generalem deferant.

r.§.8. Notandum eſt, quòd inter vnum & aliud Capitulum debet eſſe intermedium, ſpacium ſaltem decem dierum, ſecundum Bullam Sixti V., quæ incipit, *Ad Romanum*, §. verum, & non ſine ratione, quia in dicto ſpatio temporis, aliquid manifeſtari poterit, quod antea neſciebatur; & ſecundum dictam Bullam, non eſt neceſſe ſpacium triginta dierum ad tria Capitula celebranda, ſed bene requiritur vigore præſentis Decreti Capituli Generalis.

r.§.9. Præterea quando aliquem Nouitium, ex aliqua iuſta cauſa, quæ dilationem non pateretur, recipi conueniret ante celebrationem trium Capitulorum, in hoc caſu, quando non adeſſet timor contradictionis conſanguineorum, & cum diſpenſatione P. Generalis recipi poſſet vt aduena, & in eodem habitu, quo ingreditur illum retinere vſquequo celebrarentur tria Capitula, & decurreret menſis à primo Capitulo: vel poſſet indui interim habitu clericali ſeculari.

Dixi niſi adeſſet timor contradictionis, quia ſi adeſſet, nullo pacto poſſet, nec conueniret illum recipere.

Dixi & cum diſpenſatione P. Generalis, quia ſine tali diſpenſatione, Præpoſitus localis etiam cum conſenſu Capituli Domus non poſſet illum recipere, quia eſſet contra Decretum anni 1621. quod eſt p.2.c.4.n.14.

r.§.10. In Decretis p.2.c.4.nu.15. Hoſpitij cuiuſlibet tempus incipiat à die, qua in Domum nouitiatus quis excipitur.

Dato quod Præpoſitus cum Capitulo domus induat Nouitium habitu noſtrorum hoſpitum, nunquam ei currit tempus hoſpitalitatis, niſi à die, qua fuerit receptus à Domo nouitiatus, in qua à P. Generali fuerit aſſignatus, & ita in praxi ſeruatum eſt in quodam Nouitio, qui per quinque menſes cum habitu hoſpitum fuerat in domo, in qua erat acceptatus, & nunquam à P. Generali, & Conſultoribus poterit obtinere, vt habitu Religionis à Præpoſito indueretur: ſed à P. Generali fuit aſſignatus domui nouitiatus S. Syluestri Romæ, & à die, qua peruenit ad dictam domum S. Syluestri incæpit tempus hoſpitij, quo completo fuit indutus habitu Religionis.

In Decretis p.2.c.4.nu.16. Quotieſcunque Decretũ fuerit à Capitulo Domus, ne aliquis ad profeſſionem admittatur, ne liceat aliud cogi Capitulũ, quo prius Decretum abrogetur, ſed protinus dimittatur; & ſi interim noui quicquam acciderit ad P. Generalem deferatur.

r.§.11. Hic primo dubitari poteſt, ſi Præpoſitus de facto (poſtquam à Capitulo domus aliquis Nouitius eſt excluſus ne ad profeſſionem admittatur) de nouo congregaret Capitulum, in quo concluderetur, vt admitteretur ad profeſsionem; & Præpoſitus daret illi Nouitio profeſsionem, vtrum dicta profeſsio eſſet valida? Reſpondeo profeſsionem eſſe irritam & nullam, ex defectu poteſtatis, quia dum in Decreto dicitur *Ne liceat aliud cogi Capitulum*, reſtringit facultatem Prælato congregandi Capitulũ in hoc

caſu,

caſu, & reſeruat hanc facultatem P. Generali. Præterea probatur per tex. in l. non dubium, C de legibus, & ibi Bart. & inſtit. de nuptijs, §. ſi aduerſus, in quibus iuribus habetur, quòd quando lex, vel ſtatutum prohibet fieri actum, ſi fiat, actus eſt nullus, licet non procedat vltra annullando, & ita docet Felin. in c. ex parte, n. 1. de conſtit. & Sanchez in præcep. decal lib. 5. c. 4. nu. 66. & 73.

r. §. 12. E contra vero, ponamus quòd à Capitulo Domus ſit approbatus Nouitius, vt ad profeſſionem admittatur, & Præpoſitus vellet de nouo congregare Capitulum de eadem re, Vtrum poſſit hoc facere abſque noua cauſa, & licentia P. Generalis? Et ſi de facto faciat & concludatur contrarium, vt ſcilicet dimittatur, An ſit validum ſecundum Capitulum?

Reſpondeo, quòd duæ poſſunt eſſe opiniones, vna negatiua, altera vero affirmatiua; & pro parte negatiua ratio eſſe poteſt, quia poſt publicationem ſcrutinij non eſt locus variationi, vt in c. publicato de elect. & adeſt tex. in terminis in cap. nulli licere de elect. in 6. cuius verba ſunt hæc, *Nulli licere decernimus, poſtquam in ſcrutinio nominauerit aliquem, & electio fuerit ſubſequuta, vel poſtquam præſtiterit electioni de ipſo ab alijs celebratæ conſenſum, illum ſuper electione ipſa, niſi ex cauſis poſtea emergentibus impugnare; Vel niſi ei morum ipſius antea celata, de nouo pandatur improbitas, ſeu alicuius alterius latentis vitij vel defectus, quæ veriſimiliter ignorare potuerit veritas reueletur. De huiuſmodi autem ignorantia fidem faciat proprio iuramento.*

Secunda ratio colligi poteſt ex eodem Decreto per contrarium, nam ſicut quando à Capitulo domus fuit decretũ ne aliquis ad profeſſionem admittatur, non licet aliud cõuocari Capitulum, quo prius decretum abrogetur, niſi noua cauſa ſuperueniente, & ad Generalem delata: ſic etiam per contrarium, quando à Capitulo domus eſt approbatus

Nouitius vt ad profeſſionem admittatur, non licet Præpoſito aliud conuocare Capitulum; quo prius Decretũ abrogetur, abſque noua cauſa, & ad P. Generalem delata. Cõtrariorum enim eadem eſt diſciplina quantum ad iuris diſpoſitionem, l. diem, §. ſtari, ff. de arbitris, l. 1. ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris, inſt. de ſocietate, § illud.

Pro parte vero affirmatiua, quæ vera mihi videtur, dico quòd Præpoſitus de conuenientia, non debet de nouo conuocare Capitulum abſque euidenti cauſa, & prius delata Admodum R. P. Generali: Tamen ſi de facto conuocet Capitulum, & concludatur contra primum Decretum, vt non admittatur ad profeſſionem, dico ſecundum Capitulum eſſe validum; Et ratio eſt, quia multa fiunt, quæ fieri non debent, facta tamen non reſcinduntur, c. nemo 2. q. 1. c. quidam 27. diſt. l. ſi quis, C. de Epiſc. & Cler. l. militem, C. de Procurat.

Secundò, nullum apparet ius quod annullet dictam ſecundam concluſionem. Et ad rationes allatas pro parte negatiua, quæ videntur obſtare, Reſpondeo, & ad primũ dico, quòd procedit in electione, in qua publicato ſcrutinio acquiſitum eſt ius ei, qui eſt electus, ſed in caſu noſtro tractatur de contractu faciendo inter Religionem, & Nouitium, in quo non acquirit ius Nouitius ex concluſione Capituli, vt contractus fiat, ideſt vt admittatur ad profeſſionem, ſed celebrato contractu, ideſt facta profeſſione acquirit ius, vt dimitti non poſſit abſque legitima cauſa.

Ad ſecundam rationem, quæ colligitur ex dicto Decreto à contrario ſenſu dico, non eſſe validum argumentum; primo quia eſt diſpar ratio, & ideo non procedit, vt docet Euerardus in loco à contrario ſenſu; ſecundo, quia, quod factum eſt in fauorem Religionis, conuerteretur in detrimentum Religionis; Dictum enim Decretum fuit factum in fauorem Religionis, ne indigni & inhabiles iudicio Capituli

pituli admitterentur ad profeſsionem, quæ deciſio eſt cõformis Conc. Trid. quod vult, vt inhabiles dimittantur; ſi verò admiſſo Nouitio à Capitulo ad profeſsionem, non poſſet Præpoſitus de nouo congregare Capitulum, & de nouo diſcutere merita dicti Nouitij eſſet contra Religionem, quia aliquis indignus, vel inhabilis ex parua conſideratione Vocalium approbatus, eſſet admittẽdus ad profeſsionem in damnum Religionis: Ergo admitti non debet hoc argumentum à contrario ſenſu. Vnde reiectis contrarijs, remanet firma concluſio pro parte affirmatiua.

r.§.13. Secundo dubitari poteſt, ſi P. Generalis prohiberet alicui Præpoſito locali ne admitteret aliquem Nouitium ad profeſsionem ex aliqua iuſta cauſa, & Præpoſitus cum conſenſu Capituli domus, hac prohibitione non obſtante, illi daret profeſsionem, Vtrum eſſet valida dicta profeſsio? Reſpondeo quòd eſſet valida, quia eſſet facta in manu Prælati potentis acceptare ad Religionem cum conſenſu Capituli domus. Nec obſtat prohibitio facta à P. Generali, quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent l. ſi quis, C. de Epiſc. & cler. l. militem, C. de Procuratoribus, c, nemo, 2.q 1.

r.§.14. Sed quid dicendum ſi P. Generalis in ſupradicto caſu non ſolum prohibuiſſet actum dandi profeſsionem: ſed etiam irritaſſet & annullaſſet in caſu contrauentionis, Vtrum eſſet nulla in iſto caſu?

Reſpondeo quod non, & ratio eſt, quia ſolius S Pontificis eſt irritam reddere profeſsionem, vt docet Sanchez multis citatis in lib.7.de matrimonio diſp. 37 nu.30. & in præcep decal.t.2.lib. 5.c.4.nu.73. & Emanuel Roderiquez in ſuis quæſt. regul.t.3.q.11.ar.2. & q.15.ar.10.col.3. & q. 17.ar.20.

Eſt tamen aduertendum, quòd licet P. Generalis non poſsit directè irritare, & annullare profeſsionem; poteſt

tamen

tamen indirectè, ſuſpendendo Præpoſito facultatem in illo caſu, & reſeruando ſibi admiſsionem illius Nouitij ad profeſsionem ex rationabili cauſa; In hoc enim caſu ſi Præpoſitus ille localis daret illi Nouitio profeſsionem eſſet irrita,& nulla ex defectu poteſtatis. Nam P. Generalis poteſt ex iuſta cauſa ſibi viſa ſuſpendere Præpoſito hanc facultatem, & ſibi reſeruare, quia totam iuriſdictionem quã habet Præpoſitus localis à P.Generali illam accepit,& omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur. c 1.extra de regulis iuris. Dixi & ſibi reſeruare facultatem admittendi illum Nouitium ad profeſsionem, quia ſi tantum ſuſpenderet, & non reſeruaret ſibi facultatem, & Præpoſitus localis non obſtante ſuſpenſione, de facto illam daret Nouitio, profeſsio eſſet valida. per regulam ſupradictam; nam multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, vt ſupra dixi. & hanc opinionem tenet Sanchez in præcep decal.t.2.lib.5.c.4.nu 79.

r.§.15. Tertio dubitari poteſt, Vtrum Nouitium expulſum à Capitulo domus, poſsit Præpoſitus ſolus abſque Capitulo domus,detinere domi, cum eodem habitu, eouſque det relationem P. Generali? & maximè ſi noua cauſa manifeſtetur? Reſpondeo affirmatiuè, quod probatur ex eodem Decreto 16. in finalibus verbis, ibi, *Ad P. Generalem deferatur*; nec vlla mentio fit Capituli domus.

De hac materia profeſsionis vide Commentaria in hac ſecunda par.Conſtit. in princ.verb. Profeſsionem iterare à q.2.vſque ad 20. incluſiuè, & c.5. verb. Qui de hæreſi,&c.

In Decretis p.2.c.4.nu.17. Per menſem ante profeſſionis tempus, eligantur à Capitulo Domus duo Vocales, qui de vita & moribus Nouitij maturè inquirant,& ad Patres, antequam de profeſſione quicquam ſtatuatur referant. Iſta electio debet fieri per

ſche-

ſchedulas, vt declaratum fuit ab A. R. P. Generali D. Philippo Maria Guadagno,& ſuis Conſultoribus die 13. Martij 1628. & patet ex libro Conſultationum fol.22. à tergo.

In Decretis par.2.cap.4 nu.19. Clerici etiam &c. ibi Præpoſitus ſacerdotem deligat &c. Vide omnino Decretum Capituli Generalis anni 1627. die 30. Aprilis, quod incipit, *Adoleſcentium, &c.*

r.§.16. In Decretis p.2.c.4.nu.21. Laici Nouitij &c. Laicis Nouitijs à Præpoſito, & Vocalibus Magiſter per ſecreta ſuffragia eſt eligendus, ex Capitulo Generali anni 1627. die 30. Aprilis, quod incipit, *Adoleſcentium*.

De Studijs & Scholaſticis[a]. Cap. VI.

Summa Capitis VI. Conſtitutionum.

Studijs quos viderint eſſe aptos curent Præpoſiti, vt per Lectores erudiantur. num. 1.

*Latinam linguam qui non callent, ad Logicam vel Philoſophiam audiendam non admittantur. num.*2.

Scholaſtici examinentur antequam de vna ſcientia ad aliam tranſeant. num. 3.

Studijs certæ domus deſignentur. num. 4.

Tempus Studijs deſtinatum. num. 5.

*Singulis hebdomadis diſputationes habeant. num.*6.

Jis libri proficui aſsignentur à Lectore, & Præpoſito, & cæteri auferantur. num. 7.

*Exemptio à choro quando concedi debet. num.*8.

*Magiſtro abſente quid facere debent. num.*9.

*Otio aut ſomno exemptionem ne conſumant. num.*10.

Orationem ne negligant. num. 11.

NE-

NECESSE eſt Clericos, vtpote
verbi Dei, Sacramentorumq; mi-
niſtros, omni quidem bonarum li-
terarum genere, præcipuè verò
Theologiæ eruditione eſſe conſpicuos, ne Di-
uina myſteria per imperitos, cum Ordinis de-
decore, exerceantur. Præpoſitus igitur Ge-
1 neralis, & Præpoſiti Domorum præcipuè cu-
rare debent, vt quos ſtudijs viderint eſſe aptos,
hi Logica, Philoſophia, Theologia, & ſacris
Canonibus per Magiſtros, atque Lectores ido-
neos erudiantur.

Clerici dum ſunt Nouitij, poſt ſpiritualium
rerum occupationes, humanioribus literis ſi
neceſſe habeant, diligenter ſtudeant. Ante
profeſsionem ſcientijs ne vacent, niſi à P. Ge-
nerali obtenta licentia.

2 Nemo ad Logicam[b], vel Philoſophiam au- b
diendam admittatur, niſi qui Latinam linguã
3 calleat. A Logica[c] ad Philoſophiam, à Philo- c
ſophia ad Theologiam, ne tranſeant, niſi qui à
Præpoſito, & Vocalibus, ſuoq; magiſtro inuē-
4 ti ſint idonei. Vt ſchola ſit frequentior, deſi-
gnentur certæ domus, ad quas ex alijs ſtudio-
5 rum cauſa demigretur. Tres deputentur anni,
quibus Logicæ, & Philoſophiæ operam dare

poſsint.

poſsint . Theologiæ non plus quinque , non
pauciores quatuor . Per id totum tempus lec-
tiones à Magiſtro aſsiduè audiant , illasq; po-
ſtea repetant , ac dubitationes de ea in orbem
6 quotidie proponant . Singulis hebdomadis ha-
beantur diſputationes : in quibus vnus conclu-
ſiones propoſitas defendat : vnus , & alter ar-
gumenta contraria obijciat . Diſputationibus,
& repetitionibus huiuſmodi interſint quando-
que Præpoſitus, & Vocales , quo animũ Scho-
7 laſticis poſsint addere . Ne legendis aliarum
ſcientiarum libris diſtrahantur, dentur ſingu-
lis à Præpoſito , & Magiſtro libri , quos ſolos
8 poſsint legere. Diebus non feſtiuis detur Scho-
laſticis profeſsis , ſi videbitur , alternis vicibus
remiſsio , ne cum alijs in Choro pro Diuino
9 Officio recitando conueniant . Si qua de cauſa
Magiſtrum diutius abeſſe contigerit , mutuis ,
quas ille præfinierit , lectionibus ſe exerceant,
10 ac ſolitam vacationem habeant . Aduertant
Præpoſiti , ne conceſſum Scholaſticis ſtudendi
tempus rebus inutilibus , aut otio abſumant :
neve cum alij ad Matutinas preces perſoluen-
11 das ſurrexerint , illi in cellulis dormiant : Sed
primum omnium eſt curandum, ne qui ſtudijs
fuerint deſtinati , orationis aſsiduitatem , &

animi modeſtiam negligant. Verum ita eruditionem cum pietatis ardore coniungant, vt alterum alteri emolumento eſſe poſsit. Expleto ſtatim ſtudiorum curriculo, aut ſi Magiſtri actu amplius non legant, teneantur rurſus Horis omnibus Canonicis vnà cum alijs intereſſe.

Commentaria in Caput VI.

Summa Commentariorum ſuper Caput VI.

Diſculi & inepti ad ſtudia non ſunt admittendi. lit. b.

Ad ſtudium Theologiæ quis admitti non debet, niſi prius ſit examinatus & approbatus in Philoſophia, dato etiam quod in ſeculo ſtuduerit, & fuerit approbatus. lit. c.

Studentes examinati & non approbati an poſsint in aliquo caſu iterum examinari? lit. c. §. 1.

a DE ſtudijs &c. Cum hac rubrica concordat alia rubrica Decretorum Capitularium par. 2. cap. 5. quæ Decreta ſunt videnda, quia multa de nouo ordinantur in illis quæ hic non ſunt.

b Nemo ad Logicam &c. In tribus Capitulis generalibus Ordinis Prædicatorum fuit ordinatum, vt nullo modo mittant ad ſtudia fratres diſculos, vel ineptos: & ſi quos tales miſerint, ſine dilatione, ſtudeant reuocare, ita refert Magiſter Vincentius Bandinellus in ſuis Commentarijs in conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum diſt. 2. c. 14. fol. 119. col. 1.

A Lo-

c A Logica &c. Hic dubitari poſſet, ſi aliquis clericus profeſſus noſtræ Religionis ſtuduerit in ſeculo toti Philoſophiæ, & poſtea velit admitti ad ſtudium Theologiæ, Vtrum examinari debeat prius in Philoſophia? Reſpondetur affirmatiuè, & ita fuit declaratum à P. D. Eliſeo Nardino Generali, & ſuis Conſultoribus in vltimo triennio ſui Generalatus. & ita fuit practicatum in Domo S. Syluestri in perſona P. D. Creſcentij Viues, & D. Laurentij Gauotti, qui ambo concluſiones publicas totius Philoſophiæ cum eorum laude ſuſtinuerant in ſeculo.

c. §. 1. In Decretis noſtris Capitularibus p. 2. c. 5. Decreto 16. in fine, vbi tractatur de examine ſcholaſticorum, adſunt hæc verba, *Qui vero ſemel examinatus, prorſus reprobatus fuerit, is non poterit iterum examinari.* Notandum eſt, quòd hoc eſt verum in eodem tempore, vel paulò poſt; & noua cauſa non ſuperueniente, ſed ſi ſuperueniret noua cauſa poſt aliquod tempus, (ad arbitrium P. Generalis) vtputa, quia de nouo cum maiori diligentia ſtuduiſſet, vel manifeſtaretur quòd eſſet intelligens, & quod ex timore in actu examinis defecerit. in his, & ſimilibus caſibus de nouo admitti poſſet ad examen. Et ratio eſt, quia ſicut ſemel approbatus ex noua cauſa ſuperueniente, vel ex antiqua poſtmodum detecta poteſt reprobari. vt docet Innoc. in c. cum venerabilis, & ibi Abbas nu. 55. Felinus nu. 49. Decius nu. 153. de excep. & alij communiter, & probant tradita per Genuenſem in ſua praxi Archiepiſcopali Neapolitana cap. 83 nu. 4. ita etiam ex eadem ratione, ſemel reprobatus, ex noua cauſa ſuperueniente, vel ex antiqua nouiter decreta, poteſt approbari.

De ſeruando ſilentio. Cap. VII.

Summa Capitis VII. Conſtitutionum.

Silentium quando ſeruari debet. num. 1.
In quibus locis. num. 2.
Cellam alterius ne intrent, ne Lectoris quidem, neque Concionatoris, neque externi. num. 3.
Cum quibus perſonis ſeruandum eſt ſilentium. num. 4.
Claues domus, & eccleſiæ, totam noctem apud Præpoſitum maneant. num. 5.

SILENTII, quod eſt cuſtos Re-
ligionis, ſemper habenda eſt ratio.
1 Seruabitur verò præcipuè à pri-
ma nocte, Salutationis Angelicæ
ſigno dato vſque ad ſolis ortum; quandoquidē
tempore, aut in cellulis, aut in eccleſia, ora-
tioni, vel ſtudijs quietè, & placidè vacandum
eſt. In æſtate à prandio, ſigno dato in cellu-
lam ſe quiſque recipiat: atque donec meridia-
na meditatio abſoluta fuerit, ſilentium, & quie-
tem ſeruent. Hoc toto ſilentij tempore con-
fabulationes atque adeo colloquia, & congreſ-
ſus omnes deuitent.

2 In Choro, in Eccleſia, in Sacrario, in communi menſa, in locis communibus, dum ad

focum

focum noctu, aut ſilentij tempore adſident, dum ad communes labores conueniunt, aut nihil omninò, aut ſola verba neceſſaria ſubmiſſa voce loquantur, aut interim lectionem ſpiritualem audiant.

3 In cellam alterius nemo intret, ne Lectoris quidem, neque Concionatoris, ſine ſpeciali Superioris licentia. Cum ſecularibus nemo præ-
4 ter Confeſſarios, Superioris iniuſſu loquatur. Siquid inter vias quis fuerit rogatus, aut res ita nata fuerit, vt Superior adiri non poſsit, quàm paucisſimis ſe expediat: deinde rē omnem Præpoſito renuntiet. Cum mulieribus, ne Confeſſarij quidem, qui mulierum Confeſſionibus non ſunt aſsignati, loquantur ſine licentia, neve quis ſine ipſa externum quempiam in cellam ducat. Veſpere fores obſerentur: Claues ad Præpoſitum deferantur, &
5 apud eum maneant totam noctem.

Commentaria in Caput VII.

Summa Commentariorum ſuper Caput VII.

De ſilentio, & eius vtilitate, remiſsiue. lit. a. §. 1.

a CVm hac Rubrica concordat alia Rubrica Decretorum Capitularium p.2.c.6.

a.§.1. De ſilentio & eius vtilitate, vide P. Alphonſum Roderiquez in ſuo Exercitio Perfectionis p. 2. tract. 2. c. 4. & ſequentibus.

De recipiendis Hoſpitio [a]. Cap. VIII.

Summa Capitis VIII. Conſtitutionum.

Hoſpites noſtri quomodo tractandi. nu. 1.
Biduo cibo lautiore recreentur. nu. 2.
Quid cum eis cauere debent. nu. 3.
In eorum cellam nemo poſt primam diem intret. nu. 4.
Poſt biduum in Chorum cum alijs conueniant, & Religionis obſeruantias ſeruent. nu. 5.
Itinerarium recitetur ab ijs qui peregrè proficiſcuntur. nu. 6.
Hoſpitio ſeculares ne facile recipiantur. Cum eis hoſpitio receptis neminem Præpoſitus conuerſari facile ſinat, præter ſacerdotem à ſe delectum, qui eos comitetur. nu. 7.

1 CVM Noſtrum aliquis de alia regione, aut Ciuitate ad noſtram peregrè aduenerit [b], omnem in b eum humanitatis, & beneuolentiæ ſignificationem conemur oſtendere. Ante altare ſacratiſsimi Sacramenti primùm ducatur. Cum ibi pauliſper oratum fuerit, omnes in eius amplexum, & pacis oſculum ex animo accedant: ad cellam deinde ducant: itineris veſtes detrahant; quæ ei neceſſaria ſunt, tradant, pe-

2 des lauent, lautiore cibo recreent: tum per biduum ad cibos communes alios adiungant.

3 Caueant tamen, ne charitatis ſpecie deſtruant Religionis obſeruantias, ne ſilentium horis, locisq; congruentibus violent, ne de abſentibus

4 detrahant, ne poſt primum diem in cellam ip-

5 ſius ingrediantur. Is verò poſt biduum cibis communibus ſit contentus, in Chorum cum alijs conueniat, & ſeruet Religionis obſeruantias reliquas.

6 Itidem ſi quis ierit peregrè poſt recitatum ante altare maius Clericorum Itinerarium, deducatur ad ianuam domus, & pacis oſculo dato cum beneuolentia dimittatur.

7 Seculares domum ne facile nec ſine vehementi cauſa, & per paucos dies hoſpitio recipiantur, nam ex eo Religionis diſciplina detrimentum capere ſolet: at recipi poterunt Eccleſiaſtici, & Religioſi viri, præſertim ſi reſtricto viuant inſtituto. Præpoſitus Sacerdotem, modeſtia, & grauitate præditum deligat, qui eos comitetur, & neceſſaria eis per miniſtrum idoneum ſuppeditanda curet: cæteros cum illis verſari, ne ſine cauſa permittat.

Com-

Commentaria in Caput VIII.

Summa Commentariorum ſuper Caput VIII.

Fratres noſtri aduenæ quid obſeruare debeant . lit. b.
Aduenæ cui ſubduntur , & ſi aliquid eſt eis donatum cui domui acquirant ? lit.b.§.1.

a CVM hac Rubrica concordat alia Rubrica quæ eſt in Decretis Capitularibus p.2.c.7. quæ Decreta ſunt videnda.

b Peregrè aduenerit &c. Patres & Fratres noſtri aduenæ , quid obſeruare debeant , habetur infra.

b.§.1. De hoſpitio recipiendis , habetur Decretum p.2. c.7.nu.1 . tenoris ſequentis .

Qui ad aliam domum ſe confert , ſiue vt alio ſe transferat , ſiue negociationis alicuius cauſa , Præpoſito eius domus ſubſit , non ſecus , ac ſi in aſſignata ſibi domo eſſet.

Hic dubitari poteſt , ſi alicui ex noſtris fratribus , qui , exempli gratia , eſt aſſignatus in Domo noſtra S. Irenæ Liciæ , & negociationis cauſa ſe tranſtulit Neapolim ad Domum S. Pauli , aliquid eſt ei donatum à conſanguineis , vel amicis , cui domui acquiratur S. Irenæ , vel S. Pauli ?

Duæ poſſunt eſſe opiniones , vna quòd acquiratur Domui S. Pauli , quia vigore præſentis Decreti Præpoſito illius Domus ſubeſt , ergò illi dòmui acquirit ; & confirmatur , quia dum eſt in domo S. Pauli ſi aliquid vult donare , vel emere non poteſt facere abſque licentia Præpoſiti , er-

go ſignum eſt, quòd dominium rei quod habet, vel acquirit ille Religioſus, pertinet ad domum S. Pauli, cuius Præpoſito ſubeſt.

Altera opinio poteſt eſſe, quòd acquiratur domui S. Irenæ Litiæ, & ratio eſt, quia cum illi domui ſit aſſignatus, & ad illam pertineat illum alimentare, cenſetur filius illius domus, & quidquid acquirit pertinet conſequenter ad illam domum. Nec obſtant in contrarium adducta, quia licet ſubſit illi Præpoſito, pro illo paruo tempore, quo ibi manet, tamen principaliter ſubeſt Præpoſito domus, in qua eſt aſſignatus, & mandata eius exequi debet, nec aliquid agere debet, quod ſit alienum à ſua voluntate, & licet à Capitulo Generali ſit ſubmiſſus Præpoſito S. Pauli pro illo tempore, quo ibi manet, ac ſi aſſignatus eſſet in illa domo, hoc factúm fuit, ne ille aduena eſſet in illa domo abſque Superiore, & ne actiones ſuas regularet abſque obedientia Superioris: Tamen non eſt verè aſſignatus; & ideo dicit, *ac ſi*, quæ verba denotant improprietatem; Limitatur tamen iſta opinio, & dico illam non procedere quandò bona illi ſubdito donata eſſent comeſtibilia, quæ transferri & conſeruari non poſſent; nam illi acquirerentur domui S. Pauli, in qua manet.

De Domo Egredientibus[1]. Cap. I X.

Summa Capitis I X. Conſtitutionum.

Egredientes de domo quid ſeruare debeant, & quid redeuntes. nu. 1.
Negotia gerenda Superiori nota fiant. nu. 2.
Abſente Præpoſito, ſine neceſſitate, egrediendi de domo facultas ne detur. nu. 3.
Proficiſci in aliam Ciuitatem nemo poteſt abſque P. Generalis licentia. nu. 4.

Quid ſi neceſsitas vrgeat. nu. 5.
Literas commendatitias ſecum habeat profecturus. nu. 6.
Nec ſine ſocio mittatur. nu. 7.

1 CVM erit egrediendum domo, impetrata licentia cum aſsignato ſibi comite, petita, flexo in terram genu, benedictione, breui oratione facta, & monito Oſtiario quiſque egrediatur. ambo modeſtiam, & morum grauitatem præſeferentes, vna ſemper incedant. Cùm domũ redierint, rurſus orent, & benedictionem pari modo petant. Quod ſi quis ex laicis ad negotia familiaria obeunda miſſus fuerit, cætera, vt Clerici, ſeruet: ſolus tamen (ſi ita Præpoſito viſum fuerit) egredi poterit.

2 Ad quęcunque negotia gerenda quis exeat, ea prius ſuo Superiori nota faciat, quòd ſi quid in via noui inciderit, cum primùm domum redierit, rem omnem ſuo Superiori aperiat.

3 Abſente Præpoſito nemini Domo egrediendi facultas fiat, niſi prius licentiam à Præpoſito obtinuerit. Quod ſi neceſsitas aliqua nata fuerit, egrediatur quidem de licentia eius, qui Præpoſiti locum tenet, res tamen tota Præ-
4 poſito domum redeunti nota fiat. Nulli ex

Noſtris

Noſtris liceat in aliam Ciuitatem, regionemq; proficiſci abſque Prępoſiti Generalis facultate.
5 Si neceſsitas vrgeat, de Præpoſiti, & Vocaliũ, & (ſi Viſitationis ſit tempus) de Viſitatorum licentia, ire poterit. Tum res ad P. Generalem
6 deferatur. Licentiam Superioris manu ſubſcriptam, & obſignatam ſecum deferat, & ad Superiorem eius Domus in quam deuenerit ſtatim legendam tradat. Quòd ſi quis abſque ſui Præpoſiti Commendatitijs literis venerit,
7 pro admiſſa culpa puniatur grauiter. Cùm quis ab alia Ciuitate ad aliam mittitur, ne permittatur, vt ſolus ſit in itinere, ſed comes aliquis ex Noſtris ei adiungatur, aut ſaltem viro aliquo ſeculari probatæ vitæ benè comitatus rectà iter faciat, nec deflectat de via.

Commentaria in Caput IX.

Summa Commentariorum ſuper Caput IX.

De fratribus è Domo egredientibus multa Decreta de nouo ſunt ſtatuta. lit. a.

a Vide Decretum quod eſt p. 2. c. 8, nu. 1. & Decretum Capituli Generalis anni 1624. editum die 5. Maij, quod incipit, *Qui ſiue Vocales, &c.* §. *Idem fiat cum his, &c.* & Decreta pro reformatione Regularium, quæ ſunt à nu. 19. vſque ad 23. incluſiuè.

De honeſta remiſſione animi. Cap. X.

Summa Capitis X. Conſtitutionum.

Recreationes, quæ concedendæ ſunt fratribus noſtris. nu.1.
Cibos ſumere extra Refectorium, & extra tempus recreationis, nulli licet, neque domi, neque foris abſque Superioris licentia. nu.2.
Fructum aliquem decerpere, aut comedere ex hortis noſtris, etiam tempore recreationis, nemini licet. nu.3.
Quomodo ſe gerere debeant noſtri dum recreantur. nu.4.

SANCTORVM Patrum auctoritate, & exemplis, ac quotidiana experientia docemur ad regularē diſciplinam tuendam non obeſſe, ſed prodeſſe plurimum, ſi permittatur quandoque Noſtris, vt ab aſsiduis literarum ſtudijs, ab arctis Religionis Obſeruantijs, iucundis interdum honeſtis tamen, & cum virtute con-
1 iunctis remiſsionibus animum recreent. Præpoſiti igitur Domorum permittant hyeme, vt à prandio per horam adloquātur. Tum ſigno dato ad ſua ſe quiſque opera recipiat. In æſtate poſt cœnam colloquendi licentiam permittant, Salutationis Angelicæ ſigno facto, ſilentium ſeruetur. Semel in Hebdomada conce-

dant

dant Scholaſticis, vt æſtatis tempore ſummo mane extra Ciuitatem animi cauſa deambulét, & ad prandium ſe domum recipiant. Hyeme paulò poſt prandium exeant: ante Solis occaſum Domi ſint: cæteris fratribus hoc idem alternis hebdomadis concedatur. Cùm plures iuniores animi cauſa foras mittuntur, eos Sacerdos aliquis morum grauitate præditus comitetur.

Semel in menſes ſingulos, bis menſibus proximis ante Aduentus, & Quadrageſimæ ieiunium facultas fiat, vt ab hora prandij vſque ad principium noctis in æſtate, vel vſque ad peractam cœnam in hyeme, domi animum recreent. Quod ſi viſum fuerit poſt meridianam orationem in æſtate, hyeme verò poſt preces Veſpertinas incipere, bis in menſes ſingulos id concedi poterit. Hoc tempus, præter id quod inſumendum eſt pro diuino officio horis conſuetis in choro, recitando (cui etiam ſcholaſtici alioquin immunes interſint) honeſtis oblectationibus, mutuis colloquijs, ſpiritualibus vocũ non autem inſtrumentorum cantilenis interſe iucundè traducant. Extra Refectorium ſimul veſcantur. Et poſteaquàm in menſæ principio aliquantulum lectum fuerit, ſinat Superior

ſilen-

ſilentium ſolui. Semel, aut iterum in anno, pro ea animi remiſsione,quæ domi concedi ſolet, permitti poterit, vt extra domum in amici alicuius ſuburbana villula cibum ſumant, ac totũ diem maneant, abſque tamen ſecularium
2 præſentia. Aliàs, nulli liceat, neque domi,neque foris ciborum aliquid abſque Superioris
3 ſui ſpeciali licentia ſumere. Neque item ijs indulgentiæ diebus, neque aliquo vnquam tempore audeat quis in hortis noſtris pomum,aut fructum aliquem decerpere, aut comedere.
4 Cæterum, ſiue foris, ſiue domi ſe Noſtri recreent, ita ijs rebus oblectentur, vt Religioſos, Deoq; dicatos ſe eſſe meminerint. Morũ grauitatem ſeruent, atque modeſtiam: ne vociferentur: ſcurrilia verba, ne proferant: dicacitate, & manuum licentia prorſus abſtineant. Denique ita ſpirituales exercitationes tantiſper intermittant, vt non diſſoluatur animus, ſed alacrior, & vegetior euadat, promptiorque ad labores, ſacrarumq; rerum ſtudium.

Commentaria in Caput X.

In hoc Capite nihil occurrit.

TER-

TERTIA PARS.
DE RELIGIONIS
VNIVERSAE ADMINISRATIONE.

Quinam ex Patribus à Capitulo Generali debeant intereſſe. Cap. I.

Summa Capitis I. Conſtitutionum.

Ad Capitulum Generale qui poſſunt venire, vel non. nu. 1.

Electioni Vocalis pro Capitulo Generali, nec Præpoſitus, nec Viſitator ſe immiſceat. nu. 2.

Electio Vocalis pro Capitulo Generali quomodo ſit facienda. nu. 3.

Electio Conſultoris pro Capitulo Generali. nu. 4.

Electio per Procuratorem non fit in noſtra Congregatione. Excipiuntur Præpoſiti. nu. 5.

Electione ſui ipſius nemo accedere poteſt augendo numerum, niſi omnes, & ſinguli Electores conſentiant. nu. 6.

Alia ſchedula nemo uti poterit in aliqua electione; ſi forte reperiatur, quid agendum. nu. 7.

Qui in electione aliquem nominare nolit, ab electorum numero erit mouendus. nu. 8.

Electione facta Vocalis pro Capitulo Generali; cæteris fratribus & Domibus per literas ſignificetur. nu. 9.

Electus pro Capitulo Generali, ſiue Vocalis, ſiue Conſultor ſit, ſi poſtea moriatur, vel ſit impeditus, alius eligatur in eius locum. num. 10.

Scribere quando poſſunt noſtri Viſitatoribus, vel Patribus qui ad Capitulum Generale ſunt ituri, nu. 11.
Capitulo Generali quibus intereſſe non competit, ad illam Ciuitatem ne accedant, nu. 12.

AD regularem obſeruantiam tuendam, & ad totius Religionis progreſſum plurimùm conferunt Generalia Capitula; modò rite, &
1 ordine habeantur. Igitur Præpoſiti omnes veniant ad Capitulum Generale. Quòd ſi eorum aliquis fuerit impeditus, ſuo loco mittere poterit quem voluerit [b] ex Vocalibus in ſua ipſius b
Domo aſsignatis. Veniant etiam Viſitatores. Singuli etiam Vocales [c] à Patribus ſuę cuiuſque c
domus electi. In qua Domo plures ſunt Vocales, ijs liberum ſit, quem volent, eligere [d]. Vbi d
2 vnus eſt Vocalis [e], is ne accedat. Electioni Vo- e
calis, nec Præpoſitus, nec Viſitator ſe immi- f
3 ſceat [f]. Vocalis electio [g] hoc tempore, & modo g
fiat. Secunda die Nouembris, ſi triennio, vt fit, Capitulum erit celebrandum; vel ſtatim, ac Conſultores propter P. Generalis obitum, vel eius muneris abdicationem, vel quauis alia ratione Capitulum Generale per literas indixerint, Præpoſitus cuiuſque domus vocabit omnes Vocales in ſua ipſius domo præſentes, &

aſſigna-

aſsignatos, illisq; tempus electionis adeſſe no-
tum faciat: in nulla præterea re ſe immiſceat.
3 Vocales inter ſe abſque Præpoſito, electionem
faciant: [h] quam ſi per quinque dies [i] præter h
primum, non perfecerint, nemo electus, aut i
amplius eligendus intelligatur [k]. k
4 Patres Conſultores pro Vocali eligendo [l], l
prius cum cæteris S. Syluestri Patribus Voca- e
libus conueniant, & vnà cùm illis actiuam, &
paſsiuam habeant vocem, ac more cæterorum
ſuam electionem faciant. Si Vocalis electus ex
Conſultorum fuerit numero, nulla præterea
fiat electio, ſin ſecus, rurſus Conſultores [m] in- m
ter ſe alium ex ſuo ipſorum numero eligere
poterunt. Ad Vocalem in ſingulis domibus
eligendum conueniant Vocales cæteri, ac ne-
mo ſe excuſet.
5 Nulla electio in Congregatione noſtra per
Procuratorem fiat. Excipimus Præpoſitum [n], n
qui ad Capitulum ſuo nomine mittere aliquē
poterit ex Vocalibus in ſua ipſius Domo aſsi-
6 gnatis, vt paulò ante dictum eſt. In nulla vn-
p quam electione poſsit quis accedere ad ſeipſum
augendo numerum, & electionem perficien-
do, niſi prius omnes, & ſinguli Electores id
7 fieri conſentiant. Nemo alba ſchedula [o] in ali- o

qua electione vti poſsit. Quæ ſi forte reperiatur aliquando à Scrutatoribus, ſi quidem maior numerus P in aliquem conſenſerit, bona erit eius electio: ſin ſecus, rurſus ad aures Scrutato- P

8 rum ſinguli ſuffragium voce proferant. Qui aliquem nominare nolit, de Electorum moueatur numero, & ad reliquos electio perti-

9 neat. Cum primùm in ſingulis domibus Vocalis electio facta fuerit, cæteris publicetur fratribus; tum alijs domibus per literas ſignificetur.

10 Si Vocalis, aut Conſultor electus poſtea moriatur, aut graui morbo, legitimovè impedimento detineatur, alius in eius locum eligatur ab eiſdem Electoribus, eodem ſeruato ordine, & temporis ſpatio.

11 A Dominica in Septuageſima, ſi Paſchali tempore Capitulum celebretur, vel ſtatim atque Vocales ſinguli per domos fuerint electi, ſi alio quouis tempore, propter P. Generalis mortem, aut eius muneris abdicationem, habeatur, vſque dum Capitulum fit, quiſque Noſtrũ ſcribere q poſsit cuilibet ex Patribus qui Capitulo q ſunt interfuturi, ac ſuis Præpoſitis literas non oſtendere; ij vero reſpondere etiam poſsint inſcio Præpoſito. Idem de Viſitatoribus, dum

munus

munus ſuum exequuntur, ac etiam per menſem poſtquam Viſitationem abſoluerint.

12 Ad Ciuitatem in qua Capitulum Generale habetur, ne veniant Patres, aut prædicatores, quibus iure Capitulo intereſſe non competit, niſi eidem Ciuitati ſint aſsignati, & non amplius quinquaginta paſſuum millibus diſtent.

Commentaria in tertiam partem Conſtitutionum.

Commentaria in Caput I.

Summa Commentariorum ſuper Caput I.

Soli Præpoſiti poſſunt alium Vocalem loco ſui mittere ad Generale Capitulum: Et quando ſunt impediti. lit. b.

Impedimentum vero debet eſſe iuſtum & probatum. lit. b §. 1.

Vocalis miſſus ad Capitulum Generale à Capitulo Domus, quid facere debeat in Capitulo Generali? lit. c.

De materia electionis quid tractant exactè. lit. d.

Si omnes Vocales Domus (vno excepto) ſe ſubtrahant ab electione Vocalis pro Capitulo Generali, Vtrum ille vnus qui non ſe ſubtraxit, poſſit venire ad Capitulum Generale? lit. e.

Si inter Vocales Domus oriatur aliqua difficultas in electione Vocalis pro Capitulo Generali, Vtrum Præpoſitus Domus, vel Viſitator ſi adeſſet, poſſent illam definire? Vel punire culpabilem in illa actione? lit. f.

Verbum immiſceat *in electione quomodo intelligatur? lit. f. §* 1.

Et quos comprehendat. lit. f. § 2.

Vexans Electores ex eo quòd noluerunt eligere illum pro quo vexans rogabat eſt excommunicatus. lit. f. § 3.

In electione Vocalis pro Capitulo Generali multa peccata grauia parum cognita committi poſſunt. lit f. § 4.

In electione Vocalis pro Capitulo Generali ſunt aliqua Decreta videnda. lit. g.

Electio per ſortes fieri non poteſt. lit. h.

Qui Vocales intereſſe poſſunt in Capitulo Domus prò electione Vocalis pro Capitulo Generali. lit h. § 1.

Electio Vocalis pro Capitulo Generali fieri debet infra duos dies. lit. i.

Dies pro electione Vocalis quando incipiat, & quando compleatur. lit. i. § 1. & 4.

Vocales domus non poſſunt ſe Capitulariter congregare pro electione Vocalis pro Capitulo Generali, ſi Præpoſitus differat, vel nolit illos congregare. lit. i. § 2.

Præpoſitus qua hora debeat Vocales congregare pro electione Vocalis prò Capitulo Generali. lit i § 3.

Electio Vocalis pro Capitulo Generali, nunc certo ſequitur. lit. k.

Tria dubia de electione Conſultoris pro Capitulo Generali deciduntur. lit. l.

Intra quod temporis ſpacium, Conſultores debeant facere electionem Conſultoris pro Capitulo Generali? lit. m.

Præpoſitus ſi per accidens non haberet vocem in Capitulo Generali, Vtrum poſſet alium Vocalem mittere loco ſui? lit. n.

De ſchedula alba poſita in electione declarantur duo dubia. lit. o.

Maior numerus Vocalium quomodo intelligatur quando alba ſchedula inuenitur in electione. lit. p.

Terminus decem dierum datus ad proponendas difficultates ortas in electione Vocalis pro Capitulo Generali, quando incipiat currere. lit. p. § 1.

Deciduntur tres difficultates circa electionem Vocalis pro Capitulo Generali. lit. p. § 2. 3. & 4.

Præpoſitus an poſſit aperire literas à Viſitatore, vel à Vocale Capituli Generalis ſibi ſubditus, miſſas? lit. q. & §. 1.

a QVinam, &c. Cum hac Rubrica cōcordat alia Rubrica Decretorum par. 3. cap. 1.

b Suo loco mittere poterit, quem voluerit, &c. Ex hoc loco duo colliguntur, vnum eſt, quòd ſoli Præpoſiti, ſuo loco poſſunt alium vocalem mittere ad Capitulum generale, quod confirmatur ex eadem Conſtitutione par. 3. cap. 1. §. Nulla electio, &c. Alterum eſt, quòd tunc Præpoſitus poterit alium mittere, quando fuerit impeditus, vt inquit Conſtitutio.

b. §. 1. Impedimentum verò debet eſſe iuſtum, vt docet Panorm. in cap. Quia propter de elect. & Syl. v. Electio. 1. num. 4. verſ. ſecundum, &c & probatum. Ad quem autem ſpectet illud probare, & iudicare an ſit iuſtum nec ne? Dico, quòd Præpoſito, qui mittit procuratorem incumbit onus probandi, vt patet ex l. fruſtra, & l. actor C. de probat. & ad Capitulum generale ſpectat iudicare ſi ſit iuſtum nec ne impedimentum, vt patet, ex conſtitutione par. 3. cap. 2. ibi ſimpliciter, & ſola rei veritate inſpecta ſoluant dubitationes.

c Singuli etiam vocales, &c. In eorum gratiam, qui nunquam Capitulo generali adfuere, ac primò adeſſe debent, poſſet hic aliquis quærere, quid nam agendum ſit vocali à Patribus cuiuſque domus electo, vt totius domus nomine Capitulo generali interſit? verum hac de re, vide in fine Commentariorum. In appendice.

d Eligere, &c. De materia electionis inter Regula-

res,

res, vide latè per Ludouicum Mirandam in ſuo manuali Prælatorum, t. 2. quæſt. 23. per totam, vbi diſcutit 40. articulos, & Syl. v. Electio.

e Vbi vnus eſt vocalis is ne accedat. Ponamus, quòd in vna domo plures ſint vocales, & vno excepto, cæteri omnes ſe ſubtrahant ab electione, quæritur vtrum ille vnus, qui non ſe ſubtraxit ab electione, poſſit venire ad Capitulum generale, & legitime inter cæteros vocales Capituli generalis haberi? Reſpondetur, quòd non, & ratio eſt, quia non eſt electus, & ſecundùm preſentem conſtitutionem ibi, in qua domo, &c. debet eſſe electus. & ita fuit iudicatum à P. Generali, & ſuis Conſultoribus poſt maturam diſcuſſionem ann. 1605. cùm id accidit Mantuæ apud ſanctum Mauritium.

f Nec Præpoſitus, nec Viſitator ſe immiſceat. Hic dubitari poſſet primò, ſi in electione vocalis domus aliqua difficultas, vel controuerſia occurreret inter vocales Capituli domus, nec adeſſet tempus ſcribendi P. Generali, & ſuis Conſultoribus, vtrum in hoc caſu poſſit Præpoſitus domus, vel Viſitator, vel Viſitatores ſimul illam difficultatem, vel controuerſiam, dirimere? vel punire aliquem vocalem, qui ea occaſione eſſet in culpa? Reſpondetur, quòd non, ſed tantummodo debent prouidere, & ordinare, ne ſcandalum aliquod oriatur, & ratio eſt, quia conſtitutio, non ſolùm in præſenti loco vult ne ſe immiſceant, ſed etiam paulò inferius inquit, in nulla prætereare ſe immiſceant. Et cùm hac conſtitutione concordat Decretum, ſi qua orta fuerit dubitatio, &c par. 3. cap. 1. nu. 9.

f. S. 1. Secundò dubitari poſſet quomodo intelligatur hoc verbum immiſceat? Reſpondeo, quòd intelligitur, vt non ſolùm non ſe immiſceat ingrediendo Capitulum, &

ferendo ſuffragium, vt cæteri vocales, ſed nec etiam ſe immiſceat extra Capitulum in aliquo Tractatu, perſuadendo, vel procurando, &c vt aliquis eligatur, quod colligitur ex eadem conſtitutione inferius, dum dicit, *In nulla præterea ſe ſe immiſceant*, & clarius fuit declaratum, & ſtatutum in Capitulo generali anni 1624 die 6. Maij in Decreto, quod incipit, *Vt vitentur incommoda*, &c. ſub pœna excommunicationis, &c. quod vide.

f.§.2. Tertiò dubitari poſſet, vtrum hæc conſtitutio cõpræhendat Præpoſitum generalem, & Conſultores? Reſpondeo affirmatiuè, ex identitate rationis, nam vbi eadem eſt ratio, eadem debet eſſe, & iuris diſpoſitio, cap. Dudum il 2. de electione, c. cum dilecta de confirmat. vtil. vel inut. & ratio comprehendit omnes caſus etiam non expreſſos in conſtitutione l. his ſolis C de reuocandis donat. Cardin. Pariſ. conſ 83. num. 21. vol. 3.

Ratio enim huius conſtitutionis fuit, vt electio eſſet libera, & ne vocales mouerentur ex timore; vel reuerentia Superiorum ad eligendum quem ipſi Superiores vellent, quæ æquè procedit in perſona Generalis, & Conſultorum. Quod firmius fuit ſtatutum in Capitulo Generali an. 1624 die 6. Maij in Decreto; quod incipit, *Vt vitentur incommoda*, *&c.* quod ſemper conſiderandum eſt, dum tractatur de electione vocalis pro Capitulo Generali.

f.§.3. In materia huius electionis eſt aduertendum etiã, quod ſi quis vexaret aliquem eo, quod noluerit eligere illum, pro quo rogatus fuerat, incideret in excommunicationem ſciant cuncti de elect. in 6. latam contra illos, qui per ſe, vel per alios præſumpſerint vexare perſonas eccleſiaſticas, eo quòd rogatæ, vel inductæ, eum pro quo rogabantur, vel inducebantur eligere noluerunt.

f.§.4. Similiter eſt aduertendum, quòd multa peccata grauia parũ cognita committi poſſunt circa hanc electionem,

nem, proinde inutile non erit aliqua manifeſtare, vt euitentur mala.

Primo, procurare vt aliquis Vocalis aſſignetur in vna domo, vt electio Vocalis pro Capitulo Generali, fiat perſonæ parum habilis, & forſan indignæ; & perſona digna, vel magis digna non eligatur, eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia eſt contra iuſtitiam. ita docet D. Thom. in 2.2.q. 59.ar.4. & Sylu. v. electio 1. nu. 19. niſi modicitas rei excuſet, vt quia parum diſtat ille dignus qui eligitur ab alio digniori. ita Sylu. in loco præallegato. Et licet in foro exteriori ſufficiat, quòd electus ſit dignus: c. cum olim, c. cum dilecti, & c. cum inter canonicos extra de elect.; quia alias omnis electio calumniam pateretur; tamen in foro conſcientiæ requiritur vt eligens ſemper eligat magis dignũ, ſiue meliorem, inter omnes eligibiles, & aliter facere, eſt acceptio perſonarum, quæ non eſt abſque peccato. ita D. Tho. in Quodlibeto 8. & in 2.2. q.63. ar.1. in corpore, & Sylu. v. electio 1. num. 18. confirmatur etiam ex Decreto Clem. VIII. tit. Decreta pro Reformatione Regularium, Decreto 36. *In Superiorum &c.*

Secundò, ſimiliter eſt peccatum mortale, procurare vt aliquis Vocalis transferatur de vna domo in aliam, ad eundem effectum, vt patet ex ſupradictis in præcedenti caſu, & infradicendis in ſequenti caſu.

Tertio, eadem ratione eſt peccatum mortale, procurare, vt perſonæ minus apræ & forſan indignæ eligantur pro Capitulo Generali, & perſonæ dignæ vel magis dignæ excludantur. Et ratio eſt, quia cooperans peccato alterius, reus eſt peccati cui cooperatur, vt patet ex Regulis generalibus traditis à Bonacina in ſuo tractatu de peccatis.

Hæc dixi ſecluſo decreto Capituli Generalis anni 1624. die 6. Maij *Vt euitentur*, nam ſtante dicto Decreto qui hæc præſtant excommunicantur.

Quarto

Quarto idem peccatum committunt illi, qui ſuo voto concurrunt ad ſupradictas actiones, vt patet ex ſupradictis in præcedenti caſu.

Quinto procurare, vt aliquis Vocalis eligatur pro Capitulo Generali, cum intentione principali, vt Vocalis electus eum adiuuet in Capitulo Generali, vt admittatur ad ſuffragium ferendum, vel vt admittatur ad confeſsiones ſacramentales audiendas, vel ad alia ſimilia, eſt peccatum mortale ſimoniæ, (quamuis perſona electa ſit digna,) & ratio eſt, quia dat temporale pro ſpirituali; nam illa procuratio eſt aliquid temporale ſecundum ſe, pretio æſtimabile, & admiſsio ad ſuffragium ferendum, vel ad confeſsiones ſacramentales audiendas, eſt ſpiritualis poteſtas, vltra excõmunicationem quam incurrit hæc agens vigore ſupradicti Decreti Capituli Generalis anni 1624 *Vt exiſtentur, &c.*

Sexto, ſi aliquis diceret N. Vocali Capituli Generalis, nos cogitauimus eligere P. in Generalem, & veſtram reuerentiam in Conſultorem vel Viſitatorem &c. intentione alliciendi N. ad concurrendum pro P. in officium Generalatus, eſſet peccatum mortale ſimoniæ. Et ſi N. tacitè intelligeret intentionem loquentis, & concurreret pro P. in Generalatu cum eadem intentione, vt ipſe poſtea eligeretur Conſultor &c. eſſet ſimonia in Beneficio, prohibita ſaltem de iure poſitiuo.

Septimo, ſi N. Vocalis Capituli Generalis diceret P. ſimiliter Vocali Capituli Generalis; concurre cum ſuo voto in fauorem Titij, vt admittatur ad ſuffragium ferendũ, quia ego concurram in fauorem Caij (amici P.) ad eundẽ effectum, vel eadem pacta facerent pro alijs officijs, vel Diffinitores inter ſe, nempe, concurre in electionem Caij in Præpoſitum talis loci, quia ego concurram in electionem Titij in Viſitatorem. Et ſimiliter Conſultores inter ſe, in confirmationibus, eſſet peccatum mortale ſimoniæ, & ad-

Kk implendo

implendo pactum ex vtraque parte eſſet ſimonia realis in Beneficio, ſaltē prohibita, de iure poſitiuo, c.fin. de pactis. Suarez de ſimonia c.31.nu.6.& 14. & eſſent excommunicati per extrau.2.de ſimon. Et ratio eſt, quia apud nos, ſupradicta ſunt beneficia Regularia.

Vide de hac electione Vocalis pro Capitulo Generali Decretum factum in Capitulo Generali anni 1624. die 6. Maij, quod incipit, *Vt euitentur incommoda &c.* & in Capitulo Generali anni 1627. die 29. Aprilis, quod incipit *In electione Vocalis &c.* & aliud quod incipit, *Vt autem in Vocali &c.*

g Vocalis electio &c. In electione Vocalis pro Capitulo Generali, vide omnia Decreta, quæ ſunt p 3.c.1. & Decreta ſupra enarrata in præcedenti §.ſimiliter eſt aduertendum &c. in fine.

h Electionem faciant. Electio quomodo fieri debeat, habentur in cap. quia propter 42. de electione. Per ſortes autem nullo pacto fieri poteſt, c. Eccleſia veſtræ de ſortilegijs.

h §.1. Qui Vocales intereſſe poſſunt in hac electione, vide Decretum Capituli Generalis anni 1627. die 29. Aprilis, quod incipit, *Nemo in Vocalis electione &c.*

i Quam ſi per quinque dies &c. Nunc reſtricta eſt dicta electio ad duos dies per Decretum Capituli Generalis parte tertia, capite 1. num. 1. cuius verba ſunt hæc. Electio Vocalis Capitulo Generali interfuturi duorum dumtaxat dierum ſpacio fiat, ſecunda verò peracta die de electione amplius non agatur.

i.§.1. Hic primo quæri poteſt, quando incipiat dies, & quando compleatur? Reſpondeo, quòd incipit à media

nocte,

noƈte, & completur in alia media noƈte ſubſequente ſecundum communem vſum.

i.§.2. Secundo quæri poteſt, ſi adueniente tempore electionis aliquis Vocalis Domus inſtet Præpoſito, vt cæteros Vocales conuocet pro electione facienda Vocalis pro Capitulo Generali, & ipſe Præpoſitus differat vltra horam ſolitam, Vtrum poſſint Vocales capitulariter conuenire, & facere diƈtam electionem? Reſpondeo, quòd non; nam requiritur pro forma, vt Superior illos conuocet ad faciendam diƈtam electionem. Bene verum eſt, quòd interim nõ computarêtur illis tempus, pro diƈta electione à Conſtitutionibus, vel Decretis aſſignatum, niſi à die, & hora, qua ſunt à Præpoſito cõuocati ad diƈtã electionem faciendam.

i.§.3. Tertio, quia nunc per Decretum Capituli Generalis par. 3. cap. 1. nu. 1. reſtriƈtum eſt tempus pro electione à Conſtitutionibus aſſignatum, ad duos dies, Quæritur, qua hora debeat Præpoſitus conuocare Vocales, & notificare illis, electionem eſſe faciendam? Reſpondeo, quòd conſuetudo noſtræ Congregationis eſt, vt à Nonæ recitatione fiat huiuſmodi conuocatio, & notificatio: Poteſt tamen Præpoſitus, ſi velit, Vocales etiam ante horam Nonæ conuocare; Nullibi enim legimus, id ei eſſe prohibitum.

i.§.4. Quarto quæri poteſt, notificante Præpoſito Vocalibus diƈtam electionem eſſe faciendam poſt horam Nonæ, iuxta conſuetudinem Religionis, Vtrum prima dies connumerari debeat ab illa hora, & finire, ſequenti die, in eadem hora, & ſimiliter dies ſecunda, (cum dies naturalis debeat eſſe viginti quatuor horarum) vel potius connumerari debeat à media noƈte diei ſecundæ Nouembris, in qua die conuocandi ſunt Vocales à Præpoſito? Reſpondeo, quòd licet de iure, dies naturalis ſit viginti quatuor horarum, & numerari debeat de momento ad momentũ; tamen ſecundum noſtras Conſtitutiones à Sede Apoſtolica

approbatas, & ſecundum conſuetudinem noſtræ Congregationis, prima dies electionis non numeratur ab hora intimationis factæ à Præpoſito, ſed à præcedente media nocte; vnde ante Decretum (par.3.c.1.nu.1.) coarctationis temporis electionis, expirabat tempus electioni aſſignatũ, ſeptima die Nouembris, in media nocte ſubſequente: Ergo, cum nunc per Decretum ſupradictum ſit coarctatũ. (Hæc ſunt verba Decreti originalis, *totis ſecunda, & tertia Nouembris diebus*,) ſequitur, quòd incipiat à prima media nocte ſecundæ diei Nouembris, & expiret in ſecunda media nocte diei tertij Nouembris, licet notificatio fiat à Præpoſito poſt Nonam iuxta conſuetudinem. Poterit tamen Præpoſitus, ſi voluerit, mane ad ſolis ortum conuocare Vocales, & facere dictam notificationem. Dixi ad Solis ortum, quia ante ſeruatur ſilentium iuxta noſtras Conſtitutiones par.2.cap.7.

k Eligendus intelligatur: Nunc per Decretum Capituli Generalis anni 1627. die 29. Aprilis, quod incipit. *Vt autem certa ſequatur, &c.* certa ſequitur electio.

l Patres Cõſultores pro Vocali eligẽdo, &c. Ponamus, quòd per Capitulum Domus S. Syluestri Romæ ſit electus P. Vicepræpoſitus eiuſdem domus, in Vocalẽ pro Capitulo Generali, & poſtea per Patres Conſultores ſit electus Titius Conſultor pro Capitulo Generali, & facta electione, & ante tres menſes proximos Capitulo Generali, Titius Conſultor ſit electus in Epiſcopum, vel moriatur exempli gratia menſe Decembris, ſi poſtea loco Titij eligatur in Conſultorem idem P. Vicepræpoſitus, Dubitatur Primò, Vtrum Conſultores poſſint de nouo facere electionem Conſultoris pro Capitulo Generali, dum Vicepræpoſitus iam Conſultor à Capitulo Domus ſimul cum Patribus

tribus Conſultoribus, licet non vt Conſultor, ſed vt Vocalis electus, debeat Capitulo Generali intereſſe?

Secundo ſuppoſito, quòd de nouo poſſit fieri electio Cõſultoris pro Capitulo Generali, Vtrum in dicta electione interuenire poſſit Vicepræpoſitus, vt Conſultor?

Tertio poſito, quòd interuenire poſsit; Vtrum idem Vicepræpoſitus poſsit eligi, vt Conſultor?

Ad primum dubium reſpondeo, quòd deueniri poteſt de nouo ad electionem Conſultoris pro Capitulo Generali, quia Vicepræpoſitus fuit electus tempore, quo non erat Conſultor, vnde non poteſt impedire electionem Conſultoris.

Ad ſecundum dubium dico, quod Vicepræpoſitus poteſt, vt Conſultor interuenire in electione Conſultoris pro Capitulo Generali, nec electio ſuæ parſonæ facta à Capitulo Domus poteſt ipſum impedire, quo minus interueniat, cũ id neque à Conſtitutionibus, neque ab alia lege ſit ei prohibitum, & vt Conſultor ſecundum Conſtitutionem debeat interuenire, vt patet ex p.3.c.1.

Ad tertium dubium dico, quòd Vicepræpoſitus poteſt eligi à cæteris Conſultoribus, cum non adſit lex, quæ id prohibeat, imò Conſtitutio in loco præallegato ei faueat.

Et licet dicta electio videatur fruſtratoria, quia ſine iſta electione habet ius ingrediendi Capitulum Generale, tamen non eſt omnino fruſtratoria, quia facta dicta electione Vicepræpoſiti, non poſſunt alium eligere, & dato, quòd eſſet talis, tamen non eſt illicita, quia ſicut poſſunt non eligere, ita eligendo dictum Vicepræpoſitum videntur noluiſſe aliquem eligere.

[m] Conſultores inter ſe, &c. Hic dubitari poteſt, intra quod temporis ſpatium debeant Conſultores eligere aliquem ex ſe ipſis pro Capitulo Generali? Ratio dubitandi

bitandi eſt, quia huius rei, nec in Conſtitutionibus, nec in Decretis fit aliqua mentio. Reſpondeo ſeruandum eſſe idem temporis ſpatium, quod diximus conſtitutum eſſe pro electione Vocalis, tum vigore Conſtitutionum, tum vigore Decreti p.3.c.1. nu.1. Vnde cum per Decretũ prædictum ſit coarctatus terminus Vocalibus pro electione Vocalis, eſt etiam coarctatus Conſultoribus pro electione Conſultoris; nam vbi eſt eadem ratio, debet eſſe eadem iuris diſpoſitio, c. dudum, il ſecondo, de electione, c. cum dilecta de confirm. vtil. vel inutil. & ratio comprehendit omnes caſus etiam non expreſſos in lege, l. his ſolis, C. de reuocandis donat. Pariſ.conſ.83.num.21. vol.3. Dec.conſ. 284.col.2.

Et circa Decretum Capituli Generalis anni 1627. die 29 Aprilis, quod incipit, *Vt autem certo ſequatur, &c.* in fine, ibi *In qua Domo tres tantum, aut quatuor, &c.* Idem ſeruandum eſt in electione Conſultoris pro Capitulo Generali, quia eadẽ eſt ratio, & ideo eadem diſpoſitio eſſe debet c. dudum, il ſecondo, de elect.

n Excipimus Præpoſitum, qui ad Capitulum, &c.

Hic dubitari poteſt, dato, quòd tres Patres conſanguinei in primo vel ſecundo gradu coniuncti, interuenire debeant in Capitulo Generali, & profeſſione vltimus ſit Præpoſitus, Vtrum dictus Præpoſitus, poſſit alium ſuo loco mittere ad Capitulum Generale? Et mittendo, vtrum miſſus ſit habiturus vocem in Capitulo Generali?

Ratio dubij eſt, quia ſi Præpoſitus perſonaliter Capitulo Generali intereſſet, non haberet vocem in Capitulo, vt apparet ex Conſtitutione p.3.c.9.§.ſi contingat. & in Decretis p.3.c.1.nu.12. Reſpondeo; duæ poſſunt eſſe opiniones, vna affirmatiua, quòd poſſit mittere alium ſuo loco, & miſſus

& miſſus habeat vocem in Capitulo. Probatur hæc opinio quoad primam partem, quia præſens Conſtitutio hoc ei concedit; Probatur quoad ſecundam partem, quia ceſſat ratio in miſſo propter quam Præpoſitus excluditur à ferendo ſuffragio in Capitulo Generali, vnde ceſſante ratione prohibitionis legis, ceſſat ipſa prohibitio, c. cum ceſſante de appellationibus. Altera opinio poſſet eſſe affirmatiua, nempe quòd dictus Præpoſitus non poſſit alium Vocalem mittere in ſui locum ad Capitulum Generale. & conſtitutioni p.3.c.1. §. nulla, verſic. excipimus. quæ videtur obſtare; Reſpondetur, quòd debet intelligi de illis Præpoſitis, qui habent vocem in Capitulo Generali, quando perſonaliter accedunt, quia illa ratio, ob quam conſtitutio conceſſit hoc priuilegium Præpoſitis, non militat in Præpoſitis, qui non habent vocem in Capitulo; ſed dato, & non conceſſo, quòd mittere poſſet alium Vocalem ad Capitulum, in hoc caſu Vocalis ille non haberet vocem in Capitulo Generali. Et ratio eſt, quia nemo dat, quod non habet, c. Dabiertum 1.q 7.c. quod autem de iurepatronatus. Et ſubrogatum ſapit naturam ſubrogantis, c. Eccleſia, vt lite pendente, l. eum qui, §. iniuriarum, ff. ſiquis cautio. Vtraque opinio eſt probabilis, & qui vellet ſuſtinere primam opinionem poſſet reſpondere regulis allatis pro ſecunda opinione, & ad primam Regulam, in qua dicitur, quòd nemo dat, quod non habet, reſponderi poteſt, quod procedit, quando nec actu, nec virtute habet, ſed in caſu noſtro principalis habet virtute facultatem ferendi ſuffragium in Capitulo, licet actus ſit impeditus, quod impedimentum ceſſat in ſubrogato.

Ad ſecundum verò dici poteſt, quòd tunc ſubrogatum ſapit naturam ſui principalis, quando non mutatur ſtatus principalis in ſubrogato, ſed in caſu noſtro mutatur ſtatus principalis in ſubrogato.

Vide

Vide Decretum, quod eſt par. 3. cap. 1. num. 12.

o Nemo alba ſchedula in aliqua electione vti poſsit. Pœna contra eos, qui cõtraueniunt huic cõſtitutioni habetur in Decretis p. 3. c. 1. n. 5. cuius verba ſunt hæc. Qui alba ſchedula in electione Vocalis vtetur nedũ actiuo, & paſſiuo ſuffragio in ea electione careat, verum etiam poſtmodum per triennium ipſo facto, abſque vlla declarationis ſententia, à iure ferendi ſuffragium cadat, nec in priſtinum ſuffragij ius reſtitutus intelligatur niſi poſt aliud Capitulum Generale. Circa hoc Decretum. ponamus, quòd in electione vocalis pro Capitulo Generali, N. primus vocalis Capituli ponat ſchedulam, in qua eſt deſcriptum nomen Petri, qui eſt vnus ex vocalibus dicti Capituli: qua poſita Petrus ſe exemptat à Capitulo, & exit foras. Vnde N. ne manifeſtet votum ſuum, non reaſſumit dictam ſchedulam, in qua erat Petrus deſcriptus, quæ licet tempore quo poſita fuit, erat bona, quia Petrus erat de gremio Capituli, tamen egreſſo Petro è Capitulo, non eſt amplius bona, ſed alba formaliter; poſtea alij vocales ponunt ſuam ſchedulã in vrna: nunc quæritur, Vtrum N. incurrat in pœnam, qua puniendi ſunt, qui albam ſchedulam ponunt? Reſpondeo, quòd non, & ratio eſt, quia quamuis illa ſchedula pro alba reputetur, tamen à principio quando fuit poſita in vrna, non erat, nec reputari poterat alba; Vnde per accidens factum eſt, quòd reputari debeat alba, vel loco albæ, & pœna impoſita eſt contra illos, qui data opera ponunt ſchedulam albam, vel quæ habet vim albæ. Et ita in facti contingentia fuit iudicatum in perſona P. D. Antonij Naldi anno 1620. in electione vocalis Domus S. Antonij Mediolani à P. Generali D. Andrea Caſtaldo, & ſuis Conſultoribus, quæ ſententia

tentia fuit confirmata à Capitulo Generali anni 1621.

In caſu præpoſito dubitari etiam poſſet, ſi in illo ſecreto ſcrutinio,ſeu(vt vulgariter dici ſolet) balloctatione,adeſſet electio in qua maior pars Vocalium dicti Capituli concurriſſet, Vtrum eſſet valida? Et ratio dubij eſt, quia illa ſchedula, in qua deſcriptum erat nomen Petri (qui exierat è Capitulo poſt impoſitionem dictæ ſchedulæ in vrna) non erat alba. Reſpondeo, quòd eſſet valida electio, quia error N. qui poſuit dictam ſchedulam, præiudicare non debet electo, vt patet ex ſequenti Decreto num. 6. eiuſdem Capitis.

P Numerus, &c. Maior numerus intelligitur Vocalium, qui in dicto Capitulo pro electione interfuerunt, numerato nimirum inter Vocales ſupradictos etiam eo, qui alba ſchedula vſus fuerit, vt habetur in Decret.p.3.c.1. nu.6. cuius verba ſunt hæc. Si forte reperiatur aliquando à ſcrutatoribus alba ſchedula in electione Vocalis ille erit electus, in quem maior conſenſerit numerus eligentium, nempe Vocalium, qui in dicto Capitulo pro electione interfuerunt, numerato nimirum inter Vocales ſupradictos etiam eo, qui alba ſchedula vſus fuerit.

In dicta parte 3. Decretorum cap. 1. num. 9. adeſt aliud Decretum tenoris ſequentis.

Si qua orta fuerit dubitatio, vel difficultas in electione Vocalis pro Capitulo Generali, quòd ſcilicet non iure, vel ritè, ſeu ex legum noſtrarũ præſcripto, ſeu alio quouis pacto, iuſtè, vel iniuſtè quiſpiam fuerit electus, in libera ſit cuiuſlibet facultate infra decem dumtaxat à die factæ electionis, dies, cau-

ſam ad P. Generalem, & Conſultores deferre, qui re ſummariè, & de plano, vt dicitur, abſque iudiciali forma, cognita, pro eorum arbitratu ſententiam dicant, quidve agendum ſit decernant. Sententia verò lata, ſublata ſit quæuis prorſus ad Generale Capitulum appellandi facultas.

p.§.1. Terminus decem dierum incipit currere Patribus dictæ Domus vbi facta eſt electio, à die publicationis dictæ electionis; ſed alijs aliarum Domorum, incipit currere à die notitia illis facta per communem literam Domus vbi facta eſt electio (quia aliàs eſſet fruſtratoria dicta facultas) vt mos eſt, iuxta noſtras Conſtitutiones p.3. c.1. verſ. cum primum in ſingulis domibus, &c.

p.§.2. Ponamus, quòd nullus faciat difficultatem circa aliquam electionem Vocalis pro Capitulo Generali, & ad aures P. Generalis, vel PP. Conſultorum perueniſſet res aliqua, quæ dubiam redderet illam electionem; Quæritur, Vtrum poſſent ex Officio informationem ſummariè capere de dicto facto, & dubium decidere ſi adeſſet? Reſpondeo affirmatiuè, quia quod alijs eſt licitum, eis non eſt prohibitum ex officio facere.

p.§.3. In eodem Decreto 9. eſt aduertendum, quòd quamuis hoc iudicium fiat ſummariè, & de plano, & abſque iudiciali forma, tamen dubium notificari debet Vocali electo, & quæ pro ſe habet audienda ſunt.

p.§.4. Eſt etiam aduertendum, quod publicata, & notificata electione Vocalis pro Capitulo Generali, ſi ille, qui habet aliquam oppoſitionem contra dictam electionem, illam non manifeſtat vel per literas, vel alio modo coram P. Generali, & Conſultoribus intra terminum conſtitutum decem dierum, illis elapſis, non competit ei amplius ali-

qua

qua actio, ſiue ſit illius Domus, in qua facta eſt electio, ſiue alterius. Et ratio eſt, quia in Decreto adeſt illud verbũ taxatiuum (dumtaxat) quod operatur negatiuam, quoad non expreſſa, quia habet annexam negatiuam implicitam. ita Gemin.conſ.76.nu.3. verſ. contrarietas. Anchar-conſ. 73 verſ limita, nu. 4. & 5. & latè Cardin. Thuſcus tom.8. lit. T. concluſ.23.fol.11.

q A Dominica in Septuageſima, &c. Hic dubitari poteſt primo ſi ſicut Vocalis. qui reſcribit illi, qui ei primo ſcripſit, non tenetur oſtendere ſuo Superiori, nec literam ſibi ſcriptam ab alio ſubdito, nec reſponſionem à ſe factam, ita etiam ſubditus (qui primo ſcripſit ſine licentia ſui Superioris Vocali electo pro Capitulo Generali) poſſit recipere, & legere reſponſionem à Vocali ſibi miſſa nõ oſtendendo illam ſuo Superiori? Reſpondeo affirmatiuè, & ratio eſt, quia aliàs eſſet fruſtratoria dicta licentia, nam ex reſponſione colligi poterit, quod primo ſcriptum erat: & conceſſo aliquo, neceſſario intelliguntur conceſſa omnia, quæ ſequuntur ex illo c. quo iure, 8. diſt c.cum ſuper de officio delegati. Et idem intelligendum eſt de Patribus Viſitatoribus, vt patet in eodem loco.

q.§.1. Secundo dubitari poteſt in eodem loco, Vtrum Vocales electi pro Capitulo Generali, ſcribendo alicui ſubdito (non dico in reſponſionem, vt in præcedenti dubio) poſſit ſubditus abſque licentia ſui Superioris literam illã recipere, aperire, & legere? Et Vtrum Superior poſſit illam aperire, & legere? Reſpondeo, quòd ſubditus abſque licentia ſui Superioris poteſt illam recipere, aperire, & legere; & Superior non poteſt illam aperire, nec legere. Et ratio eſt: quia ſicut licet ſubdito, ex vi Conſtitutionis, abſque licentia ſui Superioris ſcribere dicto Vocali electo ob commune bonum, vel particulare, ſic etiam eadem ratio-

ne debet licere Vocali electo alijs ſcribere abſque licentia ſui Superioris, & Superior illius, cui ſcribit, non debet illam aperire, & legere, quia Vocalis electus in hoc caſu habetur tanquam Superior; & ſi Præpoſitus, & alij Superiores aliter facerent eſſet in detrimentum Religionis.

De modo [a], loco, & tempore celebrandi Capitulum Generale. Cap. II.

Summa Capitis II. Conſtitutionum.

Capitulum Generale quando, & vbi celebrari debeat. nu. 1.
Quo die incipi debeat. ibidem. nu. 2.
Capitulo incepto, ſi quis ex Patribus venerit, rata ſunt omnia eo vſque ſancita. nu. 3.
Capituli Generalis, modus, forma, & ritus. nu. 4.
Orationes recitandæ durante Capitulo Generali. nu. 5.
Orationes recitandæ quoties Patres conueniunt pro qualibet re deliberanda. nu. 6.
Dubitationes circa electiones Vocalium, qui Capitulo Generali debent intereſſe, ſimpliciter, & ſola rei veritate inſpecta ſoluantur. n. 7.
Vocalis, qui compertus fuerit Capitulo Generali non poſſe adeſſe, à maiori parte Capituli admitti non poterit, niſi omnes & ſinguli conſentiant. nu. 8.
Præſes, & Secretarius per ſecreta ſuffragia eligantur. nu. 9.
Præſes qui eligi non poteſt. nu. 10.
Secretarij Capituli Generalis officium. nu. 11.
Præſide creato quid agi debeat in Capitulo Generali. nu. 12.
Vocalium electio in Capitulo Generali fiat, antequam P. Generalis eligatur. nu. 13.

Electio

Electio Generalis quomodo fieri debeat, nu. 14.
Generalis præteritus vbi ſedere debeat in Capitulo Generali, n. 15. & nu. 12. verſ. Is vero.
Conſtitutionum verba legantur in Capitulo Generali à Secretario quando proponitur aliqua res, de qua in Conſtitutionibus ſit mentio l nu. 16.
Generalis primus rem proponat, primus ſententiam dicat in Capitulo Generali. nu. 17.
Conſtitutiones & Decreta facere poſſunt Patres in Capitulo Generali congregati. nu 18.
Capitulum Generale quomodo dimittendum; nu. 19.
In Capitulo Generali ſancitis nemo contradicere audeat. nu. 20.
Secretè ſunt tenenda quæ in Capitulis Generalibus, vel particularibus fiunt, alias grauiter puniuntur. nu 21.
Generalatum procurans quomodo puniatur. nu. 22.
Scripta omnia contra quoſcunque acta, completo officio P. Generali dentur, & in Generali Capitulo decernatur, quænam ſeruanda ſint, & quæ comburenda. nu. 23.

1 TERTIO quoque anno, & quotieſcunque P. Generalem mori, vel quauis alia ratione munus eius contingat deficere, Capitulũ Generale Romæ in domo S. Syluestri in monte
2 Quirinali celebretur. Dies conſtituta pro eo inchoando eſt feria quinta hebdomadæ ſecundæ poſt feſtum Sanctiſsimi Paſchatis [b], ſi tertio b
vertente anno fiat: vel quam ſenior Conſultorum, ſuiq; Collegæ præſcripſerint, ſi mors P. Generalis, aut eius muneris acciderit abdicatio.

3 tio. Qui ex Patribus poſt cæptum Capitulum venerit, ingrediatur quidem cum alijs, firma tamen ſint, quæcunque in eam diem fuerint ſancita.

4 Modus habendi Capitulũ Generale hic erit. Pridie quam Capitulum inchoetur, P. Generalis, vel, ſi is quauis ratione Capitulo non interſit, ſenior [c] ex Præpoſitis, vnà reliquos Capituli Patres conuocet, eisq; ſignificet poſtera die inchoandum eſſe Capitulum, neque longius differri poſſe. Quare ſe quiſque animi puritate diligenter præparet. Die conſtituta mane omnes vnà Patres, ij præcipuè, qui Capitulum ſunt ingreſſuri Miſſam Spiritus ſancti ſolemnẽ celebrent, idem fiat in eccleſijs omnibus noſtri
5 Ordinis. Quotidie etiàm, donec Capitulum habebitur, tum in domo S. Sylueſtri, tum etiã in ſingulis alijs recitetur Hymnus Spiritus ſancti cum verſiculis, & orationibus deſignatis [d], vt Deus ea Patribus ſuggerat, quæ in ſuã glo-
6 riam, & Religionis vtilitatem vertant. Poſt orationem meridianam, P. Generalis, vel antiquior Præpoſitus ad locum deſignatum conuocabit Patres Capitulum ingreſſuros: ac Spiritus ſancti Hymno cum verſiculo, & orationibus, vt moris eſt deuotè, & genibus flexis

(quod

(quod ſemper ſeruandum eſt, quoties pro qualibet re deliberanda, vnà conuenerit) reci-
7 tatis, antequam alia pertractentur, ſimpliciter, & ſola rei veritate inſpecta, ſoluant dubitationes, ſiquæ ortæ fuerint, an quis iure Capitulo debeat intereſſe cum alijs. Primum admittantur omnes cum proteſtatione: deinde
8 ſinguli, cum res ſua agitur, foras exeant. Qui compertus fuerit iure Capitulo Generali adeſſe non poſſe, admitti à maiori parte non poterit, niſi omnes, & ſinguli Patres Capitulum iure ingreſſuri conſentiant, & nemo omninò
9 diſſentiat. Statim poſt, Præſes, & Secretarius
10 per ſecreta ſuffragia eligantur. Qui tunc eſt Generalis, & qui Præſes Capitulo proximè præterito fuerit, Præſes, ne eligatur [e]. c
11 Secretario curæ ſit literas vndique ad Capitulum ſcriptas recipere, ac ſuo loco, & tempore Præſidis primum, deinde Patris Generalis iuſſu, vel coram omnibus legere, vel rerum proferre capita [f], & reſpondere ſingulis ſuo f tempore. Geſta quoque omnia, & Decreta per Capitulum facta diligenter, & accuratè perſcribere, atque exemplar omnium antequã Capitulũ diſſoluatur ſigno publico obſignatũ, & ſingulorũ Patrũ manu ſubſcriptũ reliquere.

Cum

12 Cum Præſes creatus fuerit in primo collocetur loco. Tum P. Generalis [g] genibus ante g eum flexis munere ſe ſuo abdicet. Congregationis ſigilla ſtatim, ſcripturas quamprimum poterit, tradat. Negligentiæ culpas in munere obeundo admiſſas fateatur. Quam correctionem ei Capitulum imperauerit, ſpondeat ſe libenter ſuſcepturum. Annuat Præſes, eiuſque abdicationem accipiat. Is verò non iam in profeſsionis ſuæ loco, ſed proximè infra Præſidem ſedeat. Tum ſinguli Præpoſiti onere ſuo quiſque in Præſidis manibus depoſito, & culparum (vt moris eſt) venia petita, ad profeſsionis ſuæ locum reuertantur. P. Generalis extra Capitulum exeat, quo liberam de ſe omnibus dicendi faciat facultatem. i

Deputentur duo vel tres Patres idonei cauſarum Cognitores, duo item alij, quibus vnà cum Præſide curæ ſit ex ijs rebus, quæ ad Capitulum deferuntur ea diligere, quæ coràm omnibus viſa fuerint proponenda.

13 Præſes priuſquam ad Præpoſitum Generalem reficiendum, vel de nouo creandum deueniat, de Sacerdotibus in Vocalium numerum cooptandis agat. Poterit etiam proponere, & pertractare, quæ ſibi ad Congregationis pro-

greſſum vtilia, vel neceſſaria viſa fuerint. Deinde Generalis ſic eligatur.

14 Præſes, habito breui ſermone ad rem, de qua agitur, accomodato, & recepta ab eo, qui primum locum poſt ſe obtinet, abſolutione, det ipſe cæteris omnibus abſolutionem generalem à cenſuris[h] omnibus ad hũc Canonicæ electionis effectum. Tum ad orationem mentalem omnes genuflectant, Deum exorantes, vt in re tam graui ſuam illis voluntatem aperiat. Hymnum Spiritus ſancti cum Verſiculis, & Orationibus deuotè dicant. Sigillatim poſtea quiſque, profeſsionis ſeruato ordine, complicatam ſchedulam, in qua nomen eius quem eligent, ſcriptum ſit, in Vrnam ſupra menſam in medio collocatam inijciat, & ad ſuum locũ redeat. Duo, vel tres probi, & fidi fratres ex ijs, qui Capitulo non interſunt conuocentur. Eis graui pœna impoſita prohibeatur, ne quid eorum, quæ in Capitulo fiunt alijs quoquo pacto dicant. Tum per Præſidem quid faciant edocti, Vrnam aperiant, ſchedulas effundant, numerent, explicent, ſubmiſſa voce legant. Si maior pars in cuiuſquam electionẽ conſentiat, iubente Præſide clara voce electionem eſſe factam dicant: Tum quiſnam ille ſit, publicent. h

Sin ſecus, ſchedulas reuoluant: deinde ſinguli
ſuo prænotatam ſigno reſumant, & rurſum in
Vrnam reponant ſchedulas: atque eadem, quæ
ſuperius dicta ſunt, iterum ac ſæpius repetant,
donec maior ſuffragiorum pars in aliquem cõ-
ueniat. Simulatq. P. Generalis eſt electus[i];
omnes ſigno dato ad eccleſiam tum ad deſi-
gnatum locum vnà ſe recipiant, P. Generalis
electio coram omnibus publicetur. Duo Pa-
tres, qui poſt Generalem ſunt proximè, ad ſel-
lam in medio poſitam, Generalem deducant
Te Deum laudamus, cum Verſiculis, & Ora-
tiónibus dicant. Singuli, ordine, ante eum ge-
nua flectant, manum oſculentur, obedientiam,
ac reuerentiam polliceantur. Qui Præſes fue-
rat, ad profeſsionis ſuæ locum ſtatim reuerta-
15 tur. Qui fuerat Generalis, ſedeat vt ante Prę-
ſidi, ita nunc P. Generali proximus, vel exad-
uerſum ei ad læuam, nec ad locum profeſsionis
redeat, niſi poſt dimiſſum Capitulum. P. Gene-
ralis electus ſi non adſit, ad eum euocandum
ſtatim mittatur. Interim Præſes, & Patres
proſequantur Capitulum. Si autem P. Gene-
ralis adſit, vnà cum Patribus Capituli pertra-
ctabit quæcumque ei ad communem vtilitatẽ
16 pertinere viſa fuerint. Si qua res de qua in

Conſtitutionibus fit mentio, proponatur, Conſtitutionum verba à Secretario coram omni-
17 bus legantur. Pater Generalis primus rē proponat, primus ſententiam dicat: deinde reliqui omnes profeſsionis ordine ſubſequantur. Dei cultum, & gloriam, totius Ordinis vtilitatem, atque progreſſum priuatis commodis
18 anteponant. Patres in Capitulo Generali congregati Cōſtitutiones, & Decreta per vniuerſam Congregationem ſeruanda facere poterunt. Eligant[k] deinde per ſecreta ſuffragia quatuor P. Generalis Conſultores: tum etiam ex ijs, qui Capitulo interſunt, octo Definitores: de quorum ſingulis ſuo loco dicetur.

19 Cum iam Præpoſiti, & Viſitatores à P. Generali, & Definitoribus fuerint creati, & definita omnia, Patres Capituli vnà omnes ſigno dato conueniant. P. Generalis ſermonem breuem habeat: Præpoſitorum, & Viſitatorū nomina pronuntiari iubeat. Tandem recitatis de more Pſalmis, Verſiculis, & Orationibus, Capitulum dimittat.

20 Quidquid in Capitulis Generalibus à maiori parte ſancitur, id ratum, & firmum apud omnes per vniuerſam Cōgregationem habeatur. Quare poſtea nemo eorum qui Capitulo

interfuit contra ſenſiſſe, aut diſputaſſe dicat: nec qui abfuit contradicere, aut repugnare vllo pacto audeat. Qui ſecus fecerit puniatur grauiter.

21 Quæcumque item vel à toto Capitulo, vel à ſolis Definitoribus, vel à Conſultoribus, vel à Vocalibus in priuata aliqua Domo pertractantur, præſertim ſi prolata pacē violare poſſe videantur, ſedulò celentur: ac ne illa quidem, quæ paulò poſt publicanda ſunt, ante tempus indicentur. Neve quis cui aduerſatus, cui ſuffragatus ſit, ſignificet. Qui contrafecerit itidem grauiter puniatur.

22 Si probetur[1] quempiam, per ſe, vel per interpoſitas perſonas quærere, vt Generalis Prępoſitus eligatur, de Capitulo ſtatim, ne cū alijs interſit, moueatur, & per decennium actiuo, & paſsiuo ſuffragio careat: neque vllo pacto pœna ei per hoc tempus remitti poterit.

23 Præpoſiti, Viſitatores, aut ſiquibus alijs Patribus delictorum cognitio commiſſa ſit, ij cū primum ſuum abſoluerint munus, rem totam, & ſcripta omnia contra quoſcumque acta fuerint, ad P. Generalem, & P. Definitores referant: nec apud ſe quiſpiam aliquid retineat: Tum in Generali Capitulo decernatur, quæ nam ſeruanda ſint. Reliqua igni tradantur.

Com-

Commentaria in Caput II.

Summa Commentariorum ſuper Caput II.

Conſultor poteſt eligi in Præſidem Capituli Generalis. lit. e.
Præſes Capituli Generalis poteſt aperire literas communes miſſas Capitulo Generali. lit. f.
Abſolutio Generalis à cenſuris dari debet non ſolum ante electionem Generalis, ſed etiam Præpoſitorum. lit. h.
Quæ occultè fiunt, ſola indicia, & coniecturæ violentæ ſufficiunt ad probandum. lit. l. §. 1.
Electio per ambitionem procurata annullari poteſt. lit. l. §. 2.
Oppoſitio facta contra P. Generalem, vel Conſultores in ſcrutinio; Vtrum manifeſtari poſsit tacito nomine opponentis, vt defendi poſsint? lit. l. §. 3.
In ſcrutinio P. Generalis an poſsit intereſſe Conſultor, & in ſcrutinio Conſultorum an poſsit intereſſe P. Generalis? lit. l. §. 4.
Completo ſcrutinio P. Generalis, & PP. Conſultorum non poteſt aliquis contra eos aliquid opponere. lit. l. §. 5.
Legi debent in Refectorio, noſtræ Conſtitutiones: Decreta ſacræ Congregationis Concilij, & Clem. VIII. & Decreta Concilij de Celebratione Miſſarum, lit. l. §. 6.

a DE modo, &c. Cum hac Rubrica concordat alia Rubrica Decretorum p. 3. c. 2.

b Paſchatis, &c. Ideſt poſt octauam feſti Sanctiſſimi Paſchatis, quæ eſt 19. cōnumerando à die Paſchatis.

c Senior ex Præpoſitis, &c. Senior intelligitur

ratione

ratione profeſſionis, non autem ætatis, vel ratione Domus, in qua eſt Præpoſitus.

d Et orationibus deſignatis, &c. *Iſtæ orationes* dici ſolent immediatè poſt Nonam.

e Præſes ne eligatur. Hic dubitari poteſt ſi in Capitulo Generali aliquis Pater adeſſet, qui in illo triennio fuiſſet Conſultor, Vtrum in Præſidem eligi poſſit? Et videtur dicendum, quòd non, quia per Decretum Capituli Generalis, quod eſt p.3.c.2.nu.1. eſt ſtatutum, vt depoſito officio à P. Generali, ſtatim Scrutinium fiat de adminiſtratione ſui officij, quo finito fiat etiam Scrutinium Conſultorum: Vnde non conuenit eligi in Præſidem illum, qui paulò poſt debet rationem reddere adminiſtrationis ſui officij, quia eodem tempore eſſet Iudex, & Reus. Præterea in Scrutinio aliquid opponi poſſet, ex quo non mereretur dictum officium; Et vſus eſt, vt qui officium exercuit prius reddat rationem ſui officij, & deinde in aliud eligatur.

In contrarium verò eſt veritas, & experientia; & ratio eſt, quia Conſtitutio in præſenti loco excipit tantum illũ, qui tunc eſt Generalis, & qui in præcedenti Capitulo fuit Præſes; & regula eſt, quòd exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis, l. nam quod liquidè, ff. pœna legat. §. vt autem, & § fin. in Auth. de non alienandis, Decius, & Gloſ. in l.1.ff. de reg iur. & Cagnolus ibid. nu. 31. & in Capitulo Generali anni 1624. ita fuit obſeruatum, quia fuit electus Præſes ille, qui in præcedenti triennio fuerat Conſultor, & finito officio Præſidis fuit factum Scrutiniũ Conſultorum. Decreto verò p.3.c.2.nu.1. reſpondetur, quòd cum per paucos dies duret officium Præſidis non eſt inconueniens, vt finito officio fiat Scrutinium Conſultorum,

& Ca-

& Capitulum Generale, quod fecit dictum Decretum ſi voluiſſet excipere Cōſultorem à dicto officio expreſsè excepiſſet. Nec obſtat vſus ſupradictus, quia eſt proprius Officialium ſecularium, & non Religioſorum, qui maiori puritate, & timore Dei viuunt. Et ſi iſtum vſum ſeruare deberemus, ſequeretur, quòd nec Præpoſiti, nec Viſitatores poſſent eligi in Præſidem, quia ipſi etiam debent rationem reddere adminiſtrationis ſuorum officiorum. Vnde dicendum eſt, Conſultorem poſſe eligi in Præſidem Capituli Generalis.

f Rerum proferre capita, &c. Ex his verbis colligitur, quòd Præſes, vel Pater Generalis poſſunt ipſi ſoli aperire, vel facere, vt aperiantur à Secretario Capituli literæ communes, Patribus Capituli Generalis miſſæ, nec tenentur illas aperire, vel facere, vt aperiantur coram omnibus Capituli Patribus; quia dum debent rerum proferri capita, oportet, quòd prius eas legerit Secretarius, vt poſſit capita proferre.

g Tum P. Generalis, &c. Cum hoc loco vide Decretum, quod eſt p. 3. c. 2. nu. 5.

h Abſolutionem generalem à cenſuris, &c. Conueniens eſt ſeruare hunc morem abſoluendi, non ſolū ante electionem P. Generalis; ſed etiam ante electiones Præpoſitorum, & Viſitatorum. Et non ſolum in electionibus, quæ fiunt à Definitoribus in Capitulo Generali, ſed etiam in electionibus, quæ fiunt intra triennium à P. Generali, & Conſultoribus. Et ita ſeruatum fuit à P. Generali D. Andrea Caſtaldo anno 1620. die 19. Maij, vt apparet ex regiſtro Conſultationum fol. 103.

Simu-

[i] Simulatq. P. Generalis eſt electus &c. Facta electione P. Generalis, antequam obedientia ei præſtetur, debet ipſe iuramentum præſtare, non ambiendi Eccleſiaſticas dignitates extra Congregationem, &c. vt apparet ex Decreto p.3.c.5.nu.1.

[k] Eligant deinde &c. vſque ad lin.8. Cum hoc loco vide Decreta quæ ſunt p 3.c.4.nu.1. & 2.

[l] Si probetur &c. Eſt aduertendum in hoc loco, quòd licet, quando lex probationem requirit, intelligi debeat de probatione plena, & vera, non autem de præſumptiua, vt docet Farinacius in tomo 1. Conſiliorum criminalium, conſil.76 nu.3. & ſeqq. Benedictus Bcolus, Auguſtinus Baccinellus, & Stephanus Banaſſaius in quodam eorum reſponſo regiſtrato in to.2 conſil.crim. Proſperi Farinacij conſil.168.ar.1.& Alexand.Ambroſinus in ſuo tract. de immunitate Eccleſiæ in Bullam Greg. XIV. cap.11.n.4. §. quinto ad confirmationem.

l.§.1. Tamen in his quæ occultè fiunt, (vt ſunt ambitioſæ procurationes) ſola inditia, & coniecturæ violentæ ſufficiunt ad iudicandum, & pro plena probatione haberi ſolent, vt notat Duinus conſil.70.nu.5.vol.4. Decius conſ. 143.nu.14. Caſſa.conſil.129. & communiter Doctores in l. nuda ratio, & l. poſt conſtr. ff. de donation. Quod enim liquido conſtare non poteſt, argumentis cognoſcendum eſt, per tex. in l non omnes, §. à non Barbaris, ff. de militari teſtamento.

l.§.2. Sed quæret aliquis, ſi iam eſſet electus iſte qui ambitiosè procurauit Generalatum, Vtrum annullari poſſet eius electio, ſi poſt electionem appareret eius delictum? Reſpondeo affirmatiuè, & ratio eſt, quia ſi annullanda eſt electio

electio illius, qui antequam eligeretur in ſui electionẽ conſenſit, etiamſi ab Electoribus fuerit requiſitus, vt habetur in c. cum poſt petitur de elect. & notat Sylu.v. electio 1.& 2.q.10. & Ludou. Miranda in ſuo man prælat.t.2.q. .ar.3. concl.1. quanto magis annullari debet electio illius, qui per ſe, vel per alios illam procurauit. Ambitio enim repellit quemlibet à dignitatibus 8 q 1.c. in ſcripturis, & l. fin. ff. ad legem Iuliam de ambitu. Et idem dicendum eſt de procurante confirmationem, vt patet ex his, quæ dicit Felin. in cap. inter dilectos, num.30. limit. 3. & num.31. in quarta fallentia de fide inſtrumentorum, vbi docet, quòd qui poteſt reuocare, confirmando dicitur de nouo dare, iuxta Imolam in dicto cap. inter dilectos, & ea, quæ notat gloſ. ibidem.

In Decretis Capitularibus par.3. cap. 2. ſunt duo Decreta; primum eſt num. 1. tenoris ſequentis, Patre Generali poſt muneris abdicationem extra Capitulum egreſſo, Patres omnes, quo libera ſit cuique dicendi facultas, iureiurando ſe obſtringant perpetuo ſilentio ſeruaturos, quæ à quoquam contra P. Generalem dicta fuerint. Idq; etiam ſeruetur, ſi quicquam contra Conſultores dicendum contigerit.

1.§.3. Hic primo eſt aduertendũ, quòd ſi contra P. Generalem, vel Conſultores aliquid opponeretur, quod obſtaret, & ab aliquo illorum, qui Capitulo interſunt, non eſſet aliqua ratione euacuatum: debet ijs manifeſtari oppoſitio, tacito nomine opponentis, vt defendi poſſit, quia non conuenit, vt illorum fama, maculata remaneat.

Et quando oppoſitio dici non poſſet abſque manifeſtatione opponentis: in hoc caſu, vel paruifacienda erit oppoſitio, vel manifeſtanda illi, contra quem opponitur, quia

defenſio eſt de iure naturæ, & opponens ſibi ipſi imputet, ſi indirectè manifeſtetur.

I.§.4. Secundo eſt aduertendum, quòd in ſcrutinio P. Generalis poteſt intereſſe Conſultor, & in ſcrutinio Conſultorum poteſt intereſſe P. Generalis; & ita ſeruatum eſt in praxi me præſente in Capitulo Generali anni 1618. & 1627. Et ratio eſt, quia nullus priuandus eſt ſuo iure, ſine cauſa. Quando vero accideret, quòd eadem oppoſitio in vtrumque feretur, tunc debet egredi, qui eſt in Capitulo.

I.§.5. Sed poſſet aliquis dubitare, Vtrum cõpleto ſcrutinio P. Generalis, & PP. Conſultorum poſſit aliquis, ſiue de corpore Capituli, ſiue extra Capitulum, aliquid aliud contra eos opponere? Et reſpendetur quòd non, quia ſindicatus fuit, iuxta formam noſtrarum Conſtitutionum p.3. c.2. & præſentis Decreti; & quando lex municipalis dat formam, illa eſt ſeruanda; & nemo poteſt aliàs ſe intromittere. ita Paris de Puteo de ſindicatu ſub tit. de officio ſindicatorum, in v. Iudices, num.1. Et elapſo termino ſtatuto à noſtris Conſtitutionibus, expirat facultas aliquid aliud opponendi; & ſtatutum in hoc derogat iuri communi. Paris de Puteo in eodem tract. & loco, lit. I, in v. Inſtantia, cap.4.

Et quod dictum eſt intelligitur etiam de illis, qui commorantur extra Vrbem in alijs domibus noſtræ Congregationis, quia cum notum ſit omnibus, quòd depoſito officio debet fieri ſcrntinium ſupradictum, ſaltem per literas debent manifeſtare Capitulo Generali quicquid eis occurrit contra perſonam A. R. P. Generalis, & PP. Conſultorũ Vnde tranſacto termino præſcripro, non remanet ius opponendi. Excepto ſi aliquid aliud de nouo manifeſtaretur, quod ptius non erat notum.

Alterum Decretum eſt, num. 3. cuius verba ſunt hæc. Conſtitutiones, & Decreta quater ſaltem in anno

in

in Refectorijs noſtris recitentur, &cet.

I.S.6. Vigore præſentis Decreti vnà cum Conſtitutionibus, & Decretis, legi etiam debent in Refectorijs noſtris quater in anno Ordines A. R. P. Generalis. Legi etiam debent bis in anno in Refectorijs noſtris Decreta ſacræ Congregationis Concilij, de Regularibus apoſtatis & eiectis, & Decreta Clem. Papæ VIII. pro reformatione Regularium, vt patet in dictis Decretis §. Ne qua vero difficultas &c. in fine folij 6. publicata anno 1624. die 26. menſis Octobris.

Similiter legi debent bis in anno (in Refectorijs noſtris) ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria ſexta poſt octauam ſanctiſſimi Corporis Chriſti, Decreta eiuſdem Congregationis Concilij de Celebratione Miſſarum, publicata anno 1625. die 22. Septembris.

Onus publicandi incumbit Superioribus, ſub pœnis &c. vt in dictis Decretis.

De Sacerdotibus[a] in Vocalium numerum adſcribendis. Cap. III.

Summa Capitis III. Conſtitutionum.

Vocalium electio ſpectat ad Capitulum Generale. nu. 1. & fit per ſecreta ſuffragia. ſub nu. 5.

Vocalis vt poſſit quis eligi, quæ requirantur. nu. 2.

Vocalem non idoneum eligens peccat, & ſimiliter ſi idoneum prætermittit. nu. 3.

Iuramento adſtringuntur Patres de ſilentio ſeruando ante electionem Vocalium. nu. 4.

Vocalium eligendorum merita referant ambo Viſitatores, Præpoſitus, Vocalis domus, & cæteri ſi qui norunt. nu. 5.

Annorum numerus à profeſsione tranſactus requiritur, ad hoc vt ſacerdos poſsit in Vocalium numerum adſcribi. nu.6.

Vocales eligi non poſſunt, qui communia Congregationis onera ferre nequeunt; & qui Confeſſarij non ſunt. nu.7.

Naturales, & non legitimi ad actiuam tantum vocem intelliguntur admiſsi prima vice. nu.8.

Vocales de nouo electi, licet ius habeant conueniendi cum alijs in Capitulo domus, in qua ſunt aſsignati, ſuffragium tamen, atque ſententiam ſuam dicere non poſſunt, niſi prius à Præpoſito, & Vocalibus facultas eis data ſit, quæ differatur in quartum à dimiſsione Capituli Generalis menſem. nu.9.

1 SACERDOTES in Vocalium[b] b
numerũ adſcribere ad ſolum ſpe-
ctat Generale Capitulum. Ad id
2 muneris ij deligantur, qui erudi-
tione, prudentia, vitæ integritate polleant, qui
alijs exemplo eſſe, Religionis obſeruantias tue-
3 ri, atque adeo augere valeant. Meminerint au-
tem omnes peccati adſtringi vinculo, eum qui
odio, amore, aut priuato commodo ductus, aut
non idoneum eligit, aut idoneum prætermit-
tit. Antequam de hac electione agatur, Pa-
4 tres à Deo diuinũ lumen expoſcant. Tum quo
liberiore animo ſuam quiſque ſententiam pro-
ferat, iureiurando[c] arctiſsimo ſe omnes, & c
quiſque ſingillatim adſtringat perpetuo ſilen-
tio ſeruaturum, quæ de huiuſmodi negotio,
vel

vel mutuo inter ſe collocutos, vel à Collegis
audiuiſſe contigerit: ita vt nullo vnquam tē-
pore, & nulla ratione poſsit quis dicere, nec
de quouis alio Collegarum, nec ipſemet de ſe
ipſo, cui refragatus, aut ſuffragatus fuerit. Di-
5 ligenter deinde inquirant [d] ſingulorum meri- d
ta. Et primum quidem Viſitatores de Sacer-
detibus ſuæ quique Prouinciæ, tum Vocales
electi à Domibus vbi illi adſunt; tum cæteri
omnes, ſuam quiſque ſententiam palàm abſque
vlla animi perturbatione dicant ingenuè. De-
inde per ſecreta ſuffragia ſingillatim cuiuſque,
de quo tractari debet, rite, ordine agitetur
6 electio. Quibus à profeſsione duodecim anni
elapſi ſunt, à maiore parte Capituli ad ſuffra-
gia ferenda admitti poterunt, ſi eorum qua-
litates reliquæ reſpondeant. Ante id tempus,
nulli ea facultas concedatur, niſi ob præcipuam
viri alicuius eruditionem, aliasq; inſignes vir-
tutes, atque ætatis maturitatem, id conceden-
dum eſſe viſum fuerit, modo in ea re duæ par-
tes Vocalium ex tribus eorum, qui Capitulo in-
terſunt, conſentiant, & ſex anni poſt profeſsio-
7 nem elapſi ſint. Qui nondum ſunt Confeſſa-
rij: Qui communia Congregationis onera fer-
re nequeunt (vt ſunt diu, noctuq; Chorum

fre-

frequentare, communi menſa victitare, & ſi qua horum ſunt ſimilia) eligi non poterunt.

8 Qui ex legitimo [e] matrimonio nati nõ fuerint, quamuis alioqui idonei, ius tamen ferendi ſuffragij actiuæ tantum vocis primò, poſt aliquot verò annos (ſi viſum fuerit) paſsiuæ concedi poterit. Quò ſi eidem ſimpliciter, & ſine additione aliqua, huiuſmodi ius à Generali Capitulo conceſſum ſit, actiuæ tantùm vocis conceſſum fuiſſe intelligatur. e

9 Vbi primùm quis ad ſuffragia ferenda admiſſus fuerit, ius quidem cõueniendi vnà cùm cæteris Vocalibus eius Domus, in qua eſt aſsignatus habeat, ſuffragium tamen, atque ſententiam ſuam, ne prius dicat, quàm à loci Prępoſito, & Vocalibus facultas ei facta ſit. Quæ in quartum à dimiſsione Capituli menſem, & ſecundum, poſteaquam Vocales fuerint publicati differatur [f]. f

Commentaria in Caput III.

Summa Commentariorum ſuper Caput III.

Renunciatio Vocalatus facta Præpoſito domus, vel Patri Generali, an ab illis acceptari poſsit? lit.b.§.1.

Renunciatio officij Conſultoris an acceptari poſsit? lit.b.§.2.

Renun-

Renunciatio facta à Præpoſitis, vel Viſitatoribus quo ad ſua officia an acceptari poſſit? lit.b.§.3.

Iuramentum de ſecreto ſeruando, in quibus caſibus dari debeat? lit.c.

Et quando Superior diſpenſare poſſit? lit.c.§.1.

Coniunctus in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis non debet adeſſe in ſcrutinio ſui conſanguinei. lit.d.

Poteſt tamen ferre ſuffragium in eius fauorem. lit.d.§.1.

Si illegitimus eligatur ad vocem paſſiuam, intelligitur cum eo diſpenſatum ad Prælaturas, excepto Generalatu lit.e.

Capitulum Generale non poteſt diſpenſare cum illegitimo, vt poſſit eligi in Generalem. lit.e.§.1.

De examine Confeſſariorum tam pro Vocalatu, quàm pro Confeſſionibus audiendis deciduntur aliqua dubia. lit.f.§.1.

a DE Sacerdotibus; &c. Cum hac Rubrica concordat alia rubrica, quæ eſt in Decretis par.3.cap.3.

b Hæc forma electionis Vocaliũ fuit nobis tradita à Clem. VII. & ſeruata à nobis à principio ſundationis Religionis, & poſtea per Decretum Clem. VIII. factum die 18. Martij anni 1604 confirmata; cuius originalis eſt in noſtro archiuo S. Syluestri Romæ.

b.§.1. Hic dubitari poſſet, ſi aliquis Vocalis vellet renunciare voci, vel de facto renunciaſſet ſuo Præpoſito, vel P. Generali vnà cum Conſultoribus, Vtrum poſsint dicti Superiores talem renunciationem acceptare? Reſpondeo quod non, quia quamuis vnuſquiſque renunciare poſſit fauori ſuo. c. eccleſiæ S. Mariæ, il ſecondo. §.1. de elect.c.ſi de terra de priuilegijs, non tamen quando conceſſum eſt contemplatione alterius, & maximè totius Religionis (vt eſt in caſu noſtro) vt docet Marianus Soccinus in c.1.n 23. in fin. de foro compet. Alexan. Ambroſin. de immun.eccl.

c.16.

c.16.nu.13. verſ. ſed priuilegium; Vocales enim in noſtra Religione eliguntur principaliter pro beneficio totius Religionis, quia ex ijs eliguntur Præpoſiti, & alij Superiores, qui regunt, & gubernant Religionem: & propterea fiunt, & eliguntur in Capitulo Generali; Vnde ad quem ſpectat eligere, ſpectat etiam acceptare dictas renunciationes, & ſic vſque adhuc fuit obſeruatum in noſtra Religione; nam à P. Generali, & Conſultoribus nunquam fuerunt acceptatæ dictæ renunciationes, ſed quando fuerunt factæ in Capitulis Generalibus, quandoque fuerunt acceptatæ, & quandoque non, vt in Capitulo Generali anni 1624. & alijs Capitulis.

b.§.2. Idem ſeruatum eſt in renunciationibus Conſultorum, quia quando fuerunt factæ P. Generali, & Conſultoribus non fuerunt acceptatæ, eadem ratione, quia erant electi principaliter ob bonum commune Religionis à Capitulo Generali; Vnde renunciatio facta à P. D. Stephano Santino Cōſultore anno 1618. non fuit acceptata à P. Generale D. Andrea Caſtaldo, & ſuis Conſultoribus; & è cōtra, renunciatio facta à P. D. Eliſeo Nardino Conſultore electo in Capitulo Generali anni 1610. fuit ab eodem Capitulo acceptata, & alius in eius locum fuit electus.

b.§.3. Renunciationes factæ à Præpoſitis, & Viſitatoribus quo ad eorum officia, poſſunt acceptari, & non acceptari à P. Generali, & Conſultoribus, (vt melius eis videbitur) dato etiam quòd à Capitulo Generali fuerint electi. Et ratio eſt, quia finito tempore adminiſtrationis officij ad ipſos ſpectat prouidere quo ad dicta officia, vt patet ex conſt.p.3.c.5.verſic.quot annis, & ſic eſt vſus Religionis.

Dixi à P. Generali, & Conſultoribus, quia dnm P. Generalis ſolus non poteſt illos eligere, ſic nec etiam ſolus poteſt dictas renunciationes acceptare in præiudicium Religionis; ſed bene poteſt illas acceptare ipſe ſolus, in præ-

iudicium

iudicium renunciantis; Vnde in hoc caſu, ſi Conſultores etiam concurrerent ad acceptationem dictæ renunciationis vnà cum P. Generali, non poteſt renuncians reuocare renunciationem acceptatam.

Et ſicut non poteſt P. Generalis ſolus in præiudicium Religionis, dictas renunciationes acceptare: ita etiã quando ſunt factæ P. Generali, & Conſultoribus ſimul, non poteſt P. Generalis ſolus abſque conſenſu Conſultorum illas reijcere. Et ratio eſt, quia ſicut Conſultores habent votũ deciſiuum in electione Præpoſitorum, & Viſitatorum, ita etiam habent votum deciſiuum in acceptatione, vel refutatione dictarum renunciationum, quia eſt eiuſdem rationis.

Et quando dictæ renũciationes nõ eſſent factæ omnibus Conſultoribus ſimul cũ P. Generali, ſed ſoli P. Generali, vel alicui Conſultori, & ille refutaret dictã renunciationem, in hoc caſu renuncians poſſet reuocare renunciationem à ſe factam, quia dum non eſt acceptata, non amiſit ius ſuum, quod per electionem de ſe factam acquiſiuerat.

Si vero dicta renunciatio eſſet facta vni ex Conſultoribus, & ille non refutaret, ſed relationem faceret. P. Generali, & cæteris Conſultoribus de renunciatinne facta, in hoc caſu (meo iudicio) teneretur P. Generalis diſcutere cũ Conſultoribus, an eſſet acceptanda, vel refutanda dicta renunciatio, quia cum omnes Conſultores habeant votum deciſiuum in hoc negocio, vt ſupra dixi, ſi nollet diſcutere, indirectè ſequeretur, quòd ipſe ſolus refutaret dictam renunciationẽ, quod facere non poſſe, ſupra probaui, quia eſt eiuſdem rationis cum electione.

c Iureiurando arctiſsimo, &c. In quibus caſibus Patres iurare debent de ſecreto ſeruando, Vide in Indice Decretorum Capitularium, verbo Iuramentum, &

in Decretis parte 3. capite 3. numero 2. & 3.

c.§.1. Hic dubitari poteſt, An P. Generalis facultatem habeat concedendi alicui ſibi ſubdito licentiam (diſpenſando) veniendi contra dictum iuramentum? Reſpondeo quod non, nam cum ſit licitum ex omni parte, & propter bonum commune Religionis, ipſe in illo diſpenſare non poteſt, niſi occurreret vtilius ob commune bonum Religionis, quia habet auctoritatem Epiſcopalem in ſuos ſubditos. ita D. Tho. in 2.2.q.89.ar.9. ad tertium, quem refert, & ſequitur Syl.v.iuramentum.v.q.3.nu.3. & Sanchez in præcep.decal.lib.3.c.21.nu.2.

d Inquirant &c. Aduertendum eſt, quod dum fit ſcrutinium alicuius ſacerdotis, in Vocalium numerum adſcribendi, ſi aliquis P. Vocalis ex ijs, qui ſunt in Capitulo, eſt illi coniunctus in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, debet extra Capitulum mitti, dum fit ſcrutinium, iuxta morem Religionis, & completo ſcrutinio, poteſt ingredi Capitulum, & ferre ſuffragium vnà cum alijs, in electione dicti ſacerdotis; & idem ſeruatum eſt in Diffinitorio, & ſeruari ſolet in Capitulis particularibus domorum, in alijs occurrentijs, vt promouendi aliquem ad Ordines, admittendi ad Confeſſiones audiendas, vel ad Profeſſionem faciendam &c.

d.§.1. Et cùm dubium ortum fuiſſet in Capitulo Generali anni 1624. die 20. Aprilis, an liceret dicto P. Vocali coniuncto in primo, vel ſecundo gradu, ferre ſuum ſuffragium in dictis caſibus, cum non audiuiſſet ſcrutinium, fuit concluſum hoc modo, *ſtatutum eſt antiquo mori ſtandum, quo hucuſque licuit.*

e Qui ex legitimo &c. Paſsiuè concedi poterit. Hic dubitari poteſt, ſi illegitimus electus eſſet à Ca-

pitulo

pitulo Generali ad paſſiuam vocem, Vtrum intelligatur fuiſſe cum eo diſpenſatum, vt poſſit eligi in Vicarium, Præpoſitum, & ad alias dignitates Religionis?

Reſpondeo affirmatiuè, quia hoc importat vox paſſiua, id eſt facere eum habilem, & capacem dignitatum Religionis. Excipitur tamen dignitas Generalatus, & ratio eſt, quia in generali conceſſione non veniunt, & quæ ſpeciali nota ſunt digna, & quæ veriſimiliter quis non eſſet conceſſurus in ſpecie. c.fin. de offic. Vicarij, c. in generali, de Regul. iur. in 6. Immo ſi Capitulum Generale vellet eligere aliquem illegitimum in Præpoſitũ Generalem, oporteret, vt primo S. Pontifex diſpenſaret cum eo, & obtenta diſpenſatione elegi poſſet.

c.§.1. Dixi, vt S. Pontifex diſpenſaret cum eo, quia quãuis Capitulum Generale habet facultatem legitimandi dictos illegitimos, & habilitare illos ad dignitates, & Prælaturas Religionis, non tamen ſe extendit ad dignitatem Generalatus, ex eadem ratione ſupradicta, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſpeciali nota ſunt digna, niſi fiat expreſſa mentio. ita Panor. in c. innotuit, de elect. & Hieronymus Sorbus in ſuis annotationibus in Compendio priuilegiorum Minorum, tit. diſpenſatio, verſ. dummodo tamen &c. Amplius dignitas Generalatus in Religione, æquiparatur dignitati Epiſcopali, quia habet iuriſdictionẽ Epiſcopalem in ſuos ſubditos, & immediatè ſubeſt S. Pontifici: Vnde ſicut diſpenſatio alicui conceſſa ad prælaturas, & dignitates, intelligitur ad prælaturas, & dignitates inferiores Epiſcopali. ita etiam facultas conceſſa Capitulo Generali diſpenſandi cum illegitimis ad prælaturas Religionis debet intelligi de inferioribus prælaturis, & non de maiori, quia cum diſpenſatio ſit quædam iuris relaxatio eſt ſtrictè interpretanda. c. fin. de filijs presbyterorum. Sayr. de cenſuris lib.6.c.11.nu.16.

De hac materia diſpenſandi ad prælaturas, & dignitates Regulares, latè tractat Ludouic. Miranda in ſuo man. prælat.t.2.q.2.

f Differatur. Ante id tempus facultatem ei concedere non poſſunt, illo vero tranſacto, non debent multum differre.

In Decretis Capitulorum Generalium p.3.c.3.n.1. adeſt infraſcriptum Decretum: Qui lectionibus Philoſophiæ & ſacræ Theologiæ integrò ſeptennio, aut caſuum conſcientiæ triennio ſub conſtituto præceptore nō interfuerit, ac de ijs à P. Generali deſignatis, examinatus,& per ſecreta ſuffragia approbatus non fuerit, nullo pacto in Vocalium numerum adſcribatur.

f.§.1. Circa hoc Decretum eſt primo aduertendū, quòd diuerſum eſt examen Confeſſariorum, qui ſunt admittendi ab Ordinario ad confeſſiones audiendas, ab illo, quod fit in ordine ad Vocalatum, vt patet de primo examine in Conſtitutionibus par.1.c.5.§. ſacerdotum, verſ. antequam &c. & de ſecundo in præſenti Decreto.

Secundo eſt aduertendum, quòd diuerſa eſt approbatio Confeſſariorum circa ſcientiam, ab illa, quæ fit de vita, & moribus, quia hæc de vita & moribus fit primo loco, & à Præpoſito domus, & duabus partibus Vocalium, qui Capitulo interueniunt, & poſtea à P. Generali,& Cōſultoribus, vt apparet ex Decreto p.3. c.7. nu.20. Illa verò de ſcientia fit ab examinatoribus, ſed diuerſo modo, quia ſi quis exponitur examini ad obtinendam licentiam ab Ordinario, fit à Præpoſito domus, & ab examinatoribus, vt patet ex conſtit.p.1.c.5.§.ſacerdotum, verſic. antequam &c. ſi vero exponitur examini pro Vocalatu, fit tantum ab exami-

nato-

natoribus, vt apparet ex præſenti Decreto.

Nunc primo dubitari poteſt, ſi clericus antequam ad ſacerdotium ſit promotus, ſtuduerit per tres annos caſibus conſcientiæ ſub conſtituto præceptore, quibus completis examinari cupiat pro Vocalatu, Vtrum ſi adhuc ſit clericus poſſit ei à P. Generali concedi, vt examinetur? Reſpondeo affirmatiuè, & ratio eſt, quia clerici, qui ſcholaſticæ Theologiæ ſtudium compleuerunt, quamuis ſacerdotes nō ſint, nec etiam Diaconi, examinari ſolent in tota Theologia; ſic etiam illi, qui ex profeſſo, & ſub conſtituto præceptore, curriculum caſuum conſcientiæ per tres annos compleuerunt, examinari poſſunt pro Vocalatu, iuxta præſens Decretum, quamuis ad ſacerdotium non ſint promoti, quia quo ad examen, nulla fit differentia in præſenti Decreto, inter Theologiam ſcholaſticam, & moralem.

Secundo dubitari poteſt, ſi clericus aliquis, completo ſtudio caſuum conſcientiæ per tres annos ſub conſtituto præceptore, ſit examinatus, & approbatus ab examinatoribus deſignatis à P. Generali, & deinde ſit promotus ad ſacerdotium, & ſimiliter poſt ſacerdotium ſit approbatus quo ad mores à Capitulo domus, & P. Generali, & Conſultoribus pro confeſsionibus audiendis, Vtrum teneatur iterum examini domus ſe exponere antequam ſe præſentet Epiſcopo, vt in conſtit, p. 1. c. 5. §. ſacerdotum, ibi, Præpoſito, & Patribus ad id electis.

Reſpondeo quod non; & ratio eſt, primo quia hoc examen maius eſt illo, quod fieri ſolet à Præpoſito domus, & ſuis examinatoribus iuxta conſtitutionem ſupradictam. ſecundo, iſte eſt approbatus à P. Generali in hoc examine, nam qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, c. qui facit per alium, de reg. iur. in 6. Ergo cum à maiore ſit approbatus, non debet cogi à minore ad nouum examen, cum periculo, vt ab inferiore reprobetur. tertio, Regula

eſt,

eſt, quòd ſemel approbatus, non poteſt amplius reprobari abſque noua cauſa, vt probatum eſt ſupra in commentis par. 1. cap. 5. ſuper verbo Nec niſi de licentia dub. 2. in fine. Ergo cùm nulla noua cauſa adſit, non debet iterum examinari.

Tertio dubitari poteſt, Vtrum ſacerdos qui per tres annos vacauit ſtudio caſuum conſcientiæ ſub conſtituto præceptore, & deinde a Præpoſito, & Capitulo domus, & à P. Generali eſt admiſſus ad confeſſiones audiendas, præuio examine domus iuxta conſtit. par. 1. c. 5. §. ſacerdotum. ibi Præpoſito & Vocalibus ad id electis, debeat iterum examinari & approbari ad hoc, vt in Vocalium numerum poſsit adſcribi? Reſpondeo, quòd debet iterum examinari iuxta præſens Decretum, quia licet fuerit ſemel examinatus & approbatus à Præpoſito domus, & ſuis examinatoribus, nō tamen dicti examinatores fuerunt deſignati à P. Generali iuxta præſens Decretum; & ideo ad euitandum hoc nouū examen, (completo ſtudio per ſpatium trium annorum) cum primum examinari deſiderat, faciat, vt deſignentur à P. Generali examinatores.

Quarto dubitari poteſt, quomodo examinatores ſupradicti, dare debeant ſuffragium per vota ſecreta, nempe (vt vulgariter dici ſolet) ballottando, vel ſeparatim vnuſquiſque ſcribere debeat votum ſuum, & illud mittere P. Generali, ad hoc vt ipſe decidat an examinatus, ſit approbatus, vel reprobatus, vt fit in examine Theologiæ, iuxta Decretum p. 2. c. 5. nu. 10. Et ratio dubij eſt, quia in præſenti Decreto de vtroque fit mentio, abſque vlla diſcriminis ratione. Reſpondeo, quòd vtroque modo ſeruatum eſt in praxi.

De

De Definitoribus[a]. Cap. IV.

Summa Capitis IV. Conſtitutionum.

Iuramento de ſecreto ſeruando adſtringuntur P. Generalis, & Patres Definitores antequam Definitorium incipiant. nu. 1.

Definitorum officium. nu. 2.

Præpoſiti, & Viſitatores creantur per annum; Confirmari tamen poſſunt à P. Generali, & Conſultoribus vſqae ad annũ tertiũ. n. 3.

Præpoſitus non poteſt eſſe quis vltra tres annos in eadem domo, vel Ciuitate. nu. 4.

Conſanguinei in primo, vel ſecundo gradu coniuncti ne ſuccedant inter ſe in Præpoſitura, nullo interiecto anno. nu. 5.

Onera communia qui ſubire non poſſunt, ne eligantur Præpoſiti, nec Viſitatores, nec Conſultores. nu. 6.

Viſitatores eſſe non poſſunt Præpoſiti, nec Conſultores. nu. 7.

Viſitator eſſe non poteſt quis in eadem Prouincia vltra tres annos, niſi tribus alijs elapſis. nu. 8.

Præpoſiti, & Viſitatores à quibus creantur. nu. 9.

1 PATER Generalis, & Definitores à Capitulo electi iuriſiurandi vinculo ſe primum obſtringant, nullo ſe vnquam tempore dicturos, quæ in Definitorio dixiſſe, vel à Collegis audiuiſſe contigerit, quæ prolata pacem turbare, vel quoquo pacto minuere poſſe videantur. Tum diligentiſsimè perquirant, quinam ex Vocalibus, totius Congregationis, ad alios regendos

ſint

2 ſint apti. Per ſecreta deinde ſuffragia eligant
Præpoſitos ſingularum domorum,& Viſitato-
3 res binos in Prouincias ſingulas. Hi creentur
in annum: reficiantur autem [b], ſi P. Generali, b
& Conſultoribus viſum fuerit, vſque ad annũ
4 tertium. Qui Præpoſiti munere tres conti-
nuos annos [c], vel in eadem domo,vel in eadem c
Ciuitate,in diuerſis domibus functus eſt,is nec
in eadem rurſus domo, nec in eadem Ciuitate
Præpoſitus creari poterit, niſi poſt tres alios
annos elapſos. At alibi in alijs domibus poterit
is idem eligi Præpoſitus, modò in ſingulis do-
5 mibus triennium non excedat. Qui inter ſe
[d] ſunt primo, vel ſecundo gradu conſanguinei d
alius alij nullo interiecto anno, ne ſuccedat.
6 Qui ex Vocalibus non poteſt ſubire onera cõ-
munia Religionis, vtpote Chori,& communis
menſæ, Præpoſiti, & Viſitatores, ne eligan-
7 tur. Conſultoribus [e], ne Viſitatoris munus e
imponatur. Præpoſiti itidem Viſitatores, ne
8 fiant. Siquis Viſitatoris munus per tres conti-
nuos annos iam obiuit, iterum ad eandem Pro-
uinciam creari ante tres alios annos non poſsit.
9 Præpoſitus S. Sylueſtri Romæ,cum ſit Pręp-
oſitus Generalis, ac totius Religionis caput,
à toto Capitulo, vt dictum eſt, eligitur. Cæ-

teri

teri Præpoſiti creantur[f] à P. Generali, & Definitoribus, antiquitatis ſeruato ordine. Tum Viſitatores bini pro Romana, & Neapolitana Prouincia: bini pro Prouincia Galliæ Ciſalpinæ, cæterarumq; domorum. Abſoluta generális Capituli Congregatione, ſtatim Definitorum ceſſat auctoritas. f

Commentaria in Caput IV.

Summa Commentariorum ſuper Caput IV.

Definitores vtrum poſſint pœnas imponere, & alia facere, quæ non pertinent ad electionem? lit.a.

Pater Generalis non poteſt contra aliquem procedere pro culpis intellectis in Definitorio. lit.a.§.1.

In electione Præpoſitorum, & Viſitatorum, Vtrum requiratur, vt omnes Conſultores interueniant? lit.b.

Vtrum P. Generalis, & Conſultores poſſint non confirmare Præpoſitos, & Viſitatores pro ſua voluntate, ſi nulla ſit culpa ex parte Præpoſitorum, & Viſitatorum? lit.b.§.1.

Qui Vicariatum exercuit per tres annos continuos in vna domo; Vtrum vacare debeat Vicariatu per tres alios annos in eadem domo? lit.c.

Qui per duos annos cõtinuos fuit Præpoſitus in vna domo, & poſtea vacauit per vnum annum, Vtrum tranſacto illo anno, poſſit eligi in Præpoſitum eiuſdem domus? lit.c.§.1.

Qui per tres annos continuos fuit Præpoſitus alicuius domus, Vtrũ in eadem domo per tres alios annos immediatè ſequentes poſſit eligi in Vicarium? lit.c.§.2.

Conſanguinei in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, quando non poſſunt ſuccedere ſibi inuicem in officij? lit. d. & §. 1.

Religioſus in eadem, vel diuerſis Religionibus, non poteſt duas dignitates obtinere. lit. e.

Religioſus profeſſus non poteſt eſſe Prælatus alterius Religionis, quam non eſt profeſſus. lit. e. §. 1.

CVM hac Rubrica concordat alia Rubrica, quæ eſt in Decretis p.3.c.4.

a Hic primo quæri poteſt, Vtrum Definitores poſſint imponere pœnas, & facere alias determinationes, vltra electiones? Reſpondeo, quòd in Diffinitorio fit ſcrutinium omnium Patrum vocalium; in quo ſcrutinio diſcutiuntur merita, & demerita vniuſcuiuſque, vt poſſint Definitores melius cognoſcere, qui ſint eligendi ad prælaturas, & dignitates Religionis, & qui non. Et occaſione dicti ſcrutinij, aliquorũ culpæ manifeſtantur, quæ à dictis Definitoribus diſcutiuntur, non vt puniantur iudicialiter, quia non manifeſtantur hoc fine, ſed in ordine ad electionem, & ſi non obſtant, ſolent Decretum interponere, ad hoc vt imponatur ſilentiũ in futurum; ſi vero obſtant ſolent paternaliter illis prouidere, nempe vt à P. Generali, vel ab aliquo alio Prælato ſecretè verbaliter corrigatur, vt aliquis ab aliquo loco amoueatur, & in alium locum transferatur, vt aliquis Confeſſarius in alium locum, vbi non ſit admiſſus ad confeſſiones audiendas transferatur, & ibi non exponatur ad confeſſiones audiendas ad arbitrium P. Generalis, vt aliquem Prædicatorem ad munus concionandi non deputet, ad arbitrium eiuſdem Generalis, vt aliquis Confeſſarius non mittatur ad audiendas confeſſiones Monialium, vel aliarum mulierum, quæ in Congregatione viuunt, vt aliquem non deputet ad officium Magiſtri Nouitiorum, vel iuuenum, &

alijs

alijs ſimilibus modis; quæ prouiſiones licet à P. Generali, & Conſultoribus fieri poſsint, tamen factæ cum voto Definitorum habent maiorem auctoritatem, & à ſubditis in maiori æſtimatione habentur; Vnde reſpondendo ad quæſitum propoſitum, dico, quòd ſimpliciter, non poſſunt aliquem punire, nec alias determinationes facere, quæ non ſint in ordine ad electiones, cum à conſtitutionibus talem auctoritatem non habeant, ſed ex conſuetudine poſſunt facere dictas paternales prouiſiones, quæ ad bonum commune, & particularium, maximè iuuant, cùm multis malis obuietur, quæ occurrere poſſent, & ſunt potius remedia præſeruatiua, quàm punitiua.

a.§.1. Secundo quæri poteſt, Vtrum P. Generalis poſſit contra aliquem inquirere, vel punire pro culpis intellectis in Definitorio? Reſpondeo quòd non, ſi extra definitoriũ illi non fuerunt accuſati, vel denunciati, vel publica fama non ſit contra illos; & ratio eſt, quia illi qui manifeſtant dictas culpas, non intendunt illos accuſare, vel denunciare, vel diffamare, ſed tantum illas manifeſtant in ordine ad electionem, ob bonum commune, ne eligantur perſonæ indignæ. Amplius P. Generalis, & PP. Definitores antequam incipiant aliquid tractare in Definitorio iurant nullo ſe vnquam tempore dicturos, quæ in Definitorio dixiſſe, vel à Collegis audiuiſſe contigerit, quæ prolata pacem turbare, vel quoquo pacto minuere poſſe videantur.

b Reficiantur autem ſi P. Generali, & Conſultoribus viſum fuerit &c. Hic dubitari poſſet, Vtrum in electione Præpoſitorum, & Viſitatorum, vel vnius illorum, neceſſe ſit, vt interueniant omnes quatuor Conſultores, vnà cum P. Generali? Et ſi vnus deficiat, Vtrum ſit valida?

In hoc dubio duæ poſſunt eſſe opiniones, prima vt non

ſit neceſſe, vt omnes quatuor interueniant, & ſi vnus deficit electio ſit valida.

Probatur primo. Ex hoc loco conſtitutionis, in quo non dicit ſi P. Generali, & omnibus Conſultoribus viſum fuerit, ſed tantum *ſi P. Generali, & Conſultoribus*: Ergo erit verificata propoſitio, ſi maior pars Conſultorum interueniat; & cõfirmatur ex Decreto facto in Capitulo Generali anni 1618. quod eſt p.3.c.5.nu.6. in quo ſtatuitur, vt tres ſaltem Conſultores perpetuo Romæ degant, ſiue adſit P. Generalis ſiue non, & ex quatuor nonniſi vnus ad prædicandum mitti poſſit.

Secundo. In conſtitutionibus quando fit mentio de Præpoſito, & Vocalibus, de P. Generale, & Conſultoribus, ſemper intelligitur de Vocalibus, & Conſultoribus, qui ſunt præſentes conuocato Capitulo, vel conſultatione more ſolito, dato quòd in illo caſu agatur de aliquo negocio, in quo PP. Conſultores, vel Vocales habeant votum deciſiuum: Ergo eodem pacto ſeruari debet in hoc caſu.

Tertio. Anno 1617. P. Generalis D. Andreas Caſtaldus cũ vnà cum Conſultoribus electiones Præpoſitorũ, & Viſitatorum facere vellet more ſolito, poſt feſtũ ſanctiſſ. Paſchatis, vnus ex Conſultoribus noluit interuenire, ſub prætextu primo verbum faciendi cum S. Põtifice de aliquibus rebus concernentibus ad dictam electionem, & propterea proteſtabatur non eſſe procedendum ad dictam electionem antequam verbum feciſſet cum Sanctiſsimo, aliàs nullam futuram fuiſſe electionem. Et P. Generalis cum alijs tribus Conſultoribus decretum fecerunt, vt non obſtante dicta proteſtatione, eſſet procedendum ad electiones more ſolito, & ſic fuit factum; nec à Capitulo Generali (in quo diligenter fuerunt diſcuſſæ actiones dicti P. Generalis) fuerunt annullatæ dictæ electiones, in quibus dictus Conſultor non interuenit.

Secunda

Secunda opinio poteſt eſſe, (quæ eſt probabilior) vt requirantur pro forma quatuor Conſultores vnà cum P. Generali, & electio aliter facta ſit inualida, & nulla; & ratio eſt, quia quando lex dat poteſtatem alicui, qui eam alias non habet cum tali forma, ſi ille non obſeruat formam nihil facit, ita Card. in clem. 1. de iurepat. in princ. q. 7. & ibi glo. in verbo inhibentes, & Angelus in ſumma v. lex, nu. 18. verſ. tertio quando lex &c. ſed in caſu noſtro data eſt poteſtas P. Generali eligendi, & confirmandi Præpoſitos, & Viſitatores cum tali forma, vt patet tam ex Breue Clem. VIII. expedito die 13. Iunij 1595. quàm per Conſtitutiones poſtea approbatas ab eodem Clem. VIII die 28. Iulij 1604. ergo ea non obſeruata, electiones ſunt inualidæ & nullæ. Probatur minor per Breue Clem. VIII. cuius verba ſunt hæc:

Quod poſt hac Præpoſitus Generalis non poſſit ſolus vnquam nec eligere, nec confirmare, nec de loco ad locum transferre Præpoſitos, & Viſitatores; nec etiam poſſit mutare de loco ad locum Vocales anno immediatè antecedenti celebrationem Capituli (nota) niſi cum interuentu dictorum quatuor Conſultorum; qui quidem Conſultores non ſolum in caſibus in Conſtitutionibus, vt præfertur expreſſis, verum etiam in confirmatione, & mutatione, tum Præpoſitorum, tum Vocalium ſupradictis, cum eodem Præpoſito Generali votum deciſiuum habere debeant.

Confirmatur dicta minor ex conſtitutione noſtra par. 3. c. 5. §. ſi Conſultor aliquem diem ſuum obire contingat &c. vbi ordinat, vt moriente aliquo ex Conſultoribus, vel relinquente officium aliqua de cauſa, eligatur alius Conſultor

tor

tor in illius locum; & poſtea ſequuntur hæc verba, *Quòd ſi Conſultoris defectus intra tres menſes ante Capitulum accidat, Conſultoris ne fiat electio, niſi forte quis Præpoſitus intra illos menſes creandus ſit; Tunc enim ſtatim Conſultor eligatur; deinde qui ſufficiendus ſit Præpoſitus creetur*. Clarum eſt quòd moriente, vel deficiente aliquo ex Conſultoribus intra dictos tres menſes ante Capitulum Generale, poſſunt occurrere multi caſus, in quibus Conſultores habent votum deciſiuum vnà cum P. Generali, & tamen non ordinat, vt alius Conſultor eligatur, & quando tractatur de eligendo Præpoſito vult, vt primo eligatur Conſultor qui deficit, & poſtea eligatur Præpoſitus, quod eſt ſignum eius voluntatem eſſe, vt omnes quatuor Conſultores pro forma interueniant in electione Præpoſitorum, & Viſitatorum, vel alicuius ex illis.

Rationes pro contraria opinione allatæ non obſtant, quia ad primam Reſpondetur quòd dicta Conſtitutio debet intelligi iuxta Breue Clem. VIII. ex quo deducta eſt, & ad confirmationem ex Decreto, dico, quod Capitulum Generale noluit, nec potuit, dato quòd voluiſſet, aliquid ſtatuere contra dictum Breue.

Ad ſecundum reſpondetur huiuſmodi caſum eſſe diuerſum ab alijs, nam in hoc ſolo, & in tranſlatione Vocalium anno ante Capitulũ Generale proximo requiritur pro forma, vt omnes quatuor Conſultores interueniant, vt probatum eſt.

Ad tertiam rationem dico, quòd dum Conſultor fuit vocatus ad electiones faciendas, & ille noluit interuenire, nec P. Generalis, nec alij Conſultores tenebantur aliud agere, quia ex parte eorum ſeruata erat forma; & ideo licitè proceſſerunt ad electiones iuxta formam. c. quia propter 42. §. ſtatuimus de electione, ibi *Statuimus, vt cum electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent* (nota) *& volunt, & poſſunt commodè intereſſe*. Vnde reiectis

iectis contrarijs remanet firma ſecunda opinio, quæ confirmatur ex vſu, quia in tribus caſibus, in quibus facienda erat electio Pcæpoſiti, deficiente vno ex Cōſultoribus propter abſentiam, ſemper Patres Generales, qui fuerunt pro tempore. habuerunt recurſum ad Summum Pontificem, à quo per viuæ vocis oraculum obtinuerunt diſpenſationem, vt poſſent dictam electionem facere, non obſtante abſentia vnius ex Conſultoribus.

b. §. 1. Secundo hic dubitari poſſet, Vtrum P. Generalis vnà cum Conſultoribus, pro ſola eorum voluntate, poſsint non conſrmare dictos Præpoſitos, & Viſitatores electos à Diffinitorio, vel aliquem illorum, ſi ex parte Præpoſitorū, vel Viſitatorum nulla ſit culpa? Reſpondeo quòd non poſſunt abſque peccato, ſed ſi de facto faciunt, actus eſt validus. Quòd peccent, patet, quia faciunt contra rectam rationem in re graui, in præiudiciam proximi, quia non confirmando illos, vel aliquem illorum, præſupponitur culpa in non confirmato; præterea regula iuris eſt, quod ſemel approbatus in vno officio, ſeu munere, non poteſt in eodē, vel in ſimili reprobari, c. accipimus, & ibi glo. & Innoc. notant de ætate & qualitate, & idem Innoc. in c. cum venerabilis, & Abbas nu. 55. & Felin. nu. 48. & Decius nu. 150. & ſeq. de exceptionibus. Nec obſtat Cōſtitutio præſens quæ videtur reponere hoc negocium iudicio P. Generalis, & Conſultorum, ibi, *ſi viſum fuerit*, quia reſpondetur, quòd iudicium Iudicis, & Superioris debet eſſe regulatum à recta ratione, nam illa eſt menſura, & regula humanarum actionum. Et dicta verba *ſi viſum fuerit* important, vt actus ſit validus, non autem excuſant à peccato.

Vtrum ſit mortale, vel veniale dictum peccatum? Dico quod regulariter eſt mortale, quia eſt in materia graui, & in præiudicium æſtimationis tertij. Sed hæc peccata ſunt parum cognita, quia iſtæ actiones ſolent paſsionibus regi,

quæ

quæ excæcant noſtrum intellectum.

c Qui Præpoſiti munere tres continuos annos &c. Hic primo quæri poſſet, Vtrum hæc Conſtitutio quæ loquitur de Præpoſitis, habeat etiam locum in Vicarijs? Reſpondeo quod ſic, quia cum ſit eadem ratio, eadem debet eſſe iuris diſpoſitio. c. dudum de elect. il 2. & c.cum dilecta, de confirm. vtil. vel inut. l. illud ff.ad legem aquiliam. Et ratio comprehendit omnes caſus etiam non expreſſos in lege, & Conſtitutione. l.his ſolis, c. de reuoc. donat. Cardin. Pariſius conſil.83.nu.21.vol.3.Decius conſ. 284. col. 2. præterea ſubrogatum ſapit naturam illius in locum cuius ſubrogatur, c. Eccleſia,extrc vt lite pendente. Nauar.conſil.76. de Regular.nu.6. Menoch. de arbit.iudic. lib.1.q.80.nu.110.

c.§.1. Secundo quæri poſſet, ſi N. per duos annos continuos fuiſſet Præpoſitus alicuius domus,& poſtea per vnũ annum vacaret, Vtrum elapſo illo anno poſsit eligi iterum in Præpoſitum eiuſdem domus, & confirmari per tres annos continuos?

Reſpondeo quod poſſet, quia ad hoc vt debeat vacare per tres annos, debet exercuiſſe officium Præpoſituræ per tres annos continuos in eadem domo, vel Ciuitate: & ita fuit in praxi obſeruatum in domo Sanctorum Apoſtolorũ, & in domo Sanctæ Mariæ Angelorum Neapoli anno 1607.

c.§.2. Tertio quæri poteſt, Vtrum ille, qui per tres annos continuos fuit Præpoſitus alicuius domus, poſsit in eodem domo, per tres alios annos immediatè ſequentes eligi in Vicarium? Et è contra, Vtrum ille,qui per tres annos continuos fuit Vicarius alicuius domus,poſsit per alios tres annos immediatè ſequentes eligi in Præpoſitum eiuſdem domus? Reſpondeo quod poteſt, quia à nulla lege id prohibetur.

d Qui

d Qui inter ſe &c. Hic primo dubitari poteſt, ponamus quod Petrus, & Andreas ſint coniuncti in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, & Petrus fuiſſet Præpoſitus per duos annos cōtinuos in domo Sanctorum Apoſtolorum Neapoli, nempe anno 1620. & 1621. & anno immediate ſequente, nempe anno 1622. eſſet Præpoſitus alterius domus noſtræ Religionis, nempe S. Pauli, Vtrum Andreas eius conſanguineus poſsit anno 1623. eligi in Præpoſitum Domus S. Mariæ Angelorum, vel Sanctorum Apoſtolorum? Reſpondeo quod non, quia Petrus fuit Præpoſitus per tres annos continuos in eadem Ciuitate, & licet fuerit in diuerſis domibus, tamen eadem ratio procedit in iſto caſu, ac ſi fuiſſet in eadem domo, vt patet ex eadem Conſtitutione p. 3. c. 4. verſ. qui Præpoſiti munere, ibi, *in eadem domo, vel in eadem Ciuitate in diuerſis domibus*.

d §. 1. Secundo dubitari poteſt, ponamus quod Petrus, & Andreas ſint fratres in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, & Petrus per vnum annum fuerit Præpoſitus in domo noſtra S. Vincentij Placentiæ, Quæritur nunc, Vtrum Andreas poſsit eligi Præpoſitus eiuſdem domus anno immediate ſequente? Reſpondeo affirmatiuè, quia quamuis Conſtitutio dicat *nullo interiecto anno, ne ſuccedat*, intelligitur quando Petrus fuiſſet Præpoſitus per tres annos continuos eiuſdem domus, vel Ciuitatis.

Aduertendum eſt etiam in eodē loco, quod illa verba, *nullo interiecto anno*, demonſtrant, quod vno interiecto anno, alter poteſt ſuccedere in Præpoſituram, conſanguineo in primo, vel ſecundo gradu, dato quod primus fuerit Præpoſitus per tres annos cōtinuos eiuſdem domus; Vnde iſte caſus eſt diuerſus ab illo, qui notatur in conſtit p. 3. c. 4 verſ. *Qui Præpoſiti munere*.

Et quod dictum eſt de Præpoſitis ſeruandum eſt etiam

Qq de

de Viſitatoribus, quia eadem eſt ratio, & Conſtitutio quod ſtatuit in vno, ſtatuit etiam in altero, vt patet in hac eadem p. 3. c. 4. verſic. *Siquis Viſitatoris munere*. & idem dicendum eſt de Vicarijs ex identitate rationis.

e Conſultoribus ne Viſitatoris munus imponatur. Præpoſiti itidem Viſitatores ne fiant. Sciendũ eſt, quod Religioſus de iure, in vna & eadẽ Religione, ſeu diverſis, non poteſt duas dignitates, ſeu prælaturas habere, c. de multa de præben. c. fin. 25. q. 2. Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 4. ſub decreto de reformatione, & ſeſſ. 24. cap. 17. & quod in prædictis iuribus determinatur de beneficijs ſecularibus, intelligendum eſt etiam de officijs, & dignitatibus Regularibus, vt patet ex Conc. Trid. vbi ſupra ſeſſ. 24. c. 17. verſ. *Neque non modo ad Cathedrales eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia tam ſecularia, quàm Regularia quæcunque, etiam commendata pertineat &c.* & docet Ludouic. Miranda in ſuo man. Prælat. to. 2. q 3. ar. 3.

e. §. 1. Sciendum eſt etiam (hac occaſione) quod nullus Religioſus profeſſus vnius Religionis poteſt eſſe Prælatus alterius Religionis, quam non fuerit ſolemniter profeſſus. ita expreſsè habetur in clem. 1. de electione. & docet Ludou. Miranda in ſuo mani prælat. t. 2. q. 3. ar 4.

f Cæteri Præpoſiti creantur &c. Hic dubitari poteſt, An Præpoſiti, & Viſitatores poſſint renunciare ſuis officijs, & dictæ renunciationes poſſint acceptari, vel non acceptari à P. Generali, & Conſultoribus? Vide ſupra hac eadem p. 3. c. 3 comment. 2. verſ. Renunciationes factæ à Præpoſitis, vſque ad finem dicti commenti.

De Electione, & auctoritate Patrum Conſultorum. Cap. V.

Summa Capitis V. Conſtitutionum.

Conſultores eliguntur per Generale Capitulum. Et ſunt quatuor numero, & durant per triennium. nu. 1.

Vnus ex eis ſolus refici poteſt per aliud triennium. nu. 2.

Eorum poteſtas. num. 3.

In quibus rebus habent votum deciſiuum. nu. 4.

Viſitationis tempore P. Generalis cum conſilio Viſitatorum poterit expedire negocia quæ celeritate indigent. nu. 5.

Conſultore deficiente per mortem, vel per aliam cauſam, qui poſſunt alium eligere. nu. 6.

Et quando teneantur eligere. nu. 7.

Conſultor pro Generali Capitulo electus ſi moriatur, quid agendum ſit. nu. 8.

Domicilium nouum quomodo acceptandum, vel acceptatum repudiandum ſit. nu. 9.

Viceprępoſiti S. Syluestri ceſſat auctoritas per obitum P. Generalis, vel eius muneris abdicationem. nu. 10.

Conſultor profeſſione ſenior vicem obtinet P. Generalis ſi mori cõtingat, vel munus abdicare: Ne ſedeat tamen in Generalis loco. num. 11.

Quid facere debeat hoc tempore. nu. 12.

Ius ingrediendi Generale Capitulum non habet, niſi more ſolito eligatur. nu. 13.

1 SINGVLIS triennijs à Capitulo Generali eligantur quatuor Conſultores [a], vt ſupradictum eſt, qui a
Patri Generali intra trienniũ prę-
ſto ſint: eiq; in his, quæ ad regimen Congre-
2 gationis pertinent, opitulentur. Vnus eorum tantummodo, per aliud triennium à Capitulo Generali refici poterit: reliqui tres de nouo creentur. Hi nullum ius habent præcedendi [b] b
Patres reliquos, ſed in profeſsionis ſuæ loco
3 ſint. Quotannis poſt Paſcha [c] vnà cum Patre c
Generali, perſpectis rebus, quas, vel in Actis Viſitationis repererint, vel à Viſitatoribus, aut aliunde renuciatæ fuerint, deliberent quis Prępoſitus, aut Viſitator reficiendus, quis amouẽdus à munere, quis in amoti, vel demortui lo-
4 cum ſit ſufficiendus. Nam licet tota facultas regendæ Congregationis ſit penes P. Generalem, tamen in huiuſmodi rebus exequendis, & in Conſtitutionibus pro re graui, declarandis, ſi quæ forte dubitationes oriantur, ac in pœnis grauioribus imponendis, Conſultorum conſenſus [d] adhibeatur. d

5 Si dum P. Generalis [e] autumnali tempore, e
vt fit, vnà cum conſuetis Prouinciæ Viſitatoribus, domum quampiam extra Vrbem viſitauerit,

rit, res grauis, aut conſultatione digna pro ipſamet Viſitatione, aut pro quouis alio negotio nata fuerit, expectare oportebit tantiſper, dum Romam reuerſus cum ſuis Conſultoribus deliberet. At ſi celeritate opus ſit, & res differri minimè poſsit, de conſenſu P. Viſitatorum, qui Conſultorum eo caſu loco ſint, rem totam expediet.

6 Si Conſultorum aliquem diem ſuum obire, [f] vel munus quauis ratione contingat depone- f
re, P. Generalis conuocet præter Conſultores reliquos, Præpoſitum S. Andreæ, & Vicepræpoſitum S. Syluestri [g]; & vnà cum illis per ſe- g
creta ſuffragia de conſenſu maioris partis in demortui, vel abdicati Conſultoris locum ſufficiat alterum.
7 Quod ſi Conſultoris defectus intra tres menſes ante Capitulum accidat, Cõſultoris, ne fiat electio, niſi forte quis Præpoſitus intra illos menſes creãdus ſit. Tunc enim ſtatim Conſultor eligatur: deinde qui ſufficiẽdus ſit Præpoſitus creetur.
8 Si Conſultor ad Generale Capitulum electus, intra dictos tres menſes ante Capitulum moriatur: ſi quidem non ſit creandus aliquis Præpoſitus, Conſultoris electio ne fiat: ſed reliqui Conſultores, quinam ex eis Capitulum ingrediatur eligere

poterunt,

poterunt, modo ne Capitulum poſt meridianam orationem cæptum ſit.

9 Si ad aliud domicilium alicubi collocandum euocabimur, P. Generalis rem omnibus Præpoſitis, & Vocalibus impertiat: Hi re maturè conſiderata, quid ſibi viſum fuerit, reſcribant. Acceptis literis P. Generalis conuocet Conſultores, ac Præpoſitos, qui vel ibi præſto fuerint, vel longius non abfuerint quàm quinquaginta millibus paſſuum: tum de ſententia maioris partis, locum, aut recipiat, aut reſpuat. Itidē fiat, ſi qua domus intra triennium poſtquam recepta in Congregationem fuerit, erit repudianda: nam expleto triennio, Capitulum expectabitur.

10 Per P. Generalis obitum, aut eius muneris abdicationem, Vicepræpoſiti S. Syluestri ceſſat auctoritas, iſque in profeſsionis ſuæ locum ſta-
11 tim redit. Ex Cōſultoribus profeſsione ſenior, Patris Generalis vicem obtineat. Primus omnium domi ſuæ ſedeat, ſed non in Generalis
12 loco. Si P. Generalem diem ſuum obire, aut quauis alia ratione ſedem eius vacare contingat, Patres cuiuſque domus publicis ſtatim literis faciat certiores. Capitulum, die cum Collegis conſtituta, quàmprimum conuocet:

menſes

menſes tamen Iunium, Iulium, & Auguſtum
ob acres calores intermittat. Vocales de domo
in domum ne transferat: quòd ſi id fieri neceſ-
ſitas coegerit, fiat poſt electionem Vocalis, qui
ad Capitulum veniat. Quæ in Capituli Gene-
ralis tempus differri poterunt, differat: Quæ
celeritate opus habent, vnà cũ cæteris Conſul-
13 toribus deliberet, & expediat. Generale Ca-
pitulum ingrediendi ius ne habeat, niſi à ſuis
Vocalibus, vel Collegis, de more eligatur.

Commentaria in Caput V.

Summa Commentariorum ſuper Caput V.

Si aliquis Conſultor extra Vrbem, & in aliqua domo noſtræ Religionis delictum committeret, Vtrum Præpoſitus illius domus poſſet illum punire? lit. a.

Conſultores quo loco ſedere debeant. lit. b.

Electiones Præpoſitorum &c. quando fieri debeant à P. Generali, & Conſultoribus? lit. c.

Annus Præpoſituræ intelligitur de anno Eccleſiaſtico, & non ſolari. lit. c. §. 1.

Conſultores in quibus caſibus habeant votum deciſiuum, & in quibus conſultiuum. lit. d.

Conſultores quam auctoritatem habent dum P. Generalis eſt abſens ab Vrbe. lit. e.

Conſultores in foro conſcientiæ Vtrum habeant aliquam facultatem quando P. Generalis eſt abſens ab Vrbe? lit. e. §. 1.

P. Gene-

P. Generalis Vtrum propria auctoritate poſſit conſtituere Vicarium Generalem cum plena poteſtate ? lit.e.§.2.

In caſu abſentiæ, vel infirmitatis ad longum tempus,Vtrum licitum ſit eligere alium Conſultorem , ipſo conſentiente , & renunciante ? lit. f.

Vicepræpoſitus S. Sylueſtri de Vrbe ſi ſit Conſultor,Vtrum in electione Conſultoris , ſi caſus occurreret,habeat duo vota, vel vnum ? litera g.

Si occurreret caſus eligendi Conſultorem, , & Vicepræpoſitus S. Sylueſtri eſſet mortuus., Vtrum P. Generalis poſſit eligere Vicepræpoſitum ante electionem Conſultoris ? lit.g.§.1.

Si occureret caſus eligendi Conſultorem, an Electores poſſent eligere Præpoſitum S. Andreæ de Vrbe , vel Vicepræpoſitum S. Sylueſtri in Conſultorem ? lit g.§.2.

Si aliquis Præpoſitus migraret è vita infra tres menſes ante Capitulum Generale , Vtrum P. Generalis , & Conſultores teneantur eligere alium Præpoſitum ? lit.g.§.3.

Et quid ſi eſſent diſcordes ? lit.g.§.4. & 5.

Conſultor cui domui acquirat. quod ei donatum eſt , quando extra Romam reperitur ? lit.g.§.6.

Quando Conſultor extra Romam reperitur in aliqua ex noſtris domibus, Vtrum poſſit abſque licentia Superioris illius domus aliquid donare ? (loquor in ea quantitate, quæ non ſit prohibita) dum in illo loco non adeſt P. Generalis ? lit.g §.7.

Si extra Vrbem eſſet P. Generalis cum vno Conſultore, Vtrum in negocijs agendis requiratur vt omnes tres Conſultores concurrant in eodem voto ? lit.g.§.8.

a COnſultores. Hic quærere aliquis poſſet, ſi aliquis Conſultor extra Vrbem , & in aliqua domo noſtræ Religionis delictũ committeret (quod abſit) Vtrum Præpoſitus illius domus poſſet illum punire ?

Et

Et prima fronte videtur dicendum quod ſic, primo per Decretum Capituli Generalis anni 1610. quod eſt par. 2. cap 7. nu. 1. tenoris ſequentis, *Qui ad aliam domum ſe confert, ſiue vt alio ſe transferat, ſiue negociationis alicuius cauſa, Præpoſito eius domus ſubſit, non ſecus, ac ſi in aſſignata ſibi domo eſſet*. Vnde cum ſit ſubditus Præpoſiti illius domus, in qua deliquit, poterit Præpoſitus de illo cognoſcere.

Secundo, ſublato dicto Decreto, ad huc puniri poſſet à Præpoſito domus, & ratio eſt, quia ratione delicti efficitur ſubditus, & ſortitur forum loci, in quo deliquit, c. fin. de foro competenti. Vnde vt diximus Epiſcopus delinquens in aliena Diœceſi, efficitur, ſubditus, & puniri poteſt ab Archidiacono habenti iuriſdictionem in loco delicti. c. cum inferior, vbi Abbas, & Felin. de maior. & obed.

In contrariũ vero eſt veritas, quod non poſsit cognoſci, & puniri à Præpoſito. Et ratio eſt, quia Cõſultores iuriſdictione, ac adminiſtratione non ſolũ Præpoſitis, verũetiam Viſitatoribus ſunt ſuperiores: cum à ſententijs Viſitatorum appelletur ad eos, & iuriſdictionem habent tum in Viſitatores, tum etiam in Præpoſitos. Appellatio enim datur in noſtra Religione à Præpoſitis ad Viſitatores, & à Viſitatoribus ad P. Generalem, & Conſultores, vt patet in Decretis Capitulorum Generalium p. 3. c. 9. nu. 7. 8. & 9. Ergo cũ appellatio detur à minori Iudice ad maiorem l. 1. §. ſi quis in appellatione, & ibi glo. & Doctores. ff. de appellat. Thuſcus v. Appellatio, concl. 349. & iuriſdictio non exerceatur in ſuperiorem quo ad iuriſdictionem, ſed in inferiorem dumtaxat, vt in c. cum inferior 21. diſt. & late Card. Thuſc. in v. Par in parem, concl. 89. nu. 28. & Scac. de appellat. q. 2. art. 1. nu. 10. ſequitur quod Conſultor delinquens in domo alicuius Præpoſiti localis, non poſſit à dicto Præpoſito cognoſci, & puniri, quia licet dignitate ſit inferior Præpoſito, iuriſdictione tamen eſt ſuperior, & cognoſcere de delicto,

& punire, eſt actus iuriſdictionis, & non dignitatis. Præterea Conſultores, Præpoſitos, ac Viſitatores quotannis reficiunt, & deliberant, quis ſit amouendus, quis vero reficiendus, & ſi delinquunt, à P. Generali, & Conſultoribus puniri poſſunt, & in pœnis grauioribus imponendis habent votum deciſiuum vnà cum P. Generali. Vnde cum ſupremam iuriſdictionem habeant in totam Religionem, ſequitur, quod à Præpoſitis localibus cognoſci, & puniri non poſſint, ſi aliquis illorum delinquat, ſed à P. Generali, & cæteris Conſultoribus.

Nec in contrarium adducta obſtant, & ad primum reſpondetur, quod illud Decretum intelligitur de Præpoſitorum ſubditis dumtaxat, qui ex vna domo in aliam ſe transferunt, non autem de Conſultoribus, ac Viſitatoribus quo ad eorum criminum cognitionem, quia omnis diſpoſitio ſimpliciter, ac generaliter prolata, ſecundum ius commune debet intelligi, vt habetur per Card. Thuſcum poſt alios in v. Diſpoſitio, concl. 501. nu. 1. at de iure communi non poteſt inferior ſuperiorem quo ad iuriſdictionem iudicare, per tex. in c. cum inferior. 21. diſt. ſicut nec par in parem imperium habet, l. nam & magiſtratus, ff. de arbitris. Surdus conſil. 47. nu. 8. & Thuſcus in verb. Par in parem, concl. 89. nu. 28. Ergo Dictum Decretum non comprehendit Conſultores, & Viſitatores.

Præterea Generalis diſpoſitio non extenditur ad ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. c. fin. de off. Vicarij, c. ſi Epiſcopus de pœnit. & remiſſ. in 6. c. in generali de reg. iur. in 6. At veriſimile non eſt Capitulum Generale Conſultores ſub dicto Decreto voluiſſe comprehendere, cum non ſolum iuris diſpoſitioni, ſed etiã rectæ rationi repugnet, vt inferior iuriſdictione, ſuperiorẽ in iuriſdictione, ac in adminiſtratione iudicet. Ergo Cõſultores ſub dicti decreti generalis diſpoſitione non cõprehenduntur.

Ad

Ad ſecundum dico; quòd tunc quis efficitur ſubditus ratione delicti, quando ille, qui delinquit non habet iuriſdictionem ſupra Iudicem loci, in quo deliquit; ſecus vero quando habet iuriſdictionem ſupra Iudicem loci delicti, Vnde vt dictum eſt Archiepiſcopus delinquens in Diœceſi ſuffraganei ſui, quia eſt Iudex appellationis ſententiarum ſuffraganei, non poteſt cognoſci neque puniri à ſuffraganeo. ita Abbas, & Felinus nu. 3. in c. cum inferior, de maior. & obed. ſic etiam eſt in caſu noſtro.

b Hi nullum ius habent præcedendi Patres reliquos &c. Diuerſo modo eſt ordinatum per Decretum Capituli Generalis anni 1621. quod eſt p. 3. c. 8. nu. 1. & Decretum anni 1627. quod incipit *Decretum anno* &c. die 8. Maij, quæ vide.

c Quotannis poſt Paſcha &c. Ideſt poſt diem Reſurrectionis Dominicæ, (non obſtante quod Capitulum Generale incipi ſoleat 18. die poſt dictum diem Paſchatis, vt patet ex conſtit. p. 3. c 2. §. *Dies conſtituta* &c.) Nec differri debet vltra dies ſtatuta pro Capitulo Generali, abſque graui cauſa.

c. §. 1. Et intelligi debet de anno Eccleſiaſtico, & non ſolari. Vnde licet Præpoſitorum commiſſiones, ſeu patentæ fiant per annum, poſſunt tamen Præpoſiti, & Viſitatores refici ſtatim poſt Paſcha, elapſo anno Eccleſiaſtico, licet annus ſolaris non ſit completus, & ita fuit declarata præſens Conſtitutio ab A.R.P. Generali D. Vincentio Giliberto, & ſuis Conſultoribus anno 1622. die 6. menſis Aprilis.

d Conſultorum conſenſus adhibeatur. In quibus caſibus Conſultores habeant votum deciſiuum, &

in quibus conſultiuum, vide in fine Commentariorum in Appendice.

c Si dum P. Generalis &c. Hic dubitari poteſt, primo, quam auctoritatem habeant Patres Conſultores, dum P. Generalis eſt abſens ab Vrbe Romæ, vel Viſitationis gratia, vel alia de cauſa?

Reſpondeo, quod facere poſſunt illa omnia, quæ dilationem non patiuntur vſque ad redditum P. Generalis, & ita ſemper fuit obſeruatum. & probatur etiam ex Conſt. par. 3. c. 5. §. *Per Patris Generalis obitum*, verſ. *Quæ in Capituli Generalis tempus differri poterunt* &c. niſi P. Generalis maiorem eis dederit facultatem.

e. §. 1. Vtrum autem in foro conſcientiæ habeant aliquam facultatem? Reſpondeo affirmatiuè in illis caſibus, qui differri non poſſunt, vt exempli gratia, poſſunt alicui concedere licentiam, vt abſoluatur à caſibus noſtris Superioribus reſeruatis, vt poſſit ſibi eligere Confeſſarium ex noſtris patribus vltra deſignatis à Præpoſitis, & ipſi Conſultores poſſunt audire confeſſiones noſtrorum fratrum ex qualibet domo Romæ, tempore ſupradicto abſentiæ P. Generalis ab Vrbe, & quilibet illorum poteſt ſupradicta facere, quia iuriſdictio fori interioris cum in ſecreto, & ſub ſigillo exerceri debeat, non cõuenit, vt ille, qui ſalute animæ ſuæ rei alicuius indiget, ſe manifeſtet pluribus. Et ita declaratum fuit à P. Generali D. Vincentio Giliberto, & ſuis Conſultoribus, vt mihi retulit P. D. Thomas de Afflicto Conſultor.

e. §. 2. Secundo dubitari poteſt, Vtrum P. Generalis poſſit propria auctoritate conſtituere Vicarium Generalem cum plena poteſtate, vt dum eſt abſens ab Vrbe Romæ eius gerat vices? Et prima fronte videtur dicendum quod ſic, primo quia P. Generalis habet poteſtatem ordinariam.

Ergo

Ergo poteſt delegare ſuam facultatem c.fin.de offic.Ordinarij, Sylu.v.delegatus num.2. Secundo hoc facere poſſunt Præpoſiti particulares in ſuis domibus, vt patet ex Conſtitutionibus noſtris p.3.c.9.§.*In ſingulis domibus*. Ergo & proportionaliter Præpoſitus Generalis in tota Religione.

Tettio, Religioſi per profeſſionem totam ſuam voluntatem in Generalem tranſtulerunt: Ergo acquieſcere debent eius voluntati.

Quarto, Vtrum P. Generalis poſſit hoc facere, vel non facere, ſaltem dubium eſt, ſed in omni dubio debet ſubditus obedire ſuo Prælato, vt docet S. Bonauent. in 2.ſenten. diſt.39.art.1.q.3.ad vltimum. Syl. v.Bellum.1.q.9. verſic. Tertia &c. & verſic.Quarta &c. & alij quos refert Sayrus in lib.1.clauis regiæ cap.13.nu.37. Ergo ſi P. Generalis de facto conſtitueret dictum Vicarium Generalem, ſubditi tenerentur illi obedire.

His tamen non obſtantibus oppoſitum dicendum arbitror.

Primo, quia ſi P. Generalem mori contingat,aut aliqua occaſione ſuo munere ſe abdicare, Conſultor profeſſione ſenior eius vices gerit, & vnà cum alijs Conſultoribus debet negocia,quæ celeritate opus habent expedire, vt patet ex noſtris Conſtit. p.3. c.5. §. *Per Patris Generalis obitum* &c. Ergo ex identitate rationis in eius abſentia, idem vnà cum alijs Conſultoribus debet negocia expedire, cum à Conſtitutione ſit deputatus, & non alius à Generale conſtitutus.

Secundo, ex Conſtitutione p.3. cap.9. §.*cum vocales*,verſ. *ne liceat Præpoſitis* &c. Non licet Præpoſitis res nouas inducere, aut veteres noſtræ Congregationis conſuetudines immutare, ſed hæc eſt res noua, & conſuetudo noſtræ Cõgregationis eſt, vt abſente P. Generali ab Vrbe Romæ Cõſultores expediant negocia, quæ differri non poſſunt vſque ad redditum P. Generalis. Ergo non licet P. Generali, Vicarium

carium Generalem ſupradicto modo conſtituere. Nec obſtat dicere quod Conſtitutio loquitur de Præpoſitis localibus, quia eadem ratio procedit in Præpoſito Generali, & proptcrea eadem iuris diſpoſitio eſſe debet.

Tertio, quando Capitulum Generale eligit Præpoſitum Generalem, conſiderat, & eligit induſtriam perſonæ; ſed conceſſa alicui ob induſtriam perſonæ non poſſunt impleri per alium, vt docet Baldus in conſil.165. proponitur quod, lib.5. Ergo P. Generalis non poteſt exercere ſuum officium per alium, & per conſequens non poteſt conſtituere Vicarium Generalem cum plena poteſtate.

Quarto, P. Generalis vnà cum Conſultoribus facit vnũ tribunal. Ergo non licet ei dictum tribunal à Conſtitutionibus conſtitutum, & à S. Pontifice approbatum, immutare, vel alterare.

Quinto Papa non poteſt ſibi Vicarium conſtituere, eiq; totam ſuam facultatem præbere, vt innuunt Suarez de legibus lib.4.c.6.nu.22.Salas de legibus tract.8.diſput.19.nu.93. Iacobat.de concil.lib.4.ar.3.nu.4.Azor.p.2.inſt.moral. lib.4.c.12.& alij. Ergo neque Generalis propria auctoritate poteſt Vicarium cum plena ſua poteſtate conſtituere; Probatur conſequentia, quia Papa ideo non poteſt huiuſmodi Vicarium conſtituere, quia ſuam poteſtatem accepit à Chriſto, qui poteſtatem non duobus, ſed vni contulit dicens, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã, paſce oues meas*. ſed hæc ratio cum proportione militat in Generali, cuius induſtria in Capitulo Generali electa eſt, eiq; ſoli cum Conſultoribus data fuit ſuprema poteſtas in Religione: Ergo non poteſt contra voluntatem Capituli Generalis Vicarium ſibi conſtituere, cum dicta plenitudine poteſtatis. In contrarium vero abducta non obſtant, &

Ad primum Reſpondetur, quod verum eſt, quod poteſt delegare, ſed non totam facultatem ſuam in vno ſubiecto,

ſicut

ſicut nec Epiſcopus, nec etiam S. Pontifex, vt dictum eſt in quinta ratione.

Ad ſecundum Negatur conſequentia,& ratio negationis eſt, quia Conſtitutiones conſtituerunt Vicarios Præpoſitis domorum particularium, vt in eorum abſentia domos gubernarent,ſed Præpoſito Generali conſtituerunt Conſultores, & non Vicarium cum plenitudine poteſtatis.

Ad tertium Reſpondetur, Religioſos tranſtuliſſe ſuam voluntatem in Generalem, circa ea, quæ ad Regularem obſeruantiam ſpectant, & non circa illa, quæ ſunt præter Regulam, vel ſupra Regulam.

Ad quartum Declaro minorem, tunc ſubditum teneri obedire Prælato in dubio, quando per id, quod præcipit non imminet periculum bono publico, vel tertiæ perſonæ, & non excedit limites poteſtatis ſuæ, ſed in caſu noſtro, excedit limites poteſtatis ſuæ, & eſt in detrimentum publici boni, & tertiarum perſonarum, nempe Conſultorum, vnde non tenentur ſubditi obedire.

f Diem ſuum obire &c. Hic quæri poteſt, Vtrum in caſu longæ infirmitatis, vel abſentiæ ab Vrbe poſſent eligere alium Conſultorem? Reſpondeo quòd non, etiam ipſo Conſultore conſentiente, & renunciante, quia per præſentem Conſtitutionem ſolum in caſu mortis, vel depoſitionis tribuitur facultas eligendi alium, ſed in his,& ſimilibus caſibus recurrendum eſt ad Summum Pontificem.

g Vicepræpoſitus S. Sylueſtri &c. Hic dubitari poteſt, Primo, ſi Vicepræpoſitus ſit Conſultor, Vtrum in electione Conſultoris habet duo vota, vel vnũ? Reſpondeo duo, & ratio eſt, quia dum vices plurium perſonarum gerit, plures voces habet. c. cum inter, il 2. de electione, in fine dicti c. Nec eſt iuri, vel rationi contrarium, vnum

diuerſo

diuerſo iure, diuerſis vti ſuffragijs.c.cum olim, de ſent. & re iudic. & ibi Innoc. in princ. Panor.nu.2.Felin.nu.1. & 2. & Io. Andreas in dicto c. cum olim, dicit, quòd dum duo iura concurrunt in eadem perſona, quorum quodlibet producit ius vocis dandæ, debet talis perſona habere duas voces, arg. ex c. ex literis, de præbendis, & l. ſi Conſul. ff. de adopt. & hanc opinionẽ vltra Doctores ſupradictos tenent alij quos refert, & ſequitur Garzias de benefic. par.11.c.5. nu.211. & Azorius t.2. inſtit.moral.lib 3.c.11.q.19.

g.§.1. Secundo dubitari poteſt, ſi Conſultor mortuus, ſuiſſet etiam Vicepræpoſitus, Vtrum poſſet aut deberet P. Generalis eligere alium Vicepræpoſitum in locum mortui, antequam deueniretur ad electionem Conſultoris mortui? Reſpondeo quòd poteſt, & debet eligere Vicepræpoſitum ad hunc effectum ad hoc, vt adimpleri poſſit forma data à Conſtitutione, quæ vult, vt interueniat Vicepræpoſitus etiã in electione Conſultoris in hoc caſu, & confirmatur ex eadem Conſtitutione paulò poſt verſ. *Quod ſi Conſultoris defectus* &c. vbi vult Conſtitutio, quòd ſi contingat mori Conſultorem intra tres menſes ante Capitulum Generale, ne fiat electio alterius Conſultoris, niſi forte quis Præpoſitus intra illos menſes creandus ſit; Vnde mens Conſtiturionis eſt, vt in electione Conſultoris interueniant omnes perſonæ nominatæ in Conſtitutione.

g.§.2. Tertio dubitari poteſt, Vtrum electores poſſint eligere in locum Conſultoris mortui, Præpoſitum S. Andreæ Romæ, vel Vicepræpoſitum S. Syluestri Romæ? Reſpondeo, quòd poſſunt, ſed eligendo Præpoſitũ S. Andreæ, manet in eius voluntate acceptare, vel non acceptare officium Conſultoris. Et ratio eſt, quia dum eſt Præpoſitus non poteſt priuari officio Præpoſituræ in cuius eſt poſſeſſione, abſque ſuo conſenſu, & dicta duo officia in eodem ſubiecto eſſe non poſſunt ex vſu Religionis; ſi verò Vicepræpoſitus

præpoſitus eſſet electus Conſultor, poſſet retinere vtrumque officium, ſicut pluries eſt vſu receptum in Religione.

g.§.3. Quarto dubitari poteſt, ſi aliquis Præpoſitus migraret è vita infra tres menſes ante Capitulum Generale, & P. Generalis, & Conſultores nollent eligere nouũ Præpoſitum, Vtrum teneantur eligere? Reſpondeo quòd non, quia nulla lege aut conſtitutione ad id obligantur, dum à Capitulo Generali de proximo eſt creandus nouus Præpoſitus, ſecus verò ſi vltra tres menſes præpoſitura vacare contingeret, c. ne pro defectu, de elect.

g.§.4. Sed quid dicendum ſi P. Generalis nollet eligere nouum Præpoſitum, & Conſultores ſic, Vtrum P. Generalis teneatur facere electionem? Reſpondetur quòd non, ſi eccleſia non vacaret vltra tres menſes, quia nulla lege ad id obligatur, nec Patres Conſultores poſſunt facere dictam electionem abſque P. Generali, cum non habeant dictam facultatem, niſi quando à P. Generali ſunt congregati ad dictum effectum, quia cùm ſit caput Collegij ad ipſum ſpectat tractanda proponere.

g.§.5. Sed quid dicendum è contra, ſi P. Generalis vellet eligere nouum Præpoſitum, & Conſultores non, Vtrum teneantur Conſultores nouam electionem facere? Reſpõdetur affirmatiuè, quia ad P. Generalem principaliter ſpectat prouidere eccleſiam viduatam de Rectore, nec poſſunt Conſultores electionem impedire; nam licet ex iuris indulgentia, trium menſium tempus detur ad faciendam electionem, tamen negari non poteſt melius eſſe illam ſtatim facere.

g.§.6. Quinto dubitari poteſt, cui domui acquirat conſultor, quod ei donatum eſt, quando extra Romam reperitur, Domui ne S. Syluestri, an Profeſſionis? Reſpondeo breuiter, domui S. Syluestri, quia eo ipſo quòd eſt electus in Conſultorem à Capitulo Generali, intelligitur aſſigna-

tus domui S. Syluestri in qua debet reſidere vnà cum P. Generali, & alijs Conſultoribus, & quia ab illa alimentantur, ad illam pertinent, quæ ab illo acquiruntur. ſecus verò ſi aliqua hæreditas, vel legatum eſſet ei relictum, vel donatio inter viuos eſſet ei facta, quia acquireretur domui profeſſionis, vt patet ex Decreto p.2.c.1.nu.2. *Annus cenſus &c.*

g.§.7. Sexto dubitari poteſt, quando Conſultor extra Romam reperitur, & vellet aliquid donare alicui fratri noſtræ Religionis, vel alicui extra Religionem (loquor in ea quantitate, quæ non ſit prohibita à Pontificum Conſtitutionibus, & Decretis) Vtrum poſſit abſque alia licentia, dum in eo loco non adeſt P. Generalis? Reſpondeo quòd poteſt, quia eſt Prælatus, & ibi non habet Superiorem; & idem dicendum eſt de Viſitatoribus tempore viſitationis, & de illis rebus, quæ eis donatæ ſunt non vt Viſitatores ſunt, nec à Viſitatis: nam tunc ſunt Prælati, nec in illo loco alicui ſubduntur.

In Decretis par.3.cap.5.nu.6. adeſt præſens Decretum, Tres ſaltem Conſultores perpetuò Romæ degant, ſiue adſit P. Generalis, ſiue non, & ex quatuor nonniſi vnus ad prædicandum mitti poſſit.

g.§.8. Si extra Vrbem eſſet P. Generalis cum vno Conſultore, Vtrum in negocijs decidendis requiratur, vt omnes tres Conſultores concurrant in eodem voto, vel duo ſufficiant, quæ eſt maior pars ex tribus, qui Romæ reſident? Reſpondeo, quòd collegium Conſultæ remanet in illis tribus, qui Romæ reſident, & ideo maior pars illorum, qui Romæ reſident concluſionem faciunt.

De

De Cognitoribus Cauſarum. Cap. VI.

Summa Capitis VI. Conſtitutionum.

Iudices cauſarum tempore Capituli Generalis, quam auctoritatem habent. nu.1.

EX ijs qui interſunt Capitulo, duo
vel tres Patres eruditi (ſi videbi-
tur) conſtituantur, qui de cauſis
ad Capitulum delatis, & contro-
1 uerſijs ortis cognoſcant. Ij res cognitas, totius
Capituli iuſſu, vel apud Definitores, vel apud
vniuerſum Capitulum narret paucis. Dimiſſo
Capitulo eorum ceſſat auctoritas.

Commentaria in Caput VI.

In hoc capite nihil occurrit.

De Præpoſito Generali [a]. Cap. VII.

Summa Capitis VII. Conſtitutionum.

Generalis Præpoſitus regendi habet facultatem noſtram Congregationem iuxta Conſtitutiones à Capitulo Generali factas, aut pro tempore faciendas. nu.1.

Finito triennio non ceſſat auctoritas P. Generalis. nu.2.
Ad omnia alia munera Religionis obeunda erit idoneus, præter ad Generalatum per ſex annos. nu.3.
Eius facultas. nu.4. & 5.
Interpretari ex Conſultorum conſenſu Conſtitutiones, & leges factas à Capitulo Generali poterit P. Generalis, non tamen nouas edere, aut veteres abrogare. ibidem.
Eius ſuffragium eſt ſimplex, ſed in pari voto eſt duplex. nu.5.
Quæ ſolus facere poteſt. nu.6.
Generalis Præpoſitus Conſultorum conſilium in quibus caſibus requirere debet. nu. 7.
Generalis Præpoſitus cæteris diſciplinæ exemplum eſſe debet. nu.8.
Duas cellas poteſt habere. ibidem. Et laicum adminiſtrum. ibid.
Ex quibus cauſis amoueri poteſt ab officio. nu.9.

1 VNIVERSI Ordinis adminiſtratio Præpoſiti Generalis eſt præcipua: Ei igitur, vtpote qui noſtræ Congregationis Caput, & Pater eſt, promptè obediant omnes, ſcilicet Apoſtoli verborũ memores, obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Is verò (vt idem Apoſtolus ſubdit) peruigilet, quaſi rationem pro animabus ſubditorum redditurus. Quocirca ſummo ſtudio, & fide in rebus ſpiritualibus, & temporalibus Congregationis regimen gerat: Et iuxta Conſtitutiones à Capitulo factas, aut pro tempore faciendas, illam regendi habeat facultatem [b]. b

Præpo-

2 Præpoſitus Generalis creatur à Capitulo
per triennium : reficitur [c] autem ab eodem, ſi c
viſum fuerit, vſque per aliud triennium. Eius
non ceſſat auctoritas ſtatim, vt triennium eſt
elapſum, ſed durat ad Capituli tempus, videli-
cet donec in eo munus ſuũ depoſuerit; Idemq;
Generalis rurſus creari minimè poterit etiam
ſi triennium tantum Generalis munere fun-
ctus ſit, niſi poſt ſex elapſos annos : qui tamen
3 ad quæcunque alia Religionis obeunda mune-
ra idoneus cenſeri poterit [d]. d

4 P. Generalis neque etiam de Conſultorum
ſententia, nouas leges, aut Conſtitutiones ede-
re, aut editas abrogare, ſiue in parte aliqua im-
mutare poterit : id enim ad Generale Capitu-
lum ſolum, ſpectat. Interpretari [e] tamen ex e
5 Conſultorum conſenſu poterit. Suffragium
eius ſimplex ſit : at ſi ſententiarum inter ſe pu-
gnantium par ſit numerus, eius ſuffragium du-
plex erit [f]. Cùm transferendi erunt de domo f
in domum, fratres Laici, Clerici, Sacerdotes,
aut Vocales, ſolus Præpoſitus Generalis abſque
Conſultorum conſenſione, ſed ijs tamen in cõ-
ſilium adhibitis, transferre poterit : prius verò
(ſi commodè fieri poteſt) certiores faciat Prę-
poſitos earum domorum, ad quas, & ex quibus
ſunt

ſunt transferendi. Anno autem ante Capitulũ proximo, niſi conſentiant Conſultores, Vocales ne transferat [g].
6 Poteſt ſolus [h] P. Generalis cõcedere facultatem Clericis, vt ad ſacros Ordines promoueantur: ſacerdotibus, vt confeſſiones ſecularium virorum, ac mulierum audiant: Scholaſticis item, vt publicè concionentur, ſeruatis tamen ijs, quæ de Cõcionatoribus, & de Sacerdotibus ad confeſsiones admittendis ſuperius dicta ſunt. Poteſt item ſolus quem voluerit [i] ex Patribus etiam ex Conſultoribus creare Vicepræpoſitum S. Syluestri, eiusq; àuctoritatem augere, vel minuere, & ad nutum dimouere. Is verò Vicepræpoſitus [k] ante quidem Vocales cæteros, ſed poſt Præpoſitos quoſcumque aliarum domorum, & poſt Viſitatores (Viſitationis tempore) ſedeat.

7 Et ſi plurima ſunt, in quibus diſponendis, P. Generalis Conſultorum conſenſum habere nõ cogitur: in iſtis tamen eorum conſilium [l] ſtudeat adhibere, videlicet in diſtribuendis Concionatoribus, in transferendis de loco ad locũ Vocalibus, ac denique in rebus omnibus, quæ conſultatione aliqua indigere videbuntur.

8 Meminerit P Generalis ſubditos exemplo magis quàm verbo docere: Dum integra eſt

corpo-

corporis valetudine, regularem diſciplinam communesq; labores, quoad eius fieri poterit, vnà cum cæteris ſubeat: ad communem menſam aſsiduè ſe conferat: communi victu, & veſtitu ſit contentus: vnam aut ad ſummũ duas habeat cellas, easq; nullo ornamento decoratas: lectum ſine conopeo, ſupellectilem ſine apparatu, ſed ad formam communem. Ob negotia tamen plurima, quibus ferè ſemper eſt occupatus, Laicum habere poterit vnicum, qui
9 vbi ei opus erit, adminiſtret. Siqua de cauſa (quod Deus prohibeat) amouendus erit P. Generalis à munere, Conſultores, rem maturè perpendant, nec niſi grauiſsimis rationibus moueantur: tum de conſenſu maioris partis eorum, Capitulum Generale Romam, vel aliò conuocent. Ibi cauſa probè cognita, P. Generalis deponi, & alius in eius locum eligi poterit. Cauſæ autem ob quam eſſet amouendus, hæ ſunt: Crimen hæreſis, carnis incontinentia, bonorum Congregationis diſsipatio, ſiue ea in ſuum, ſiue in aliorum conuertat commodum: ſi regularis diſciplinæ, & rerum gerendarum ita ſocors ſit, ac negligẽs, vt deſtructio noſtræ Religionis, aut diſſolutio timeatur: Si Conſtitutiones in rebus grauibus nõ ſeruet,

nec

nec curet ab alijs ſeruandas: ſi eas ſpernat, ac reijciat: Denique ſi quod crimen commiſerit, quod vel per leges ciuiles pœna capitis, vel iuxta ſacros Canones depoſitione puniatur.

Commentaria in Caput VII.

Summa Commentariorum ſuper Caput VII.

Pater Generalis quam facultatem habeat. lit. b.

P. Generalis finito triennio confirmari amplius non poteſt per aliud triennium. lit. c.

Completo ſexennio officiorum poteſt aliquis eligi in Præpoſitum Generalem, licet non in alijs officijs. lit. d.

Tempus Generalatus conſideratur à Conſtitutione tanquam vacuum, ac ſi nullum officium exercuiſſet. lit. d. §. 1.

Interpretatio Conſtitutionum fieri poteſt etiam non occurrente aliquo caſu particulari. lit. e.

Interpretatio Conſtitutionis facta à P. Generali, & Conſultoribus, Vtrum habeat vim legis? lit. e. §. 1.

Interpretatio Conſtitutionum non poteſt fieri à Patribus Conſultoribus abſente P. Generali, nec etiam ſi contingeret vacare officium Generalatus. lit. e. §. 2.

Interpretatio Conſtitutionum non poteſt fieri à P. Generali dum abſens eſt ab Vrbe, etiam cum conſenſu Conſultorum, qui in Vrbe ſunt. lit. e. §. 3.

Interpretatio alicuius Conſtitutionis fieri poteſt à P. Generali dum abſens eſt ab Vrbe viſitationis gratia, cum conſenſu Viſitatorum, tempore viſitationis, ſi differri non poſſet talis interpretatio, vſque ad reditum ad Vrbem. lit. e. §. 4.

Suffragium P. Generalis quando eſt duplex. lit. f.

In

In translatione Vocalium anno, ante Capitulum Generale proximo, Vtrum requiratur vt interueniant omnes quatuor Conſultores? lit. g.

Vtrum P. Generalis ſolus abſque interuentu, & conſenſu Conſultorum poſsit transferre aliquem P. Vocalem de vna domo ad aliã, anno ante Capitulum Generale proximo, facta electione Vocalis pro Capitulo Generali? lit. g. §. 1.

Deciduntur duo alia dubia de translatione Vocalis, facta anno ante Capitulum Generale proximo? lit. g. §. 2. & 3.

De translatione fratrum de vna domo ad aliam, vide Decretum Capituli Generalis anni 1624. cum eius declaratione. lit. g. §. 4.

Viceprapoſitus S. Syluestri quam auctoritatem habeat? lit. i.

Viceprapoſitus S. Syluestri quem locum habeat in alijs domibus? lit. k.

Vtrum P. Generalis in caſibus, in quibus Conſultores habent votum conſultiuum tantum, teneatur illud ſequi? lit. l.

a CVM hac Rubrica concordat alia Rubrica Decretorum Capitularium p. 3. c. 5.

b De facultate quam habet P. Generalis vide quæ annotaui in fine Commentariorum in Appendice. Vide etiam Decreta Capitularia, quæ ſunt p. 3. c. 5.

c Reficitur autem &c. Nunc amplius refici non poteſt per aliud triennium, vt apparet ex Decreto facto à Capitulo Generali anni 1624. die 5. Maij, quod incipit, *P. Generalis &c.* quod fuit confirmatum à S. Pontifice Vrbano VIII. die 23. Martij anni 1627. per Breue.

d Qui tamen ad quæcunque alia Religionis obeunda munera idoneus cenſeri poterit. Hic dubitari poteſt, ſi N. Generalis exercuiſſet officia Religio-

nis per tres annos continuos ante officium Generalatus, Vtrum finito Generalatu, poſſit eligi ad alia officia? Et ſi poteſt, Vtrum poſſit eligi per tres ſolummodo annos, vel per ſex? Et ſi per ſex annos exercuiſſet officia ante Generalatum, Vtrum finito Generalatu poſſit immediatè eligi ad noua officia?

Ratio dubitãdi oritur ex Decreto Capit. Generalis anni 1627. quod eſt tenoris ſequentis. Ne quis vltra ſexennium Præpoſitus, Viſitator, Conſultorve creetur; ſed triennio vacet. Qui poſt quadriennium quauis ratione ab eiuſmodi oneribus abſolutus fuerit, nonniſi poſt triennium refici poterit. Nunc ad dubitationem reſpondeo.

d.§.1. Quòd tempus Generalatus conſideratur à Conſtitutione tanquam vacuum, ac ſi nullum officium exercuiſſet P. Generalis in dicto tempore. & ideo dicit, *Qui tamen ad quæcunque alia Religionis obeunda munera idoneus cenſeri poterit.* Quia cum per ſex annos inhabilitaſſet eum ad officium Generalatus, voluit eundem habilitare ad alia officia.

Nec obſtat ſupradictum Decretum, quia intelligitur de Præpoſitis localibus, & non de Præpoſito Generali; & ſic nec Decretum eſt contrarium Conſtitutioni, nec Conſtitutio Decreto. & in praxi ita ſeruatum eſt.

c Interpretari tamen &c. Hic dubitari poteſt;

Primo Vtrum P. Generalis, & Conſultores poſsint facere dictas interpretationes ex ſe, abſque alicuius requiſitione, & occurrentia alicuius caſus particularis? Et reſpõdetur affirmatiuè; quia quamuis de iure communi eius ſit interpretari cuius eſt condere, c. inter verba, de ſent. excom. tamen noſtra Conſtitutio in hoc eſt correctoria iuris

commu-

communis, & approbata à Sancta Sede Apoſtolica, vt patet ex Breue Clem. VIII. in principio Conſtitutionum; vnde non obſtante, quòd non poſſint nouas leges condere, poſſunt tamen illas interpretari.

c.§.1. Secundo dubitari poteſt, Vtrum interpretatio facta à P. Generali, & Conſultoribus habeat vim legis? Reſpondetur, quòd interpretatio vel eſt in caſu claro, & cõſtitutioni cõſentaneo, vel in caſu dubio: ſi in caſu claro habet vim legis, quia facta eſt ab habentibus facultatem ab eadẽ conſtitutione, approbata à S. Pontifice Clem. VIII. & patet ex §. Reſponſa prudentum inſtit. de iure naturali gent. & ciuile. Dec. conſ. 200. in fine. Crauetta conſ. 144. & 198. & latiſſimè ex Antonio Lazario de blaſphem q. 13. nu.49. & obligat omnes quamuis promulgata non ſit, quia eſt acceſſoria legi factæ, & in illa à principio continebatur, l.ita fidei, ff. de iure fiſci. Salas de legibus diſp.21. ſect.12. & ideo ſufficit, quòd conſtitutio ſit promulgata. Si interpretatio, ſeu declaratio eſt in caſu dubio, vbi poſſint eſſe opiniones contrariæ circa intelligentiam dictæ conſtitutionis. Et in hoc caſu requiritur promulgatio, vt vim legis habeat, & obliget omnes, ita Salas, & Suarez, quos refert, & ſequitur Bonacina in ſuo tract. de legibus diſput. 1. q 1. puncto 8.nu.4. verſ. ſecunda pars eſt &c. Et ſi non erit promulgata, quamuis vim legis non habeat, debet tamen à ſubditis obſeruari tanquam lex, eo vſque non ſit reuocata ab eiſdem, vel à Capitulo Generali, vel à ſucceſſoribus in officio; ita Magiſter Vincentius Bandellus Generalis Ordinis Prædicatorum in Prologo conſtit. dicti Ordinis, verbo interpretationes lit.P.fol.1, col.1. & 2.

c.§.2. Tertio dubitari poteſt, quando P. Generalis eſt abſens ab Vrbe, vel Viſitationis gratia, vel alia ex cauſa, Vtrum PP. Conſultores interpretari poſſint aliquam conſtitutionem, ſi eſſent requiſiti? Reſpondetur quòd non,

quia hæc facultas conceſſa eſt P. Generali principaliter, cum conſenſu Conſultorum.

Et ex eadem ratione idem dicendum erit, ſi contingeret vacare officium Generalatus, vel ex morte P. Generalis, vel ex alia cauſa; nam Conſultores illo tempore non poſſent Conſtitutiones interpretari.

e.§.3. Quarto dubitari poteſt, dum P. Generalis eſt abſens ab Vrbe, Vtrum poſsit aliquam conſtitutionem interpretari cum conſenſu Conſultorum, qui Romæ ſunt? Reſpondetur quòd non, quia actus collegialiter explicandus debet fieri omnibus in vnum conuenientibus, alias non valet ſi omnes per ſe dicunt votum ſuum. Panor. in c. fin. de ſortilegijs, & c. cum omnes nu. 5. verſ. ad vltimum de conſtit. & ibi in addit. lit. D. adduntur alij Doctores.

e.§.4. Quinto dubitari poteſt, Vtrum tempore viſitationis, ſi caſus occurreret, poſſet P. Generalis cum conſenſu Viſitatorum, qui Conſultorum locum tenent illo tempore, interpretari aliquam conſtitutionem? Reſpondetur affirmatiuè, ſi differri non poſſet talis interpretatio, vt patet ex conſtit. p. 3. c. 5. §. ſi dum P. Generalis; Sed haberet locum in illo tantum caſu; Vnde potius dicenda eſſet deciſio caſus, quam interpretatio conſtitutionis.

f Eius ſuffragium duplex erit. Hoc procedit quando ſuffragia non feruntur per vota ſecreta, quia ſi ferantur per vota ſecreta cognoſci non poterit eius ſuffragiũ, vt patet ex facultate P. Generalis, quæ habetur infra.

g Vocales ne transferat. Hic quæritur primo, Vtrum in tranſlatione vocalium, anno ante Capitulum Generale proximo, requiratur vt interueniant omnes quatuor Conſultores, vt in electione Præpoſitorum, & Viſitatorũ? Reſpondetur, quòd ex vigore Breuis Clem. VIII. ſub data

diei

diei 18. Iunij 1595. requiritur pro forma, vt interueniant omnes quatuor Conſultores, ſicut in electione Præpoſitorum, & Viſitatorum, vt probatum eſt ſupra in hac p. 3. c 4.

g. §. 1. Secundo quæritur Vtrum P. Generalis ſolus, abſque interuentu, & conſenſu Conſultorum, poſsit transferre aliquem patrem Vocalem de vna domo in aliam, anno ante Capitulum Generale proximo, facta electione Vocalis pro Capitulo Generali? Reſpondeo, vel P. Generalis moratur Romæ vbi ſunt Conſultores, vel extra: ſi Romæ, non poteſt, quia conſtitutio loquitur ſimpliciter, & abſque diſtinctione temporis. Si extra Vrbem, & occurreret aliquis caſus particularis, poſſet ex aliqua iuſta cauſa ſibi viſa, non mutando aſsignationem domus, ex qua trãsfertur, quia eſſet tranſlatio materialis, & non formalis. Et ita fuit declarata præſens conſtitutio à P. Generale D. Andrea Caſtaldo, & ſuis Conſultoribus anno 1620. Vide Decretum Capituli Generalis anni 1627. die 19. Aprilis, quod incipit, *Nemo in Vocalium electione*.

g. §. 2. Tertio quæritur, Facta electione Vocalis pro Capitulo Generali, ſi P. Generalis vnà cum Conſultoribus, transferret N. Vocalem, qui erat aſsignatus in domo Placentiæ, in domum S. Syri Ianuæ, & ibi eum aſsignaret; & facta aſsignatione, P. Vocalis electus pro domo S. Syri ad Capitulum Generale, moriatur: cum de nouo ſit congregandum Capitulum, pro noua electione Vocalis, in locum mortui, Vtrum N. Vocalis aſsignatus in dicta domo S. Syri, poſt primam electionem Vocalis, poſsit interuenire in dicto Capitulo, pro noua electione facienda, & poſsit eligere & eligi ſicut alij Vocales? Ratio dubitandi eſt, quia N. interuenerat Placentiæ in electione Vocalis ibi facta, vnde interueniendo nunc in dicta electione, bis in diuerſis domibus, & pro eodem negocio, ferret ſuffragium, quod videtur inconueniens, & in præiudicium Vocalium Ianuæ.

Reſpon-

Reſpondetur quòd P. Generalis, cum conſenſu Conſultorum, legitimè poſſet transferre N. de domo Placentiæ, aſsignando illum Ianuæ in domo S. Syri, vt clarè apparet ex præſenti conſtitutione, & ex dicta aſsignatione eſſet incorporatus Capitulo S. Syri, Vnde excludi non poſſet à dicta electione, quia nulla lex illum excludit; nec eſt inconueniens, quod bis ſuffragetur in eodem negocio, quia hoc eſſet per accidens, quod à lege non conſideratur, nec præiudicium affert Vocalibus S. Syri, vt præſupponitur.

Præterea ſicut mortuus eſt Vocalis electus à domo S. Syri, poterat etiam mori Vocalis electus à domo Placentiæ, & N. non potuiſſet ſuffragari in dicta noua electione, propter aſsignationem factam ſuæ perſonæ in domo S. Syri, vnde poterat etiam ei eſſe nociua. vide in fine ſequentis quæſtionis, verſ. Nunc vero &c.

g.§.3. Quarto quæritur, ſi facta electione Vocalis pro Capitulo Generali in domo S. Mauritij Mantuæ, exempli gratia, dictus Vocalis infirmetur (vel moriatur) ita vt nõ poſsit Romam ire, vbi celebrandum eſt Generale Capitulum, & in dicta domo non adſint niſi duo vel tres Vocales pro noua electione facienda; & P. Generalis vna cum PP. Conſultoribus aſsignaret vnum vel plures Vocales in dicta domo ante nouam electionem faciendam, Vtrum poſſit aſsignare? Et aſsignati, & incorporati in dictæ domus Capitulo, Vtrum in dicta noua electione Vocalis pro Capitulo Generali, habeant vocem, ita vt poſsint eligere & eligi? Reſpondetur affirmatiuè, in vtroque dubio, ſtando in rigore. Et ratio eſt, quia neque à iure communi, neque à noſtris Cnnſtitutionibus, & Decretis eſt coarctata facultas Patri Generali cum voto PP. Conſultorum transferendi, & aſsignandi Vocales ex vna in aliam domum, omni tempore. Præterea ante primam electionem dicti Vocalis, clarũ eſt quòd P. Generalis vnà cum Conſultoribus poterat trãſ-

ferre,

ferre, & aſsignare plures Vocales in dicta domo, & omnes habuiſſent vocem in Capitulo in dicta electione. Ergo, & poſt primam electionem, & ante ſecundam poteſt hoc facere, cum par ſit ratio. Nec obſtat dicere, quod iſti Vocales de nouo aſsignati domui S. Mauritij, interuenerunt in electione Vocalis in alia domo, vnde fuerunt tranſlati, & ideo non debent bis interuenire in dicta electione. Nam Reſpondetur primo, quod nulla lex inhabilitat illos ad id faciendum in diuerſis domibus, & in diuerſis temporibus ſucceſsiuè.

Secundo, Patres qui erant in domo S. Mauritij iam interuenerunt in prima electione, & nunc interueniunt in ſecunda. Ergo ſicut ipſi poſſunt bis interuenire in dicta electione in diuerſis temporibus, ita etiam & vocales eò tranſlati à P. Generali, & Conſultoribus.

Tertio, quod occurrit in domo S. Mauritij poterat etiam occurrere in domo unde fuerunt tranſlati dicti vocales poſt eorum tranſlationem, & ſic non potuiſſent interuenire in dicta ſecunda electione, propter aſsignationem factam ab A. R. P. Generali, & PP. Conſultoribus in domo S. Mauritij. Ergo priuari non debent facultate interueniendi in electione facienda in domo S. Mauritij, cum per aſsignationem factam ab habentibus facultatem, ſint incorporati in dicto Capitulo.

Dixi ſtando in rigore, quia ad tollendas malas ſuſpiciones, quæ oriri ſolent ex dictis tranſlationibus in dictis tēporibus factis, melius eſt ab illis abſtinere, niſi ex graui & iuſta cauſa aliter ſit faciendum. Nunc vero non habet amplius locum ſupradicta tertia, & quarta quæſtio, cum aliter ſit deciſum per Capitulū Generale celebratum anno 1627. vt patet ex Decreto facto die 29. Aprilis, quod incipit, *Nemo in Vocalis electione*.

g. §. 4. De tranſlatione fratrum adeſt Decretum Capituli

tuli Generalis anni 1624. cuius tenor hic eſt. Qui à P. Generali ad aliam domum de familia deſtinatus, intra ſex dies iuſſa exequutus non fuerit, cenſeatur, quo ad obtēperauerit in ea domo, tanquam hoſpes, ac niſi grauis neceſſitas vrgeat à Præpoſito, & Vocalibus cognita per ſecreta ſuffragia, exire domo nequaquam permittatur.

Hoc Decretum fuit declaratum ab A. R. P. D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus die 12. Iulij 1627. vt apparet ex lib. Conſultationū fol. 16. à tergo, debere intelligi, vt ſtatim quòd cōſignatæ fuerint à Superiore (vel ab alio, cui P. Generalis commiſerit) literæ obedientiæ (quæ vulgariter dici ſolent patente de aſſignatione ad altra caſa) ſuo ſubdito, non intelligatur amplius illius domus, (in qua primo erat aſsignatus) vnde ſequitur, quod in Capitulis domus (ex qua diſcedit) non poſsit interuenire, & ſi eſſet Confeſſarius domus, non poſſet amplius confeſsiones fratrum audire.

h Poteſt ſolus &c. De hac facultate, vide ſup. p. 1. conſtit. cap. 4 in comment. dubio 1. 2. 3. & 4. & cap. 5. in comment.

i Poteſt item ſolus quem voluerit &c. Vicepræpoſitus S. Sylueſtri, non habet aliam auctoritatem, quā Vicarij domorum. Bene verum eſt, quod à P. Generali dari illi ſolet, tota gubernatio domus S Sylueſtri, etiam quando ipſe P. Generalis Romæ reſidet.

k Is vero &c. Iſte locus ei competit non ſolum in domo S. Sylueſtri Romæ, ſed etiam in alijs domibus, vt

patet

patet ex Decreto parte 3. capite 7. numero 12.

1 In iſtis tamen eorum conſilium ſtudeat adhibere &c. Hic quæri poteſt, Vtrum Præpoſitus Generalis in caſibus prædictis, & in alijs, in quibus Conſultores habent tantum votum conſultiuum, teneatur illud ſequi? Reſpondeo quod non in foro exteriori, ita Syl. v. conſilium, nu. 2. & 4. Cardinalis Palæotus de Conſiſtorio p. 1. q. 3. ar. 8. Sed dicet aliquis, ad quid petitur conſilium, ſi illud ſequi non eſt neceſſe, cum finis petendi conſilium ille ſit, vt inde quis melius inſtruatur, & veritas ei plenius aperiatur, quem finem aſſequi ille nequit, qui conſilia data reſpuit. Reſpondeo, quòd ratio petendi conſilium eſt, quia quod à pluribus quæritur facilius inuenitur, c. de quibus, 20. diſt. & Prælatus habito conſilio, ad aliquid poteſt moueri, quod per ſe forſitan non feciſſet. vnde Panorm. in c. ad noſtram de conſuetudine, inquit eſſe vtile in facto dubio à pluribus exquirere conſilium. Et finis petendi conſilium eſt, vt ex conſilijs traditis Prælatus diſcernat, & diiudicet id, quod ad bonum cõmune Religionis vtilius eſſe arbitrabitur; vnde ad conſilia petenda is non accedit, vt illis adhæreat, atque alligetur, ſed vt ſumat materiam iudicij ſui dirigendi, & quod ſibi æquius viſum fuerit decernendi. ita Sylu. vbi ſupra, & Card. Palæotus de Conſiſtorio p. 1. q. 3. art. 8. Dixi in foro exteriori, quia in foro conſcientiæ, ſi cognoſcit conſilium ſibi datum à Conſultoribus eſſe bonum, & iuxta rectam rationem, cogitur illud ſequi, non præciſe, quia ſibi ſit datum à maiori parte, vel ab hoc, aut ab illo, qui auctoritatis ſit, ſed quia ipſe animo ita iudicat, & iudicare tenetur, dimiſſo quouis priuato affectu bono communi noxio. ita Card. Palæotus de Conſiſtorio p. 1. q. 3. ar. 8. verſ. at vero &c.

Et non ſequendo in hoc caſu peccat mortaliter, vel ve-

nialiter iuxta qualitatem materiæ arbitrio prudentis.

Idem dicendum eſt de Præpoſitis domorum reſpectu Vocalium ſuorum domorum.

Quid ſi non petat conſilium, Vtrum actus ſit validus? Vtrum peccet? & Vtrum puniri poſsit, videbimus infra in hac 3. p. ſuper cap. 9. ſuper verbo, *Idem conſulat &c.*

De Viſitatoribus[a]. Cap. VIII.

Summa Capitis VIII. Conſtitutionum.

Viſitatores quis eligere poteſt. nu. 1.

In diuerſis Domibus Prouinciæ habitent. nu. 2.

Viſitatores eſſe non poſſunt Præpoſiti, & Conſultores. nu. 3.

Viſitationem quando facere debent. nu. 4.

Parem auctoritatẽ habẽt, ſed in aliquibus rebus præcedit ſenior. n. 5

Viſitator aliquis ſi ſit conſanguineus in primo, vel ſecundo gradu Præpoſiti domus, quam viſitant, vel alter Viſitatorum de altero aliquid agnoſcere oporteat, ſocium ſibi adiungat ex Vocalibus eiuſdem domus. nu. 6.

Si quis noſtrum ad alterum tantummodo ex Viſitatoribus quidpiam deferre voluerit, is ſua manu ſubſcribat. nu. 7.

Viſitatores qua forma munus ſuum obeant. nu. 8. *& ſeqq.*

Confeſsiones cuiuſque noſtrum audire poſſunt. nu. 9.

Communi victu poſt biduum vtantur. nu. 10.

Munera non recipiant. nu. 11.

Impenſas itinerum ſoluant domus iuxta præſcriptum. ibid. nu. 12.

Leuiora per ſeipſos corrigant. nu. 13.

Quæ notatu digna ſunt manu vtriuſque Viſitatoris ſubſcripta ſint. num. 14.

Viſitet P. Generalis triennio ſemel totam Congregationem ſi ei videbitur. nu. 15.

Viſitatores extraordinarij non adeunt Capitulum Generale. nu. 16.

VISI

1 VISITATORES[b] bini pro ſin- b
gulis Prouincijs à Præpoſito Ge-
nerali, & Definitoribus in Con-
gregatione generali per annũ eli-
gantur. Deinde ſingulis annis intra trienniũ
à P. Generali, & à Conſultoribus refici pote-
2 runt, vt ſuperius dictum eſt. Ij non in eadem,
ſed in diuerſis ſuæ Prouinciæ ciuitatibus, &
3 domibus habitent. Conſultoribus, & Præpoſi-
tis nullo pacto Viſitationis munus imponatur.
4 Poſteaquàm ſe æſtatis calores remiſerint, ſin-
gulis annis Viſitatores bini ſuam Prouinciam
5 viſitent. In obeundo munere parem auctori-
tatem habeant: nec ſine altero alter quidquã
facere poſsit; in exequendis tamen rebus, pro-
feſsione ſenior præcedat: cui eidem curæ ſit
in itinere pecuniam ferre, & impenſas facere.
6 Si viſitanda ſit domus eius Præpoſiti, qui
alteri ex Viſitatoribus in primo, vel ſecundo
conſanguinitatis gradu coniunctus ſit, alter
Viſitator ſocium ex Vocalibus eiuſdem domus
ſibi adiungat. Idem faciendum eſt, ſi Viſitato-
rem alterũ de altero aliquid cognoſcere opor-
7 teat. Si quis Noſtrum ad alterum tantummo-
do ex Viſitatoribus quidpiam deferre volue-
rit, is ſua manu ſubſcribat.

8 Cum primum ad domum viſitandam peruenerint, munus ſuum aggrediantur, ac quã-citiſsimè poterunt, ſe expediant. Vnà omnes ad locum deſignatum conuocent: ſermonem breuem de rebus ad viſitationem ſpectantibus habeant: cunctos moneant, vt quæ correctione indigent, liberè ſibi aperiant; neve odio, aut amore ducti, quæ dicenda ſunt, taceant: aut è contra emendata iam, ſiue quæ charitatem violare poſsint, ea ipſi proferant. Tum Viſitationem aggrediantur à rebus Diuinis ſi commodè fieri poterit. Eant viſum, qua diligentia aſſeruetur Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, Oleum infirmorum, & Sanctorum reliquiæ: quàm nitidè, & decorè curentur ſacra vaſa, ſacerdotum veſtes, & quæ ad Eccleſiaſticam pertinent ſupellectilẽ. Deinde ſingulos in ſenioris Viſitatoris cellam per miniſtrum idoneum ordine conuocent: prudenter, & vt res poſtulat ſciſcitentur, An Prępoſitus, Patres, & cæteri, diu, noctuq; Horis Canonicis frequentes interſint; An pax, & concordia cuſtodiatur: An ſilentium horis, locisq; congruentibus ſeruetur; An Nouitij, & Profeſsi adoleſcentiores in Dei timore, maiorumq; reuerentia educentur: An Scholaſtici

bonis

bonis literis erudiantur: An tempus otio, re-
busq; inutilibus conteratur. An noſtræ Con-
ſtitutiones ab vnoquoque ſeruentur. Viſitent
etiam ſingulorum cellas: nequid forte vſquam
ſit ab inſtituto noſtro alienum. Tum commu-
nes domus, officinas, & ſupellectilem. De ra-
tione demum accepti, & expenſi accuratè co-
gnoſcant: vbi cognouerint, ſi videbitur, ſub-
9 ſcribant. Toto Viſitationis tempore cuique
Noſtrum liceat peccata confiteri vtri placuerit
ex Viſitatoribus, abſque Præpoſiti licentia.
10 Viſitatores poſt biduum quàm aduenerint, cō-
11 muni victu vtantur. Nulla recipiant munera
neque à Noſtris, neque à Noſtrum conſangui-
12 neis, ipſorum opera procurata. Impenſæ ve-
rò itinerum à ſingulis ſuæ Prouinciæ domibus,
iuxta præſcriptum, eis tribuantur. Anteaquā
vltimam Viſitationi manum imponant, de ijs
rebus, quæ occulta correctione indigent, aut
Præpoſitum loci, aut ipſoſmet, qui culpa te-
nentur, admoneant. Tum palam apud omnes
ſermunculum habeant: vbi, quæ videbitur, vni-
13 uerſè probent, aut improbent. Quæ leuiora
ſunt, per ſeipſos corrigant, nullamq; de rebus
leuibus, ſiue apud P. Generalem, ſiue in gene-
rali Capitulo faciant mentionem. Si quid gra-

ue

ue (quod Deus auertat) compererint, & re-
medium ſtatim adhibendum eſſe viſum fuerit,
ſuum munus ſine mora exequantur, rem ta-
men (ſi videbitur) aut cum Vocalibus loci,
aut ſaltem cum Præpoſito, prout res poſtula-
uerit, communicent poſt ad P. Generalem
14 omnia ſcribant, aut referant. Quæ notatu
digna viſa fuerint, manu vtriuſque Viſitatoris
ſubſcripta habeantur. De domibus, quas viſi-
tauerint, narrent benè: errata, & incommo-
da reticeant.

15 Pater Generalis triennio ſemel ſi ei videbi-
tur, vel Congregationem totam ſimul, vel
partes ſeorſum viſitet. Id ſi poſt calores æſti-
uos fecerit, cum Viſitatoribus faciat vnà: Sin
alio tempore, integrum ei erit, velit ne alio
quolibet adſcito ſocio, an ipſe ſolus rem om-
nem exequi. Nec tamen Viſitatores à Capitu-
lo conſtituti ſuum officium ſuo tempore inter-
16 mittant. Atque hos ſolos Viſitationis iure
Capitulo intereſſe oportebit; illos alios adſci-
tos nequaquam.

Com-

Commentaria in Caput VIII.

Summa Commentariorum ſuper Caput VIII.

De Viſitatione Regularium ponuntur aliqua notabilia, aduertenda, & deciduntur aliqua dubia quæ Viſitatoribus occurrere poſſunt. lit. b. remiſsiue.

a CVM hac Rubrica concordat alia Rubrica Decretorum p.3.c.6.

b Viſitatores &c. Quædam Notabilia, & Aduertenda à Viſitatoribus cum deciſione aliquorum dubiorum, ponentur in fine Commentariorum in Appendice.

De Præpoſito, & Vocalibus cuiuſque Domus[a]. Cap. IX.

Summa Capitis IX. Conſtitutionum.

Præpoſitus in Choro ſit aſsiduus, & ſubditis forma diſciplinæ. n. 1.

Ne prædicatum peregre eat niſi in Quadrageſima, ex graui cauſa, & de P. Generalis licentia. nu. 2.

Vocem in Capitulo nemo habet quamuis profeſſus ſit, vel ſacris initiatus, niſi ad id à Capitulo Generali ſit admiſſus. nu. 3.

Præpoſito abſente, & Vicario, primus Vocalis Præpoſiti iura, & quæ ad regimen ſpectant exercet etiam ſi actiuam tantum vocem habeat. n. 4. & 6. & 12.

Abſentibus vero Vocalibus, etiam ſacerdotes illa exercent. nu. 5. §. Si quis.

Vocalis

Vocalis voce tantum actiua, quæ facere poteſt, & quæ non. nu.6.

Vocales duo ſaltem aſsignentur à P. Generali in vnaquaque domo, immo plures. nu.7.

Vocales in quacunque domo adſint, ſi in ea aſsignati non fuerint, Vocalium iura non exercent, niſi omnes, & ſinguli Vocales loci conſenſerint. nu.8.

Vicarij ſinguli in ſingulis domibus eligantur. nu.9.

Vicarij deſignatio ſpectat ad Præpoſitum, & Electio ſpectat ad P. Generalem, Quomodo autem ſit facienda. nu.10.

Vicarius ad Præpoſiti nutum eſt amouibilis; Abſente Præpoſito eius vices gerit; Ipſo præſente ad regimen ſe ingerere non audeat; Si abeſſe contingat, quid agendum; Ad generale Capitulum ne accedat, niſi ab alijs Vocalibus electus fuerit. nu.11.

Vicarij S. Mariæ de Toro electio ſpectat ad P. Generalem. nu.12.

Præpoſito abſente qui eius vices gerit ea faciat, quæ differri non poterunt, & à ſua voluntate non ſenſerit eſſe alienum. nu.13.

Vocales coniunctos inter ſe primo, vel ſecundo conſanguinitatis gradu, ſi plures adeſſe contingat, duo tantum ex eis, qui antiquiores Vocales fuerint ſuffragium ferant, tum in Capitulis Generalibus, tum in ſingulis domibus. nu.14.

Sacerdotes, Vocalibus loco Superiores, etiam ipſi Patres nominentur, & ab inferioribus Vocalibus benedictionem ne petant; In cæteris ſubduntur, ſicut & alij. nu.15.

Præpoſitus quandoque omnes vna conuocet, & de quotidianis erratis verba faciat. Vocales conſulat in rebus grauioribus. Quæ autem ſint, habentur nu.16.

Nouitius ſi erit dimittendus à Religione ante profeſsionem, fieri debet cum Capitulo domus. nu.17.

Domum ære alieno (niſi opus ſit) ne grauet. nu.18.

Pauperibus duos aureos in menſem largiri poterit, plus etiam cum aſſenſu Vocalium. nu.19.

Vocales conuocati cum aliquid tractant, id fiat quod maior pars Vocalium cenſuerit eſſe faciendum. nu.20.

Vocales

Vocales qui non rectè ſe gerunt in Capitulis quomodo puniantur, num. 21.

Nouas res inducere Præpoſitis non licet, nec veteres conſuetudines immutare. nu.22.

Literas aperire quis nequit, quas poteſt Præpoſitus. nu.23.

Literas aut munera mittere, vel recipere, nemo poteſt abſque ſui Superioris licentia. nu.24.

Literas ad P. Generalem mittere, vel recipere quiſque poteſt abſque licentia. nu.25.

Alijs vero quando poſſit. nu.26.

Abſente Præpoſito nemo literas ſcribere, aut aliquid innouare audeat, quod ſi neceſſitas coegerit, res tota Præpoſito aperiatur cùm reuerſus fuerit. nu.27.

Sententiam ſuam in ſcriptis nemo ponat abſque Præpoſiti licentia. num. 28.

Annales libros, & accepti, & expenſi faciat Præpoſitus in ſua domo. num. 29.

Præpoſitus rationem reddere non tenetur Vocalibus accepti, & expenſi, libros tamen offerre tenetur tempore Viſitationis, & Capituli Generalis. nu.30.

Præpoſitus etiam expleto anno in ſuo munere maneat, donec ſucceſſor Præpoſituram ineat. nu.31.

Mortuo Præpoſito intra tres menſes alius ſufficiatur; Interim Vicarius, vel eo abſente ſenior Vocalis regimen ſuſcipiat. nu. 32.

1 SVO quiſque Præpoſito [b] prŏptè, b
vt par eſt, obediat; P. verò Præpoſitus, vt omnibus ſe præbeat exẽplum diſciplinæ, ad Chorum, & ad
communem menſam, aſsiduè [c], pro virili con- c
neniat. Silentium horis, locisq; congruentibus

ſeruet: labores communes vnà cum alijs ſubeat: Religionis obſeruantias diligentiſsimè colat: Et ſi interea eum prædicare contingat, domũ nihilominus curet præcipuè, atque aſsiduè in
2 Choro,& in communi menſa interſit. Ad alias Ciuitates in Quadrageſima tantum,nec niſi de cauſa graui, & de P. Generalis licentia proficiſcatur. Poſt Præpoſitos vnuſquiſque reuerentiam præſtet, atque obediat Vicarijs, tum ſenioribus; demum fratribus ſingulis inter ſe tanquam charitatis vinculo colligatis ſuus cuique honor mutuus habeatur: ita tamen,vt iuxta Apoſtoli ſententiam omnia ſecundum ordinem fiant: Neque aliquis Superioris, aut alterius officij dignitatem, aut iubendi auctoritatem ſibi quoquo pacto vendicet.
3 Nemo quãuis profeſſus, & ſacris initiatus vocem habet; neque ad ferendum ſuffragium poterit conuenire, niſi ij tantum ſacerdotes, qui ad id in Capitulo Generali ſunt admiſsi. De qua re Nouitij antequam Religionis induantur habitu publicè ſunt præmonendi. Licet nullum ius Vocalibus tribuatur antecedendi alios ſacerdotes ſeniores, ſed Profeſsionis ordo vbique ſeruandus ſit:
4 abſente tamen Præpoſito,iura Præpoſiti, & quæ ad regimen ſpectant, Vocales tantum,

5 tum, exerceant. Sacerdotes verò reliqui, ab-
ſentibus Vocalibus.

6 Qui voce caret paſsiua eligi non poteſt Ge-
neralis, Præſes, Præpoſitus, Viſitator, Vicarius,
Conſultor, neque vt ad Generale Capitulum
veniat. Abſente tamen Præpoſito, & Vica-
rio, in rebus omnibus Præpoſiti vicem gerat [d]. d

7 Duo ſaltem Vocales præter Præpoſitum in
vnaquaque domo à P. Generali aſsignentur:
8 immo plures ſi ita ei videatur expedire. Voca-
les in quacunque domo adſint, ſi in ea aſsigna-
ti non fuerint, extranei cenſeantur [c]. Suffra-
gium ibi ferre non poterunt: neque Præpoſi-
to abſente, in Choro, Refectorio, aut alibi iura c
Præpoſiti exercere, niſi omnes, & ſinguli Vo-
cales loci conſenſerint.

9 In ſingulis domibus ſinguli Vicarij [e] eligan- e
tur. Si duo domicilia in eadem ſint ciuitate,
10 duo Vicarij debent eligi. Præpoſitus igitur ex
ijs ſuæ domus Vocalibus, qui actiuam, & paſ-
ſiuam vocem habent, duos vel tres deſignabit,
& ad P. Generalem ſecreto referet: Qui etiam
11 ſecretò vnum ex deſignatis eligat; is tamen
Vicarius ad nutum Præpoſiti ſit amouibilis.
Poſt Præpoſitum, & Viſitatores viſitationis
tempore ſedeat. Abſente [f] Præpoſito eius vi- f

ces gerat: Dum adeſt, nihil agere, aut præcipere, neque in domus regimine ſe ingerere audeat niſi in ijs, quæ Præpoſitus commiſerit. Si Vicarius menſes aliquot domo abſit, ne cogatur Præpoſitus alium Vicarium eligere. At ſi Vicarium, & Præpoſitum abeſſe contingat, priuſquam abeant deſignetur Vicarius. Ad Generale Capitulum, ne accedat Vicarius, niſi
12 ab alijs Vocalibus electus fuerit. Vicarius S. Mariæ de Toro [g] in agro Aequenſi à P. Generali ſolo deſignetur, & eligatur. Abſente Prępoſito, & Vicario, antiquior ex loci Vocalibus, etiam ſi actiuam tantum vocem habeat eius
13 vices gerat. Abſente Præpoſito, Vicarius, vel Vicario abſente ſenior, qui Præpoſiti vices gerit, ea tantum exequatur, quæ in aduentum Præpoſiti commodè differri non poterunt; caueat autem, ne minimum quid agat, quod à Superioris ſui voluntate ſenſerit eſſe alienum.

14 Si contingat plures adeſſe Vocales coniunctos inter ſe primo, vel ſecundo conſanguinitatis gradu, duo tantum ex eis, qui antiquiores Vocales fuerint ſuffragium ferant, tum in Capitulis Generalibus, tum etiam in ſingulis do-
15 mibus. Sacerdotes Vocalibus loco Supetiores etiam ipſi Patres nominentur: ab inferioribus

Vocali-

Vocalibus benedictionem, ne petant, tamen foras ituri, & licentiam petant, & comitem, & quò ſint ituri, & quæ acturì ſignificent.

16 Præpoſitus quandoque omnes vnà conuocet[h], nonnulla, vt res poſtulabit, de quotidianis erratis verba faciat[i]. Idem conſulat[k] Patres Vocales cum aliquis eſt in Ordinem noſtrum accipiendus, cùm induendus habitu, cum admittendus ad profeſsionem, cum ad Ordines promouendus, cum ad audiendas confeſsiones h i k

17 exponendus: item ſi quis ante profeſsionem[l], à Religione dimittendus: de magnis etiam atque extraordinarijs ſumptibus faciendis: Denique in rebus omnibus grauioribus, cuiuſmodi non ſunt, quæ ad victum, & vtenſilia pertinent. l

18 Nulla ex noſtris domibus poſsit ære[m] alieno grauari etiam de conſenſu Vocalium, niſi pro neceſſario victu, atque veſtitu, & pro neceſſaria fabricæ reſtitutione, vel tandem pro euidenti vtilitate in re, quæ differri minimè poſsit, vtputa pro emendis contiguis noſtræ domui locis. In erogandis etiam eleemoſynis m

19 iungatur charitati Chriſtiana prudentia. Præpoſitus plus duos aureos in menſem ne largiatur, niſi cum Vocalibus rem ante communicet,

nicet, atque illi aſſentiantur.

20 Cum Vocales [n] conuocati aliquid tractant, n
id fiat, quod maior pars Vocalium cenſuerit eſ-
ſe faciendum. Præpoſitus quidem liberã Vo-
21 calibus dicendi faciat facultatem: Ij tamen nec
cum Prælato, nec inter ſe immodeſtè, moroſè,
pugnaciter ſe gerant. Qui ſecus fecerit, ei pœ-
na, Superioris arbitrio, imponatur. Quòd ſi
interdicendus ei congreſſus, & facultas conue-
niendi cum alijs Vocalibus, videatur, res à Prę-
poſito cum cæteris Vocalibus ante agitata, ad
Generalem referatur, eiusq; ſententia expe-
22 ctetur. Ne liceat Præpoſito res nouas induce-
re, aut veteres noſtræ Congregationis con-
23 ſuetudines immutare. Communes literas [o] ob- o
ſignare, & aliunde datas reſignare, ac legere
ſolus poteſt: poſtea tamen Vocalibus legendas
tradere teneatur. Sigillum Congregationis
apud ſolum Præpoſitum ſit: ac nemini liceat
literas huiuſmodi ſigillo non ſignatas alicui
24 mittere. Nemo literas, munera, ſeu quid
aliud cuiuſque generis mittere, vel recipere
audeat ſine Superioris licentia. Qui ſecus fe-
25 cerit, Præpoſiti ſui arbitrio puniatur. Ad P.
Generalem ſcribere, & ab eo literas recipere
quiſque poteſt: eas neque Præpoſiti locorum,

neque

neque alius vllo pacto legant, aut aperiant.
26 Exceptis [p] Generalis, vel ad P. Generalem literis [q], & ad Viſitatores circa Viſitationis tempus, & ad Vocalem electum, poſt Septuageſimam, poſsint Præpoſiti legere, aut aperire quaſcunque alias, quas ſiue Vocales, ſiue alij p q
27 miſerint, aut receperint. Abſente Præpoſito nemo ſcribere alicui literas, aut aliquid alicuius ponderis innouare audeat. Quòd ſiquid horum ſtatim fieri neceſsitas coegerit, res tota Præpoſito cum domum reuerſus fuerit, aperiatur.

28 Nemo noſtrum ſuam ſententiam in ſcripto ponat, de re quapiam controuerſa: nec ſe cuiuſpiam excepiſſe confeſsionem, vel eum à cenſuris abſoluiſſe fidem faciat, quin ante, & viderit Præpoſitus, & probauerit.

29 Curæ ſit Præpoſito Annalium [r] librũ conficere, in quo, vt quidque acciderit notatu dignum referat, vtpotè quo quiſque die Religionem ſit ingreſſus, habitum ſuſceperit, profeſſionem emiſerit, ad Ordines, & Confeſsiones ſit admiſſus. Quidquid denique ortum fuerit, quod ad communem domus vtilitatem pertinere videatur. Librum etiam conficiat accepti, & expenſi, vt poſsit rationem reddere r

quotan-

quotannis, Viſitatoribus, & ſuo tempore Pa-
30 tribus in Capitulo Generali congregatis. Et ſi verò Præpoſitus accepti, & expenſi[f] rationem Vocalibus ſuæ domus reddere non teneatur, vltro tamen offerat eis libros Viſitationis tempore, & antequam ad Generale Capitu-
31 lum proficiſcatur. Præpoſitus, etiamſi iam annus elapſus ſit[t], in ſua tamen adminiſtratione permaneat, quouſque alius Præpoſiti munus adierit.

32 Si quis Præpoſitus moriatur, alius ſtatim, vel ad ſummum intra tres menſes à P. Generali, & Conſultoribus ſufficiatur: interim Vicarius, vel eo abſente ſenior ex Vocalibus Præpoſiti vices ſuſcipiat, eiq; omnes obediant, & præſtent reuerentiam: is tamen in Præpoſiti loco, ne ſedeat, nec item ius habeat veniendi ad Capitulum Generale, niſi à ſuis Vocalibus de more eligatur.

Commentaria in Caput IX.

Summa Commentariorum ſuper Caput IX.

Præpoſiti locales noſtræ Congregationis quam poteſtatem habeant? lit. b.

Licitum eſt Superiori ad præcauenda mala, aliquem detinere in cella aperta, cum aliquibus conditionibus. lit. b. §. 1.

Carcer

Carcer quid ſit ? lit.b.§.2.

Præpoſiti Vtrum poſsint ſecum diſpenſare, & licentiam ſibi præſtare in illis caſibus in quibus illam poſſunt præſtare ſibi ſubditis ? lit. c.

Vicarij officium quomodo finiatur. Qui eligendi ſint. lit. e.

Præpoſiti abſentia quomodo intelligatur. lit. f.

Quando aliqua Capitulariter tractanda ſunt, & conuocatur Capitulum ad ſonum campanulæ, Quæritur ſi aliquis Vocalis eſt in domo infirmus, qui non poteſt adire locum Capituli, Vtrum teneantur Patres Capituli ire ad cubiculum infirmi, & ibi tractare ea quæ Capitulariter ſunt tractanda ? lit. h.

Cum vocandi ſunt Vocales ad Capitulum, monendi ſunt antequam de domo exeant, ſi ea die congregandum ſit Capitulum. lit h.§.1.

Quid ſi non moneantur, Vtrum Capitulum ſit nullum ? lit.h.§.2.

Scrutinium clericorum, & laicorum quando, & quomodo fieri debeat. lit.i.

Verbum, conſulat, quid ſignificet ? lit.k. & §.1.

Quando Superiores debent aliquid facere cum conſilio, & non faciunt, quomodo peccent ? lit.k.§.2.

Vtrum actus ſit validus. lit.k.§.3.

Nouitius ſi ſponte vult à Religione diſcedere, poteſt Præpoſitus abſque Capitulo illum dimittere. lit.l.

Vtrum P. Generalis poſſit propria auctoritate Nouitium à Religione dimittere ? lit.l.§.1.

Præpoſiti grauantes noſtras domos ære alieno quomodo puniantur ? lit. m.

In Capitulo domus Vtrum Præpoſitus primus omnium teneatur dicere votum ſuum ? lit.n.

Literæ communes ſcriptæ à P. Generali Præpoſitis, & Vocalibus domus, aperiri non poſſunt à Præpoſito, niſi in Capitulo domus. lit o. & p.

Literas dans, vel recipiens inſcio Præpoſito, qua pœna ſit puniendus ? lit.p.§.1.

Quãdo Religioſus poſsit, vel teneatur manifeſtare ſuis Prælatis, propria delicta, vel alioṛũ Religioſorũ ſuæ Cõgregationis? lit.p.§.2.

Literas ſcribere ad Patres Cõſultores, & ab eis literas recipere quiſq; ne poteſt; neque Præpoſiti locorũ, neq; alij poſſunt illas aperire. lit.q.

Officialis etiam completo tempore ſui officij, debet miniſtrare in ſuo officio, quoadusque ſuperueniat ſucceſſor. lit.t.

Præpoſiti ſi fuerint nominati Epiſcopi, intra octo dierum ſpacium, vel acceptent, vel renuncient, alias ipſo iure priuantur Præpoſitura, lit.t.§.1.

Vtrum Decretum illorum qui nominati ſunt ad Epiſcopalem dignitatem comprehendat P. Generalem? lit.t.§.2.

Vtrum comprehendat Vocales? lit.t.§.3.

Religioſus ad Epiſcopalem dignitatem aſſumptus, an gaudeat priuilegijs ſuæ Religionis. lit.t.§.4.

Religioſus ad Epiſcopalem dignitatem aſsumptus, ſi poſtea Epiſcopatum deponat, an compellatur redire ad Religionem? lit.t.§.5.

Tranſmitti non poteſt quis de vna prouincia ad aliam abſque licentia P. Generalis. lit.t.§.6.

Ordinationes à P. Generali, vel à Præpoſitis factæ, in ſuo robore permanent, quouſque à ſucceſſoribus abrogentur. lit.t.§.7.

Vicarius vltra triennium in eadem domo ne prorogetur. lit.t.§.8.

Vicarius licet confirmari non poſsit vltra triennium: poteſt tamen cum conſenſu P. Generalis continuare officium per aliud paruum tempus. lit.t.§.9.

Vicarius domus Vici Aequenſis, & Tuſculanæ domus, an habeant iurſdictionem? lit.t.§.10.

Vocalis profeſsione ſenior, licet habeat tantum vocem actiuam, poteſt exercere in omnibus iura Præpoſiti. lit.t.§.11.

Vocales qui in Capitulo domus non cõueniunt, puniuntur. lit.t.§.12.

Declaratur hoc Decretum. lit.t.§.12.

Deciduntur multa dubia de Vocali qui tribus vicibus continuis abeſt à Capitulis voluntariè. lit.t.§.13.

Secreto ſeruentur quæ in Capitulis tractantur. lit.t.§.14.

Mani-

Manifeſtans (quæ in Capitulis ſunt tractata, & ſub pœna excommunicationis prohibita manifeſtari) Vocali qui fuit extra Capitulum, an incidat in excommunicationem. lit.t.§.15.

Licentia localis audiendi confeſsiones intelligitur Diœceſis, non autem domus. lit.t.§.16.

Negocia ſecularia à nobis fugienda, quæ ſint. lit.t.§.17.

a CVM hac Rubrica concordat alia Rubrica Decretorum p.3.c.7.

b Præpoſito &c. Hic quæri poteſt, quam poteſtatem habeant Præpoſiti locales noſtræ Religionis?

Reſpondeo, quòd habent tantam poteſtatem circa ſibi ſubditos, quantam habet A.R.P. Generalis in totam Religionem, niſi aliquid ſit eis ſpecialiter prohibitum; & ratio eſt, quia habent iuriſdictionem Epiſcopalem in ſuos ſubditos, quam habuerunt à principio fundationis Religionis, quando Præpoſiti immediatè ſubdebantur ſummo Pontifici, & regebatur noſtra Religio ad formam Reipublicæ, abſque Generali, & probatur ex c.nullum 18.q 2. & eande poteſtatem habent ex priuilegio, vt videri poteſt apud Ludou. Mirandam in ſuo man. prælat. t.2.q.19.art 4.concl.1. quæ poteſtas eſt ordinaria & non delegata, vt docet idem Miranda vbi ſup. concl.2.

b.§.1. Quæri etiam poteſt Vtrum licitum ſit Superiori ad præcauenda mala, ordinare alicui ſubdito, vt in cella ſua (aperta tamen) maneat, nec illinc exeat, niſi certis horis, & cum aliquibus circunſtantijs, ſub grauibus pœnis? Et vtrum ſit carcer formaliter? Reſpondeo ad primum quæſitum affirmatiuè, quia officium Superioris non ſolum eſt ad puniendum delicta poſtquam ſunt commiſſa, ſed multo magis ad illa præcauenda ne fiant.

b. §. 2. Ad ſecundum quæſitum reſpondeo negatiuè, & ratio eſt, quia non eſt formaliter detentus ſub claue, nec cuſtoditus. Et carcer propriè importat priuationem libertatis cum violētia, vel cuſtodia, vt docet Syl. v. carcer in principio, & Bartol. in tract. de carceribus dicit, quod carcer eſt locus ſecurus, & horribilis, repertus non ad pœnam, ſed ad delinquentium, & debitorum cuſtodiam.

c Aſsidue &c. Hic quæri poteſt, Vtrum Præpoſiti poſſint ſecum diſpenſare, & licentiam ſibi præſtare in illis caſibus in quibus illam poſſunt præſtare ſibi ſubditis, atque diſpenſare cum illis? Reſpondeo, quòd poſſunt, vt docet Caetanus in 2. 2. D. Tho. q. 96. ar. 5. quem refert, & ſequitur Ludou. Miranda in ſuo man. prælat. t. 2, q. 17. ar. 7.

d Præpoſiti vicem gerant. Intelliguntur dicta verba de Vocali, etiam quod habeat tantum vocem actiuā, vt patet ex principio dicti §. & ex §. *In ſingulis domibus &c.* ibi, *Etiam ſi actiuam tantùm vocem habent, eius vices gerat.*

e Vicarij &c. Vicarij officium quomodo finiatur? Vide Decretum Capituli Generalis anni 1624. factum die 5. Maij, quod incipit, *Per Præpoſitorum &c.* An idem refici poſſit? Vide in Decreto Capituli Generalis anni 1627. die 8. Maij, quod incipit, *Vicarij munus &c.* Qui vero eligendi ſint? Vide Decretū eiuſdem Capituli Generalis anni 1627. editum die 30. Aprilis, quod incipit, *In Definitorio &c.*

f Abſente Præpoſito &c. Aduertendum eſt, quòd ſi abſentia Præpoſiti eſt extra domum tantum, non autem extra ciuitatem, tunc quamuis Vicarius vices Præpoſiti gerat in gubernatione æconomica, non tamen habet Præpoſiti iuriſdictionem, quia dum eſt in eadem ciuitate præſu-

mitur

mitur præſens, quod colligitur ex eadem cõſtitutione p. 3. c.9. §. *Abſente Præpoſito*, vbi prohibet literas ſcribere abſente Præpoſito à Domo, quod intelligitur, dum manet in eadem ciuitate. Si verò abſentia Præpoſiti eſſet non ſolum à domo, ſed etiam à ciuitate, vel eſſet mortuus, vel ex aliqua cauſa dimiſiſſet officium, in iſtis caſibus haberet iuriſdictionem fori conſcientiæ & contentioſi, quia eſſet quaſi Ordinarius, vices Præpoſiti in omnibus gerens, & ſic declarauerunt Patres Dominicani in ſuis Conſtitutionibus, in Capitulo Generali Pariſijs celebrato anno 1246. vt apparet fol. 11. in prologo lit. E. & dicit Syl. in ſumma v. Confeſſor 1. §.8. verſ. tertio nec qui præeſt.

g Vicarius S. Mariæ de Toro &c. De facultate huius Vicarij vide in Decretis p.3.c.7.nu.14. & in Capitulo Generali anni 1624. die 6. Maij, quod incipit, *Vicarius ſancta Maria &c.*

h Vno conuocet &c. Hic dubitari poteſt, quando aliqua Capitulariter tractanda ſunt, & conuocatur Capitulum ad ſonum campanulæ, Quæritur ſi aliquis Vocalis eſt in domo infirmus, qui non poteſt adire locum Capituli, Vtrum teneantur Patres Capituli ire ad cubiculum infirmi, & ibi tractare ea quæ Capitulariter ſunt tractanda? Reſpondeo quod non, ſed duo Vocales de corpore Capituli debent ire ad cubiculum infirmi, & ei referre quæ in ſcrutinio dicta ſunt, & inquirere votum eius, ita tenet Hoſtienſis quem refert, & ſequitur Syl v electio 1. nu.6. in princ.

h. §.1. Aduertendum eſt, quòd in ſingulis domibus, cũ vocandi ſunt Vocales ad Capitulum, monendi ſunt antequam de domo exeant, ſi ea die congregandum ſit Capitulum pro aliquo negocio, vt patet ex Decreto facto in Capitulo Generali anno 1624. die 6. Maij, quod incipit, *In ſingulis domibus &c.*

h §.2.

h.§.2. Sed hic quæri poteſt, quid ſi non moneantur, Vtrum Capitulum ſit nullum? Reſpondeo quòd non, ſed annullari & irritari poterit. c. bonæ de electione, quia non monitus poteſt illud ratum habere ſi voluerit, c. ſi cui, de electione, nam iuri ſuo quilibet renunciare poteſt, l. ſiquis in conſcribendo, C. de pactis, ita Syl. v. electio 1. nu. 6. verſ. quintum &c.

Circa hanc materiam vide Decretum p. 3. cap, 7. nu. 18. quod eſt in fine præſentis Capitis, cum eius declaraiione.

i De quotidianis erratis verba faciat. Nota quod bis in annò in qualibet domo noſtræ Congregationis fieri debet ſcrutinium, tum clericorum, tum laicorum, vt patet ex Decreto Capituli Generalis anno 1618. quod p. 3. c. 7. n. 17. tenoris ſequentis. Tum Clericorum tum Laicorum noſtrorum mores, vitæq; rationem ſingulis annis ſcrutetur Præpoſitus cum Vocalibus ſuæ Domus, iure iurando P. Præpoſito, & Vocalibus obſtrictis ſecreto ſe obſignaturos quæcunque exceperint. Scrutabitur autem interrogatis quotquot domui ſuæ fuerint præſtito etiam ijs ſecreti iuramẽto. Si quod autem grauius facinus, aut vehemens de eo ſuſpicio reperietur, res quamprimum ad P. Generalem deferatur, qui pro rei, vel qualitate ſuſpicionis, quid facto opus ſit decernet.

Et alio Decreto anni 1627. die 29. Aprilis, cuius tenot eſt ſequens. Decretum alias ſemel in anno ſcrutiniũ de Clericorum, & Laicorum moribus, in poſterum fiat bis in anno à Præpoſito, & duobus Vocalibus per ſecreta ſuffragia eligendis, ſcilicet menſe Ianua-

rio,

rio, & per menſem à feſto Corporis Chriſti.

Hoc Decretum fuit declaratum ab A.R.P. Genetali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus die 14. Iulij 1627. vt apparet in libro Conſultationum fol. 17. Poſſe eligi etiam Vocales qui in Capitulo intereſſe nolunt, vel ſunt abſentes, & quod dicti electi, teneantur acceptare, & exequi dictum officium.

Fuit dubitatum circa hoc vltimum Decretum, Vtrum electi à Capitulo domus debeant referre eidem Capitulo ſcrutinium factum? Et conſideratis conſiderandis fuit declaratum ab A. R. P. Generalis D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus die 22. Iulij anno 1627. vt apparet ex libro Conſultationum fol. 17. à tergo. non eſſe neceſſe, ſed ipſos electos ſimul cum P. Præpoſito poſſe facere omne id quod ante Decretum, Capitulum domus facere ſolebat. Excepto quòd ſi dictis electis videretur aliquis Nouitius eijciendus à Religione, debeant hoc particulare Capitulo domus referre, cuius determinationi ſtandum erit, vt apparet in libro Conſultationum fol. 17. à tergo.

Fuit etiam dubitatum, Vtrum eſſent vocandi, & interrogandi in dicto ſcrutinio cæteri Patres Vocales, & alii fratres domus?

Et fuit declaratum ab eiſdem, omnes eſſe vocandos, & interrogandos die 13. Martij 1628. vt apparet ex libro Conſultationum fol. 22. à tergo.

Ab eiſdem, & in eadem die, fuit etiam declaratum, vt apparet in dicto libro Conſultationum fol. 22. à tergo, Dictos Vocales eligendos pro ſupradicto ſcrutinio fratrum Clericorum, & Laicorum debere eligi per ſchedulas.

[k] Idem conſulat &c. Aduertendum eſt, quòd quãuis conſtitutio in hoc loco dicat, *Cõſulat Patres Vocales*, quod verbum

verbum ſonare videtur votum conſultiuum, & non deciſiuum, tamen ex conſuetudine Religionis à fundatione incæpta, & vſque ad præſentem diem perſeuerante in omnibus iſtis caſibus notatis in præſenti §. Præpoſitus quandoque, vſque ad §. Nulla ex noſtris domibus &c. Patres Vocales habuerunt, & habent votum deciſiuum, & conſuetudo declarat legem. c. cum dilectus, de conſuetudine. & l. ſi de interpretatione, ff. de legibus.

k.§.1. Præterea ſciendum eſt, quòd licet regulariter obligatus ad petendum conſilium, non teneatur illud ſequi in foro exteriori, vt ſupra in cap. 7. in fine dictum eſt. at fallit quando id ab alio tanquam à collega, & officij participe petendum eſt, (vt in caſu noſtro) ita Bartolus communiter receptus in l.1. §. ſi plures, nu.7. ff. de exercitoria actione, Dominicus in c. vnico, §. vbi vero, nu. 9. & ibi Francus nu.5. De Sede vacante in 6. & Sanchez in præcep. decal. t.2. lib.5. c.4. nu.65.

k.§.2. Notandum eſt etiam, quòd quando Superiores debent aliquid facere cum conſilio Conſultorum, vel Vocalium, & de facto faciunt abſque conſilio, ſi in illo caſu Conſultores, & Vocales habent votum deciſiuum, vltra inualiditatem actus ex defectu poteſtatis, quia illam habuit modificatam & qualificatam, vt patet ex c. nouit, de his quæ fiunt à Prælatis, & docet Sylu. v. conſilium, nu.6. ibi, ſimiliter non valet ex defectu poteſtatis &c. Superiores peccant mortaliter, quia vſurpant aliorum iuriſdictionem, & lædunt proximum in re notabili. Si vero habent votum conſultiuum, Superiores non petendo conſilium peccant venialiter, dato quòd non errent in re facienda, quia faciunt contra rectam rationem.

Si vero errant in re facta vltra peccatum veniale ſupradictum, ex non petitione conſilij, peccant mortaliter, vel venialiter iuxta errata. Nec ignorantia, vel inaduertentia

poteſt

poteſt illos excuſare. Excuſaſſet tamen ſi conſilium petijſſent. Puniri etiam poſſent depoſito officio, ex tranſgreſſione conſtitutionis.

k.§.3. Vtrum autem actus ſit validus in hoc vltimo caſu, quando habent ſolum votum conſultiuum Conſultores, & Vocales, & Superiores illud non petunt? Reſpondeo, quòd ſic, ita Sylu. v. conſilium nu. 6. ibi, aut habenti prius poteſtatem &c.

l Ante profeſsionem à Religione dimittendus. Hoc intelligitur quando Præpoſitus vellet ex aliqua cauſa Nouitium dimittere: At ſi Nouitius ſponte ex voluntate ſua vellet à Religione diſcedere, non requireretur votum Patrum vocalium, quamuis optimum ſit, vt à Præpoſito fiant certiores de voluntate Nouitij antequã diſcedat.

l.§.1. Sed hic quæri poſſet Vtrum P. Generalis poſſit propria auctoritate dimittere Nouitiũ à Religione abſque conſenſu Præpoſiti localis, & Capituli domus, immo contra illorum voluntatem? Reſpondeo, quòd ſi hoc facit abſque iuſta cauſa peccat, & puniri poſſet à Capitulo Generali, actus vero dimiſſionis erit validus, & quòd peccet patet, quia cum de ſua licentia ſit acceptatus in Religione, vt patet ex Capitulis Generalibus p.2.c.4 nu.14. contra rectam rationem ageret in re graui, in præiudicium tertij, illum dimittendo abſque legitima cauſa, & per conſequens pro modo culpæ puniri poſſet. Quod actus erit validus, patet, quia à nulla lege annullatur, & multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Si vero P. Generalis illum dimittit ex aliqua iuſta cauſa ſibi viſa, & maximè quando eſſet diſcuſſa vnà cum Patribus Conſultoribus, tunc poteſt illum dimittere etiam contradicente Præpoſito locali, & Capitulo domus, & ratio eſt, quia habet ſupremam poteſtatem in gubernatione Religionis, & ad ipſum ſpectat examinare

actiones ſuorum ſubditorum, & prouidere de iuſtitia, vnde ſi Capitulum domus poteſt illum dimittere à Religione, multo magis poteſt P. Generalis vnà cum Conſultoribus. Præterea ſi cum cauſa poteſt expellere à Religione profeſſum, declarando illum incorrigibilem, quanto magis poteſt cum cauſa expellere Nouitium. Nec obſtat conſtitutio in loco ſupradicto p. 3. c 9. §. Præpoſitus quãdoque &c. quia loquitur de Præpoſito locali, ipſe enim non poteſt abſque conſenſu Capituli illum dimittere, etiam cum iuſta cauſa, ſecus vero de Præpoſito Generali, qui habet ſupremum regimen totius Religionis.

De Capitulis domorum, vide omnino quæ deciſa fuerunt in Capitulo Generali anni 1627. die 29. Aprilis, Decreto quod incipit, *In Capitulis domorum &c.*

m Aere alieno &c. De hac materia vide Decretũ ſtatutum à Capitulo Generali anni 1624. die 5. Maij, quod incipit, *Ne domus noſtra, &c.* in quo ſtatuitur pœna contra tranſgreſſores præſentis conſtitutionis.

n Cum Vocalis &c. Hic quæri poteſt, Vtrum in Capitulo domus, teneatur Prælatus primus omnium, dicere votum ſuum? Reſpondetur affirmatiuè, quando Patres vocales habent votum deciſiuum; ſecus vero quando habent votum conſultiuum, & ita fuit declaratum à P. Generali D. Eliſeo Nardino, & ſuis Conſultoribus, in tertio triennio ſui Generalatus.

o Communes literas &c. Aduertẽdum eſt, quod literæ communes ſcriptæ ab A R. P. Generali, Præpoſitis, & Vocalibus, aperiri non poſſunt à Præpoſito niſi in Capitulo domus, vt patet ex ordinibus factis à P. Generali, tit. *Ordini diuerſi &c.* nu. 15. fol. 11. Vnde conſtitutio procedit

in

in alijs literis communibus ab alijs ſcriptis, & ita fuit declarata præſens conſtitutio à Generali P.D Andrea Caſtaldo, & ſuis Conſultoribus anno 1619. die 8. Nouembris, vt apparet ex regiſtro conſultationum fol. 85.

P Nemo literas &c. De hac materia vide Decretum factum à Capitulo Generali anni 1624. die 3. Maij, quod incipit, *Ad euitanda &c.* & circa hoc Decretum aduertendum eſt, quòd dum dicit, *Sacerdotum non Vocalium literas, propria manu ſubſcribant Præpoſiti*, non intelligitur de illis ſacerdotibus, qui ſub ſcrutinio fuerunt in Capitulo Generali poſt duodecimum annum à profeſſione, licet in Vocalium numerum non fuerint admiſſi, vt declaratum fuit à P. Generali D. Vincentio Giliberto, & ſuis Conſultoribus die 20. Iulij anni 1625. vt apparet in libro Concluſionum Conſultæ fol. 9. nu. 5. Præterea de illis verbis, *Qui literas dediſſe aut recepiſſe inſcio Præpoſito, & contra hanc legem repertus fuerit, grauiter puniatur.*

p.§.1. Dubitari poteſt, qua pœna ſit puniendus tranſgreſſor? Reſpondetur, quòd ſi in litera aliquid mali non continetur, debet puniri aliqua pœna regulari, arbitrio Superioris. Dixi regulari, quia delictum non eſt aliud niſi tranſgreſſio Regulæ. Dixi arbitrio Superioris, quia quod à lege determinatum non eſt, arbitrio Superioris eſt determinandum, conſideratis circunſtantijs delicti.

p.§.2. Quæri etiã poteſt, quando Religioſus poſſit, vel teneatur manifeſtare ſuis Prælatis propria delicta, vel aliorum Religioſorum ſuæ Congregationis?

Quæſtio hæc difficilis, & vtiliſſima eſt, & nimis frequens Regularibus, pro cuius euidentia, hæc ſunt præmittenda.

Primo, quòd eſt differentia quando delictum eſt graue, puta peccatum mortale, & quando leue, puta veniale.

Secundo, eſt etiam differentia, quando peccatum eſt pu-

blicum, & quando occultum; Occultum enim dicitur etiã ſi à duobus, vel tribus teſtibus ſciatur, dummodo nulla infamia orta ſit. Nauar. in manuali cap. 27. nu. 250. verſic. decimo &c.

Tertio, peccatum poteſt eſſe, vel ſolum in damnum ipſius peccantis, vel in damnum aliorum.

Quarto, peccatum quod eſt in damnum aliorum poteſt eſſe, vel in damnum publicum, ideſt totius communitatis, vel in damnum alicuius perſonæ priuatæ.

Quinto, aliquando ſubditus tenetur manifeſtare, & aliquando eſt in ſua poteſtate manifeſtare, vel non manifeſtare.

Sexto, Superior Religioſorum non ſolum eſt Iudex, ſed etiam pater; & ideo eſt differentia quando manifeſtatur delictum tanquam Iudici, vel tanquam patri.

Septimo, eſt differentia quando Prælatus eſt diſcretus, & pius qualis eſſe debet, & quando non eſt talis.

His igitur præmiſſis abſoluam quæſtionem infraſcriptis concluſionibus.

Prima concluſio, Peccata publica ſiue ſint mortalia, ſiue venialia, ſiue in damnum aliorum, ſiue ipſius peccantis tantum, manifeſtari poſſunt Superiori tanquam patri, & tanquam Iudici, ſi bono zelo manifeſtans moueatur. Et ratio eſt, quia in hoc caſu non læditur fama proximi, quia illam iam perdidit peccans, publice peccando. Et publicè peccantes, publicè ſunt corrigendi, vt cæteri timorem habeant, iuxta Apoſtolum in epiſt. 1. ad Timoth. c. 5. Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 4. de reformat. & c. 1. de pœnit. & remiſſ. vbi Alexander Papa inquit, Manifeſta peccata, non ſunt occulta correctione purganda; & ita etiam docet D. Tho. in 2.2. q. 33 ar. 7. & Sot. de ratione teg. ſecr. memb. 2. q. 4. concl. 1. & Nauar. in man. c. 24 nu. 14. Et ſciens Viſitatoribus, vel Prælato in inquiſitione generali tenetur manifeſtare

ſtare dum legitimè interrogatur. Salon in 2.2.D.Tho.t.1 ſuper q.68.art.1.contr.2.concl.3.

Secunda concluſio, Peccata etiam occulta, quæ vergunt in damnum commune Religionis; vt ſunt peccata quibus populus de facili ſcandalizatur, vel peccata, quæ infamant, vel infectant Religionem, non ſolum manifeſtari poſſunt, ſed debent; & maximè quando à Superiore præcipitur, vt manifeſtentur, vt docet Salon in 2.2. D.Tho.to.1.q.68.ar. 1.controu.2.regula 1. & Sayrus in lib. 11. clauis regiæ c.4. nu.4. Et ratio eſt, quia membra ſubuenire debent toti corpori, & damnum commune præferri debet priuato. Et intelligitur concluſio etiam prætermiſſa correctione fraterna, quia de ſimilibus, nunquam, vel raro ſperatur correctio, & taliter peccantes debent eſſe noti Superioribus, dato quòd ſint emendati, ad præcauendum recidiuum.

Eſt tamen aduertendum primo; quòd licet raro ſperetur correctio in ſimilibus caſibus. Si tamen adeſſet ſpes probabilis correctionis, deberet neceſſario præmitti, vt ſeruetur præceptum Euangelicum; nec eſt opus, vt quis ſit omninò certus ſua correctione fratrem eſſe emendandum, ſed ſufficit, vt probabiliter ſperet emendationem.

Eſt aduertendum ſecundo, quòd ſi ſciens probare non poteſt delictum, non tenetur manifeſtare Superiori tanquam Iudici, ſed tanquam patri, vt poſſit remediū afferre.

Eſt aduertendum tertio, quòd quando denunciator ſcit certò, vel probabiliter peccatorem eſſe emendatum, & denunciatio fit ſolum ad præcauendum recidiuum, quod probabiliter timetur, debet denunciare Superiori tanquam patri, non autem tanquam Iudici, quia ſic ſufficienter erit prouiſum malo futuro.

Delicta, quæ infamant, vel infectant Religionem, & vergunt in damnum commune hæc ſolent eſſe, Hæreſis, Incantationes, & Sortilegia, in quibus eſt ſacramentorum,

vel ſacramentalium abuſio, vel interuenit expreſſa Dæmonum inuocatio, nam ſapiunt hæreſim manifeſte; Peccata carnalia, ſollicitationes ad malum, nimis, & frequens familiaritas cum mulieribus, vel hominibus ſuſpectis, ex quibus proximus facilè ſcandalizatur, & ſimilia, arbitrio prudentis, conſideratis circunſtantijs, quæ occurrere ſolent.

Tertia concluſio, Peccata occulta alicuius, quæ ſunt in fieri, & vergunt in damnum priuatum tertij, ſi correctione firmiter, vel probabiliter ſperatur emendatio, nec probabilis dubitatio remanet, vt in futurum in idem reincidat, non ſunt manifeſtanda Superiori, vel alijs, ſi vero firmiter, vel probabiliter non ſperatur correctio, vel probabiliter dubitatur de recidiuo, dato quod correctus videatur, ſunt manifeſtanda Superiori, vel alijs, qui poſſunt malum impedire; ſaluando quantum fieri poteſt famam proximi, ideſt non manifeſtando delinquentem ſi fieri poteſt; & quando æquale eſſet periculum peccantis, & innocentis, ſubueniendum erit potius innocenti, quàm famæ nocentis. ita Sayr. in lib. 11. clauis regiæ cap. 4. nu. 5.

Quarta concluſio, Peccata occulta iam commiſſa, quæ vergunt in damnum priuatum tertij, vel ipſius peccantis ſolum, vt rixæ, contentiones, iniuriæ, percuſſiones, furta, fractio ieiunij, blaſphemiæ, & ſimilia, ſi ſint emendata, vel correctione ſperatur emendatio, nec dubitatur de recidiuo, non ſunt manifeſtanda Superiori, nec amico, vel alijs. ita Sot. de rat. teg. ſecret. memb. 2. q 4. concl. 3. dubit. 3. & concl. 4 Sayr. in lib. 11. clauis regiæ c. 4. nu. 13. & 14.

Et licèt ſumma Angelica in v. denunciatio, n. 10. expreſſe contrarium doceat, & Riccard. in 4. ſent. diſt. 19 ar. 3. q. 1. ad ſecundum, prima tamen opinio eſt verior, & communis, vt docet Sayrus vbi ſupra. Si vero non ſunt emendata, vel correctio non ſperatur, vel dato ſint emendata probabiliter dubitatur de recidiuo, licitè poſſunt Superiori

tanquam

tanquam patri manifeſtari, non autem tanquam Iudici, quia manifeſtando tanquàm patri non dicitur Eccleſiæ,ſed perſonæ proficienti ad eius emendam. Si Prælatus in hoc caſu præcipiat manifeſtationem,intelligi debet præceptum Prælati, præmiſſa prius correctione fraterna,ſiue præceptũ fiat communiter ad omnes, ſiue ſpecialiter ad aliquem. ita D.Tho. in quodlibeto 1.ar.16. & in 2.2.q.33.ar.7.in reſp. ad quartum & quintum.

Excipitur quando Prælatus procederet vt Iudex, & iuris ordine ſeruato præciperet, vel interrogaret, nempe ad accuſationem partis, vel præcedente infamia, vel ex grauibus indicijs, vel delictum eſſet ſemiplene probatum. In his caſibus teneretur manifeſtare, etiam correctione non præmiſſa; & dato quod delinquentes eſſent emendati, quia Prælatus vt Iudex in hoc caſu intendit punire delinquẽtes, ob publicam vtilitatem, nempe vt alij eorum pœnis arceantur à criminibus. ita D.Tho. in locis præallegatis.

Quinta concluſio. In criminibus quæ ſunt in damnum alterius publicum, vel priuatum adhuc imminens,& quod adhuc eſt in fieri, & Prælatus vt Iudex inquirit, & interrogat: teſtis ſi dubius ſit an teneatur reſpondere, debet peritos conſulere, & de ſua obligatione certus reddatur, & interim vti poteſt amphibologia quod ſi poſtea adhuc manet in dubietate, debet Iudicem vltro adire, & veritatem propalare, ſecundum intentionem Prælati, vt probat Salon in 2.2.D Tho.to.1.ſuper q.69 ar.2 contr.3.concl.5.

Sexta concluſio. In criminibus, quæ non ſunt in damnũ imminens alicui, nec publicum, nec priuatum,ſed iam ſunt præterita,& commiſſa, tam teſtis, quàm reus, quando prudenter ſunt dubij, an Prælatus,qui vt Iudex inquirit rectè, & iuridicè interroget, non tenentur ei reſpondere. ita Salon vbi ſup.t.1.q.69.ar.2.controu.3.concl.1.

Septima concluſio, Si alicui eſt damnum illatum, vel

aliquis

aliquis eſt offenſus ab alio, poteſt damnificatus, vel offenſus manifeſtare peccatum offendentis Superiori, etiam nō præmiſſa correctione fraterna. Et ſi offenſam ſibi factam probare poterit, vel damnum illatum, manifeſtare etiam poterit Superiori tanquam Iudici; ſi vero non poterit probare, manifeſtare poterit tanquam patri. Probatur hæc concluſio ex his, quæ dicit Salon in 2. 2. D.Tho.to.1.q.68. ar.1.controu.2.concl.4.

Octaua concluſio, de Actionibus, quæ tendunt, & ordinata ſunt ad mortalia (ex quibus oriuntur vehementes ſuſpiciones) idem eſt iudicium prout eſt de peccatis mortalibus, vt ſunt nimia familiaritas cum mulieribus, vel alijs perſonis ſuſpectis, ingreſſus ad domum ſuſpectā, & ſimilia.

Nona concluſio, ſi Prælatus ad conſeruandos fratres liberos à peccatis, & ad regularem obſeruantiam conſeruandam præcipiat alicui fratri, puta Titio, vt diligenter obſeruet actiones aliorum fratrum, & Titius tanquam perſona publica à Prælato conſtituta ad bonum commune (prout paſſim conſtitui ſolent ad hunc effectum Promotores fiſcales, ſiue alij, qui dicuntur Maſſari, ſiue Iurati) poterit manifeſtare Prælato omnia, quæ vidit, vel audiuit correctione digna, abſque peccato; immo ex officio tenetur manifeſtare, etiam non facta prius correctione fraterna; & ratio eſt, quia finis huius manifeſtationis eſt publica vtilitas: finis verò correctionis fraternæ eſt emendatio fratris, vnde cum non conueniant in fine, vna non exigitur ad aliā; Et huiuſmodi publici denunciatores non prohibentur recipi in teſtes in leuibus delictis, ita Farinac. de teſtib. q. 60. illatione 1.nu.74.Maſcard.de probat.concl.26.nu.9.Campegius de teſtib.reg.104. in 1. fallentia.

Decima concluſio, quando Prælatus legitimè ſuum ſubditum interrogat, tenetur ſubditus veritatem confiteri ſecundum intentionem Prælati interrogantis, ſiue teſtis ſit,

ſiue

ſiue reus. Hæc concluſio eſt D.Tho.in 2.2. & quantum ad reum, in q.69.art.1. & quantum ad teſtem in q.76.ar.1.& eſt communiter approbata, illam etiam docet Sot. de rat. teg.ſecr.memb.2.q.7.concl.1. Ex hac concluſione deducitur, quòd dum Viſitatores in Viſitationibus generalibus, generaliter interrogant fratres, vtrum Conſtitutiones obſeruentur, vel regularis diſciplina ſeruetur, & ſimilia, tenetur ſubditus veritatem dicere, & ſi ex illa reſponſione generali forment Viſitatores aliam interrogationem generalem magis reſtrictiuam, tenetur etiam veritatem manifeſtare, & ſi ex ſecunda reſponſione colligant aliquod indicium contra particularem perſonam, poſſunt formare interrogatorium contra particularē perſonam, & ſic ſemper quòd legitimè interrogant, ſubditus tenetur veritatem manifeſtare.

Vndecima concluſio, ſi Prælatus non vt Iudex, ſed vt pater interrogaret ſubditum, & ipſe ſubditus ſponte, vel lapſu linguæ diceret ſe commiſiſſe aliquod crimen, etiam graue, non haberet Prælatus ius inquirendi iudicialiter, ſed ſolum fraternaliter corrigendi. ita Sot.de rat.teg.ſec. membro 2.q.6.concl.3.col.2.ante verſ. tertium caſum &c. Idem dicendum eſt, ſi manifeſtaret aliquod crimen ſecretum alterius; & ratio eſt, quia dum manifeſtatur ei vt patri, non poteſt vt Iudex punire, vel inquirere, niſi aliunde ei iuridicè innoteſcat.

Duodecima concluſio, Licet regulariter reus nunquam teneatur manifeſtare proprium delictum Superiori, niſi quando iuridicè, & legitimè interrogatur: tamen quando Prælatus vt pater interrogat ſubditum de aliqua leui culpa occultè commiſſa, (de qua habet aliquam ſuſpicionem contra ipſum) vt corrigat eum, rectè facit, ſubditus, ſi veritatem dicit in ſenſu communi, quia licet Prælatus non ſit Iudex occultorum, ſed tantum Deus, tamen quia Reli-

gioſus tendere debet ad perfectionem, & Prælatus cupit ſcire illam culpam, vt corrigat ob priuatam vtilitatem, nō debet patri occultare illam: Et diſcretus Prælatus ex alia parte, non debet illam corrigere coram alijs, ſed inter ſe, & ipſum ſolum; ſi vero ſubditus diceret veritatem in ſenſu priuato, & ſic ambiguè reſponderet, non peccaret, nec etiam venialiter, quia in rigore non tenetur ſe manifeſtare, & confirmatur, quia nec Confeſſori interroganti de aliqua culpa veniali tenetur pœnitens ſe prodere, & reſpondere in ſenſu communi, quia non tenetur illam confiteri, cum ſit materia voluntaria, & non neceſſaria, ergo multo magis Prælato.

Decimatertia concluſio, quando aliquis cognoſcit Prælatum eſſe pium, diſcretum, ſpiritualem, & non habentem rancorem, ſeu odium aduerſus ſubditum delinquentē. Et quod ſua auctoritate, & prudentia remedium poterit adhibere delinquenti, quod ipſe ſua correctione adhibere non poſſet, poterit, ſine præuia monitione ſecreta, manifeſtare delictum occultum fratris, Superiori, tanquam patri, dato quòd delictum ſit graue. ita D.Tho. in quodlibeto 11. q. 10. ar. 13. quem refert, & ſequitur Sayrus in lib. 11. clauis regiæ cap. 4. nu. 14.

Quartadecima concluſio, Ex conſenſu ipſius qui deliquit, poteſt alter, crimen delinquentis, non præmiſſa ſecreta correctione, ſtatim Superiori indicare. ita docet Gregorius de Valentia in 2.2. D.Tho. to. 3. diſp. 3. q 10. puncto 5. §. quintus caſus &c. quem refert, & ſequitur Sayr. in lib. 11. clauis regiæ c. 4. nu. 9. in fine, verſ. quintum eſt, & n. 20.

q Literis &c. Idem ſeruandū eſt cum Patribus Conſultoribus, ſiue ſimul iunctis, ſiue ſeparatim cum vnoquoque illorum, & ita fuit declaratum à P. Generali D. Andrea Caſtaldo, & ſuis Conſultoribus anno 1618. & ad

hunc

hunc effectum fuit impreſſum ſigillum ſeparatum pro Cõſultoribus, ad hoc vt Præpoſiti illud videntes, literas non aperirent.

r Annalium &c. In hac materia annalium, vide quod determinatum eſt in Capitulo Generali anni 1624. in determinationibus negociorum particularium, die 8. Maij, quæ incipit, *ſi determini per ciaſcuna prouincia &c.*

ſ Accepti & expenſi rationem &c. Vide Decretum Capituli Generalis anni 1624. die 5. Maij, quod incipit, *Ne domus noſtra &c.* & Decretum anni 1627. die 9. Maij, quod incipit, *In qualibet domo &c.*

t Elapſus ſit &c. Quod ſtatutum eſt in hac Conſtitutione eſt iuri communi conforme, quia Officialis etiã completo tempore ſui officij, debet miniſtrare in ſuo officio, quoaduſque ſuperueniat ſucceſſor, l. meminiſſe, ff. de officio Proconſulis, l. 1. §. Adminiſtrationem, C. vt omnes Iudices Ciuiles.

In Decretis Capitularibus noſtræ Congregationis par. 3. cap. 7. ſunt multa Decreta conſideratione digna, quæ pertinent ad rubricam præſentis Capitis, ideo operæpretium duxi, illa hic ponere & commentis explicare.

t. §. 1. In Decretis par. 3. cap. 7. num. 4. Præpoſitus nominatus, vel præſentatus Epiſcopus, octo dierum ſpatio animum apetiat, num aſſentiatur nominationi, vel præſentationi, ſin ſecus elapſo ſpacio à Præpoſiti munere ipſo facto cadat. Cum ita Patres ſe eum in Præpoſitum elegiſſe intendant.

Vide originale Decretum, quia clarius loquitur: hæc

ſunt verba Decreti originalis: *Infra octo dierum ſpacium teneantur animi ſui mentem de eo acceptando, aut renunciando aperire, quibus elapſis, ſi nominationi, aut præſentationi de ſe factæ aſſenſerint, vel ſe declarare noluerint, ſtatim & ipſo facto à Præpoſiti munere ceſſaſſe cenſeantur.*

t.§.2. Hic primo dubitari poteſt, Vtrum hoc Decretum comprehendat Præpoſitum Generalem, quia quamuis non poſſit Epiſcopatum ambire, nec ſponte oblatum acceptare abſque præcepto Summi Pontificis, poteſt tamen illum facto ſibi præcepto acceptare, Vtrum præſtito conſenſu cenſeatur ipſo facto à Præpoſiti Generalis munere ceſſare? Reſpondeo affirmatiuè, quia eadem eſt ratio, & propterea idem ius eſſe debet.

Secundo dubitari poteſt, ſi aliquis Vocalis eſſet nominatus, vel præſentatus Epiſcopus, Vtrum includatur in dicto Decreto? Reſpondetur quod non, quia non eſt eadem ratio de Vocalibus, quæ eſt de Præpoſitis; præterea Vocales non ſunt electi cum hac conditione, cum qua ſunt electi Præpoſiti, & ideo priuari non poſſunt ipſo facto voce. Et hoc procedit in omni actione, etiam in electione Vocalis pro Capitulo Generali.

t.§.3. Maior dubitatio eſt de Vocali, qui exercet officium loco Præpoſiti propter eius mortem, vel abſentiam, Vtrum ſi nominatus, vel præſentatus ſit Epiſcopus, & nominationi, vel præſentationi de ſe factæ aſſentiatur, vel ſe declarare noluerit, ipſo facto, elapſo octauo die, à gubernatione domus ceſſet? Et duæ poſſunt eſſe opiniones, Vna affirmatiua, Altera verò negatiua. Pro parte affirmatiua facit Regula iuris, quæ dicit, quòd vbi eſt eadem ratio debet eſſe eadem iuris diſpoſitio, c. dudum, il 2. de electione,

c. cum

c. eum dilecta, de confirmatione vtil. li. illud, ff. ad legem aquiliam. ſed ratio huius Decreti fuit fauor Religionis, vt gubernaretur domus à filijs Religionis qui permanent in Religione, & non ab illis, qui animum habent diſcedendi ab illa, (ſemper enim melius gubernatur domus ab illis, qui permanet in Religione, quàm ab illis, qui animum habent diſcedendi à Religione) quæ ratio æqualiter procedit in Vocali, qui gubernationem habet domus loco Præpoſiti quàm in Præpoſito: ergo idem ius eſſe debet.

Pro parte verò negatiua facit, quòd ſumus in pœnalibus, in quibus ſtricta fieri debet interpretatio i cap. odia de reg. iuris in 6. Vnde non debemus ampliare pœnam Decreti à Præpoſito ad Vocalem, qui regit domum loco Præpoſiti.

Nec obſtat ratio ſupradicta pro parte affirmatiua, quia non ita procedit ratio dicti Decreti in Vocali, qui regit domum loco Præpoſiti ſicut in Præpoſito, nam ante dictum Decretum, ſi Præpoſitus erat nominatus Epiſcopus non poterat Generalis tollere gubernationem domus à dicto Præpoſito, niſi poſt electionem ad Epiſcopatum, Vnde occurrebat, quòd per multos menſes domus detrimentum patiebatur, quod detrimentum non poteſt occurrere in Vocali ſupradicto ſi eſſet nominatus Epiſcopus, quia ſtatim poteſt à P. Generali remoueri à gubernatione domus. Vnde cum diuerſa ſit ratio, quod diſpoſitum eſt in vno caſu, non debet extendi in alium caſum, & hoc procedit ſiue diſpoſitio dicti Decreti ſit pœnalis, ſiue conditionalis: Vtraque opinio mihi videtur probabilis.

f. 9. 4. Tertio dubitari poteſt, An Religioſus ad Epiſcopalem dignitatem aſſumptus gaudeat priuilegijs ſuæ Religionis? Reſpondeo non gaudere, ita Rodriquez in ſuis qq. regular. tom 2. q. 58. art. 4. qui affert motum proprium Sixti IV. quem refert, & ſequitur D. Bartholomæus à S.

Fauſto

Fauſto in ſuo theſauro Religioſorum lib. 6. q. 197. & ratio eſt, quia ſicut eſt liber ab obedientia Superiorum Regularium, ita quoque priuilegijs ſuæ religionis gaudere non debet.

t.§.5. Quarto dubitari poteſt, Vtrum Religioſus ad Epiſcopalem dignitatem aſſumptus, ſi poſtea Epiſcopatum deponat, compellatur redire ad Religionem?

Reſpondeo, quòd variæ ſunt Doctorum opiniones, nam Abulenſis in c.30.Numeri q.109. Paludanus in 4.ſent.diſt. 38.q.4.ar.3. Aragon in 2.2.D.Tho.q.88.ar.11. & Azorius lib.12, inſtit. moral. c.7.in fine, tenent redire compelli ad Religionem. E contra vero Nauar. in conſilijs lib.3.tit. de Regularibus conſil.15.nu.11. Rodriquez tom.3. quæſt. regular. q.52.ar.26. & alij tenent quod non, quæ eſt magis vſu recepta.

Quæ opinio negatiua ampliari poteſt; procedere, non ſolum quando ſponte renunciauit Epiſcopatui, ſed etiam quando eſſet depoſitus, vel illo priuatus ob eius demeritũ.

t.§.6. Sed quid ſi renunciaſſet non ſolum Epiſcopatui, ſeu loco, ſed etiam dignitati, vel propria culpa eſſet degradatus? In hoc caſu D. Barthol. à S. Fauſto in ſuo theſauro relig.lib.6.q 202. dicit, quòd tenebitur ad Religionem redire, cum exuatur omnibus priuilegijs ratione dignitatis ſibi conceſſis, & per conſequens ceſſabit quoque priuilegium exemptionis ab obedientia Religionis.

Sed hæc opinio quamuis ſit probabilis, probabilior videtur oppoſita, quod non teneatur redire ad Religionem etiam in hoc caſu, & ratio eſt, quia exemptio ab obedientia Religionis eſt fundata in dignitate Epiſcopali, quæ dignitas procedit ex charactere, quem recipit Epiſcopus, vel dilatatur in eius conſecratione; Vnde quamuis Epiſcopus renunciet dignitati, (vel ſit degradatus) & per conſequens exuatur priuilegijs ratione dignitatis ſibi conceſſis, remanet

net tamen dignitas, quia reſignatio non abſtulit illi ordinem, ſed executionem, vt patet ex cap. vnico de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui, & ibi glo.v.executionem, & Panorm.nu.3. & Suarez in 3.p.D.Tho. to.3. diſp.36.ſect.3. & Sylu.v.Degradatio, num.9. Vnde ſi ordinat, validè ordinat, licet ordinatus ſit ſuſpenſus ab executione, vt in dicto tex. & glo. & Panorm. Et ſimiliter ſicut ſacerdos degradatus, licet priuetur vſu, & priuilegijs ſacerdotalibus, vt docet Suarez, & Sylu. in locis præallegatis, non tamen priuatur ipſo ordine ſacerdotali, quia non priuatur charactere, qui eſt impreſſus in anima: ita etiam dicendum eſt de Epiſcopo degradato, quòd licet priuetur vſu, & priuilegijs ratione dignitatis ſibi conceſſis, non tamen priuatur ipſa dignitate impreſſa in anima, ratione characteris propter conſecrationem. ita Sylu. v. Degradatio, num. 9.

In Decretis p.3. c.7.nu.7. Vrgente, neceſſitate, vel ob publicum ſcandalum, (quod abſit) poſſit Præpoſitus tranſmittere aliquem è ſuis in proximiorem domum, de conſenſu tamen eius Præpoſiti, à quo loco depoſiti tantum habeatur. Circa hoc Decretum eſt aduertendum, quod ab A. R. P. Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus die 21. Martij 1628. fuit ordinatum, quòd non obſtante quacunque conſuetudine, nullus Superior poſſit tranſmittere aliquem Patrē, vel Fratrem de vna Prouincia ad aliam, abſque expreſſa licentia P. Generalis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, ſi eſt Præpoſitus, Vicarius, vel Viſitator, & ſi eſſet ſimplex Vocalis, ſub pœna ſuſpenſionis vocis actiuæ, ac paſſiuæ ipſo facto incurrenda: & tranſmiſſi cum dicta licentia intelligantur incidiſſe ipſo facto in pœnam carceris per tres menſes.

In

t.§.7. In Decretis p.3.c.7.nu.9. Ordinationes à P.Generali, ſeu à quolibet alio Præpoſito in ſua Domo factæ, indictæ vel, in ſuo robore permaneant, & vnuſquiſque accuratè ſeruet, etiam ſi ad Generale Capitulum illi ſe contulerint, munusq; ſuum abdicauerint, quouſque à Generali Capitulo, vel à ſucceſſore ſpeciatim abrogentur.

De iure præcepta Superiorum ad aliquid faciendum, vel non faciendum obligantia, niſi emanent per modum Conſtitutionis à potenti illam facere, ſed iubeantur ab homine, ſemper expirant mandantis morte, vel extincta eius iuriſdictione, quamuis res non integra ſit, quia cum ea præcepta non ſint Conſtitutiones, & abſque cauſæ cognitione, & prolatione ſententiæ proferantur, nec per illa committatur iuriſdictio, non ſunt natura ſua perpetua, nec poſſunt ligare extincta præcipientis iuriſdictione, vt patet ex l. fin. ff. de pœnis, & docet Sylu. v. Delegatus, q.3. Corduba, Menochius, & alij quos refert, & ſequitur Sanchez de matrim. lib. 8. diſp. 28. nu. 47.

Sed poſſet quis dubitare de validitate præſentis Decreti ex ſupradicta doctrina; cum enim ſit contra ius, videtur per conſequens non habuiſſe facultatem Capitulum Generale illud ſtatuendi, ſed reſpondetur primo fuiſſe factũ ab habente poteſtatem legem condendi: Vnde licet ex natura ſua, huiuſmodi præcepta non ſint perpetua, tamen Capitulum Generale poterat illa præcipere per Conſtitutionem in perpetuum. Secundo licet ex natura ſua, & legis declaratione dicta præcepta expirent, extincta præcipientis iuriſdictione, tamen non prohibet lex quin poſſit fieri (in perpetuum per viam Conſtitutionis ab habente poteſtatem legem condendi) vt non expirent per extinctionẽ iuriſ-

iuriſdictionis,ob bonum commune. Tertio dictum Decretum licet conforme non ſit iuri ciuili, tamen eſt rationabile, & non eſt ſacris Canonibus, nec bonis moribus contrarium; ergo eſt licitum.

t.§.8. In Decretis p.3.cap.7.nu.11. Nullus Viſitator in Vicarium eligatur, nec qui noſtræ Congregationis onera minime ſuſtinet. Singulis annis à Præpoſito domus deſignetur,& à P. Generali creetur. Vltra triennium in domo eadem nė prorogetur. Abſente vel mortuo, aut muneri ſuo in Capitulo Generali, vel quouis alio modo abdicante Præpoſito, Vicarius munus ſuum exercet, donec alius Præpoſitus ſufficiatur, domumq; ſuam adeat.

t.§.9. Aduertendum eſt, quòd licet Vicarius confirmari non poſſet vltra triennium, tamen quando compleret triennium, paulò ante Capitulum Generale, & à Præpoſito non eſſet nominatus nouus Vicarius, nec ipſe remotus, poſſet cum conſenſu A.R.P. Generalis & PP. Conſultorum continuare officiũ Vicariatus, quouſque à Capitulo Generali eſſet nouus Præpoſitus electus; & ratio eſt.

Primo, quia præſens Decretum non intelligitur mathematice, ſed moraliter, ideſt, vt confirmari non poſſit per alium annum.

Secundo, non conuenit in eo tempore, quo diſceſſurus eſt Præpoſitus eligere nouum Vicarium, & mutare gubernationem totius domus.

Tertio, ſi eligeretur nouus Vicarius in illo tempore, cogeretur (certo modo) futurus Præpoſitus, & P. Generalis illum confirmare, quia non confirmando illum, & eligendo alium, ſcandalizarentur ſeculares videndo tot mutationes,in tam breui tēpore. Et in praxi ita fuit obſeruatum

in domo Sancti Georgij Rimini anno 1621.

b.S.10. Hic dubitari poteſt, Verum Vicarij Tuſculanæ domus, & Vici Aequenſis habeant iuriſdictionem fori exterioris, & poſſint iudicialiter punire illos, qui delinquunt in eorum domibus? Et ratio dubij eſt, primo, quia quando eliguntur non ſunt nominati à Præpoſitis domorum, à quibus dependent, ſed immediatè ſunt electi à P. Generali. ſecundo in Decretis p.3.c.7.nu.14. dum fit mentio de Vicario Vici Aequenſis dicuntur hæc verba, *Extra ſuam domum nullam iuriſdictionem exerceat*, vnde à contrario ſenſu colligitur, quòd in ſua domo iuriſdictionem exerceat. Reſpondeo, quòd dicti Vicarij licet nomine differant à Præpoſitis, tamen in ſuis domibus ſunt verè, & propriè Prælati, & habent eandem iuriſdictionem in ſuos ſubditos, quam habent noſtri Præpoſiti locales in ſuis domibus, tam in foro exteriori, quàm in foro animæ, vt patet ex Ludou. Miranda in ſuo man. prælat. to.2.q.20.ar.1.concl.1. In electione vero Vocalis pro Capitulo Generali, debet Vicarius cum ſuis Vocalibus conuenire cum alijs Vocalibus domus à qua dependent.

De facultate Vicarij S. Petri de Arena Ianuæ, vide in Proœmio conſtit. commento ſuper verbo Quamuis autem &c. in fine.

In Decretis p.3. cap.7. nu.15. Abſente Præpoſito, & Vicario, ſenior ex Vocalibus (licet alius eſſet ſacerdos profeſſione prior) in ſolemnioribus diebus celebret, & quo ad omnia ſemper Præpoſiti iura in ſpiritualibus exerceat.

t.S.11. Senior ex Vocalibus intelligitur ille, qui profeſſione ſenior eſt, quamuis actiuam tantum vocem habeat, ſed aduerte quòd in fine dicti Decreti dicitur, *Præpoſiti iura* (nota) *in ſpiritualibus exerceat*; Ergo in temporalibus iura

Præpo-

Præpoſiti non videtur poſſe exercere, & rationabiliter, quia cum careat voce paſſiua, non poteſt eligi in Præpoſitum; ergo nec iura Præpoſiti exercere poterit in temporalibus, Vicario abſente, vel mortuo, ſed tantum in ſpiritualibus, nempe celebrando in feſtiuitatibus in quibus ſolent Præpoſiti celebrare, vt patet ex præſenti Decreto. Reſpondeo tamen, quòd non tantum in ſpiritualibus, ſed in rebus omnibus Præpoſiti vicem gerit, vt patet ex conſtitution. parte 3. capite 9. §. Qui voce caret paſſiua, iuncto verſiculo, Abſente tamen Præpoſito. Vnde in hoc Decreto dicitur in ſpiritualibus exerceat, ad excludendos ſimplices ſacerdotes, qui Vocales non ſunt, quamuis profeſſione ſint ſeniores. Et Vocales voce tantum actiua, licet eligi non poſſint in Præpoſitos, poſſunt tamen abſente, vel mortuo Præpoſito, & Vicario, iura præpoſiti in rebus omnibus exercere, ex vi dictæ conſtitutionis approbatæ à Clem. VIII.

t. §. 12. In Decretis p. 3. cap. 7. nu. 18. Ad Capitulum cuiuſque Domus omnes prorſus eius Domus Vocales conueniant, qui pro ſuo libito per tres continuas vices abfuerit, per trimeſtre actiuo, & paſſiuo ſuffragio puniatur.

t. §. 13. Hoc Decretum fuit declaratum ab A. R. P. Generali D. Vincentio Giliberto, & ſuis Conſultoribus, vnà cũ Aſſeſſoribus anno 1625. die 7. Nouẽb. & declaratio confirmata ab A. R. P. Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus die 14. Martij 1628. vt apparet ex libro Conſultationum fol. 23. Declaratio hæc eſt. Conſideratis & põderatis verbis Decreti Capit. Generalis 1621. quod eſt par. 3. c. 7. nu. 18. & incipit, *Ad Capitulum &c.* circa abſentiam voluntariam Vocalium tribus vicibus à Capitulis Domorum, poſt maturam conſiderationem declaramus.

 Primo,

Primò, vt Vocalis tranſgreſſor dicti Decreti, non intelligatur priuatus ſuffragio per tres menſes, niſi per ſententiam ſit declaratus ſuſpenſus.

Secundo, ſupradicta pœna ſuſpenſionis proferēda à Capitulo domus, incipit currere à die publicationis, & intimationis ſententiæ.

Tertio, condemnatus in dictam pœnam, remanet ſuſpenſus conſequenter, non ſolum facultate interueniendi Capitulis, ſed etiam facultate dandi benedictionem, & omnibus actibus pertinentibus ad Vocales; vt Vocales ſunt.

t.§.13. Sed vltra deciſa in dicta declaratione, ponamus quòd Vocalis aliquis ſua culpa, & voluntate, per tres vices continuas non interfuerit in Capitulis domus, ſi poſtea interueniat in Capitulo, ante condemnationem, & à Præpoſito; & Patribus nihil ſit ei dictum in contrarium dubitari poterit.

Primo, Vtrum dicta pœna tacitè cenſeatur remiſſa? Reſpondeo quòd non, quia dicta pœna impoſita eſt à lege ob bonum commune, & ideo Iudices, qui ſunt Præpoſitus, & cæteri Vocales non poſſunt illam remittere.

Secundo, dum non eſt condemnatus, Vtrum poſſit Capitulis licitè interuenire, & ſuffragium ferre? Reſpondeo quòd ſic, nec poteſt ei prohiberi ante condemnationem.

Tertio, Vtrum condemnatio fieri debeat cauſa cognita? Reſpondeo quod ſic, (ſed ſummariè) audiendo rationes dicti Vocalis, quia poteſt eſſe, quod habuerit legitimam cauſam non interueniendi.

Quarto, ſi Vocalis allegaſſet legitimum impedimentū, ſed ob obliuionem, vel negligentiam non ſe excuſaſſet apud Præpoſitum, & Vocales eodem tempore, ſed poſtea ſaltem apud Præpoſitum, Vtrum ob dictam negligentiam incidat in dictam pœnam? Reſpondeo quòd non, quia de-

lictum non eſt commiſſum, cum non pro ſuo libito, ſed iuſta cauſa abfuerit, & quãuis ſit in culpa negligentiæ, ob excuſationem non factam apud Superiorem, tamen eſt diuerſa à culpa Decreti, & huiuſmodi culpæ negligentiæ ſolent aliqua pœnitentia regulari leui, puniri à Superiore.

Quinto, ſi hoc iuſtum impedimentum quod allegat Vocalis (reus præſumptus) non poſſit teſtibus probare, Vtrum ſufficiat illud cum iuramento affirmare, & teneantur Iudices ei credere? Reſpondeo quod ſic, & ratio eſt, quia de nullius agitur præiudicio, & ideo in talibus actibus, leuis probatio ſufficit, ita Abbas in c. propoſuiſti, de conſecrat. eccleſiæ, vel altaris. Præterea quando occurrunt dicta impedimenta non ſolent adduci teſtes ad probandum impedimenta, ſed quando ſunt veriſimilia, ſtari ſolet ſimplici dicto ipſius aſſerentis: ergo in ſimilibus caſibus iuramentũ haberi debet loco plenæ probationis, Authentica vt litigantes iurent, in principio.

Sexto, ſi vocalis pro ſuo libito abeſt à Capitulo domus, Vtrum peccet? Et ſi peccet, quod peccatum ſit? Reſpondeo, quòd duæ poſſunt eſſe opiniones, vna quòd peccet, non quia facit contra Decretum, vel Conſtitutionem, ſed quia deficit in ſuo officio, ad quod de iure tenetur, & ſi ſemel abeſt, regulariter erit peccatum veniale, niſi ob grauitatem negocij, quod tractatur in Capitulo, vel ób præiudicium, quod importare poteſt ſua abſentia, aliter ſit iudicandum, & ſimiliter niſi ex contemptu Superioris abfuerit, quia ex contemptu erit peccatum mortale.

Si vero bis non interueniat, & cum interuallo temporis, erit ſimiliter peccatum veniale, ſed grauius, regulariter loquendo. Si vero ter non interueniat continuatè, forſitan parum diſtat à peccato mortali, quamuis enim certo non aſſeram eſſe peccatum mortale, attamen propoſitus caſus grauius iudicium exigit, & ratio eſt, quia per trinum actum indu-

inducitur conſuetudo, ita Antonius de Butr. in c. fin. de conſuetudine, Sylu. v. Infamia, nu. 9. & 10. Iaſon in l. ſi certis annis, nu. 6. C. de pactis, Doctores communiter in l. de quibus, ff. de legibus.

Altera opinio poteſt eſſe, non eſſe peccatum mortale, nec veniale ex obiecto, Vocalem abeſſe à Capitulo domus, ſed ex circunſtantia, poſſe eſſe peccatum mortale, vel veniale. Probatur quoad primam partem, primo, quia vnuſquiſque poteſt fauori ſuo renunciare.

Secundo, quia Vocalis nec ex iuſtitia, nec ex charitate tenetur dare votum ſuum, non ex iuſtitia, quia nullum apparet ius, quo ad id obligetur; non ex charitate, quia ſunt alij, qui ad Capitulum accedunt, & poſſunt ſupplere.

Probatur quo ad ſecundam partem, quia quando materia, quæ tractanda erit in Capitulo eſt grauis, & ipſe cognoſcit, quod voto ſuo poteſt iuuare, tenetur ſaltem ex charitate Capitulo adeſſe. Vtraque opinio eſt probabilis.

Septimo, Vtrum quando Patres conueniunt Capitulariter alicui contractui, vel aliæ actioni, computari debeat pro Capitulo? Reſpondeo, quòd prima facie videtur dicendum quòd non, quia eſt potius exequutio Capituli, quam Capitulũ, ſed in contrarium videtur veritas, quia in quacunque actione Capitularis conuentio eſt Capitulum.

Octauo, ponamus quòd N. Vocalis pro ſuo libito, per tres vices continuas abſit à Capitulis, & poſtea conueniat in Capitulis, & Præpoſitus, & Patres data opera, pro tunc, nihil ei ſignificent quoad pœnam, in quam incidit, ſed poſtea paulò antequam fiat electio Vocalis pro Capitulo Generali, eum condemnent ad pœnam impoſitam in Decreto, vt excludant eum ab electione, Vtrum poſſint hoc facere? Reſpondeo, quòd poſſunt, quia non eſt præfixus terminus ad eum accuſandum, vel condemnandum, & actio criminalis non præſcribitur niſi ſpacio viginti annorum,

l. quæ-

l. quærelam, c. de falſis, & Doctores communiter teſte Abbate in c. cum haberet, nu. 4. de eo, qui duxit in matrimonium &c. & Iulio Claro in ſua practica crimin. §. fin. q. 51. nu. 1. Vnde qui incidit in hanc pœnam, ſi cupit ſe liberare, antequam inquiratur, & condemnetur à Præpoſito, porrigat ſupplicationem P. Generali, humiliter confitendo delictum, & ſupplicet, vt remittatur pœna.

Nono, ſi Vocalis aliquis pro ſuo libito nollet Capitulo interuenire, Vtrum poſſit Præpoſitus ei præcipere ſub aliqua pœna incurrenda, vt interueniat?

Reſpondeo quòd poteſt, primò quia Vocalatus eſt officium, & vnuſquiſque tenetur ſuum officium à Capitulo Generali ſibi impoſitum exercere, & per conſequens Superior poteſt illum ad id cogere. ſecundo, Decretum ſupradictum ordinat, vt omnes eius domus Vocales conueniant ad Capitulum cuiuſque domus: ergo poteſt Superior præcipere ſubdito eius obſeruantiam ſub aliqua pœna.

Nec obſtat dicere, quòd poteſt pro ſuo libito abeſſe, & ſubire pœnam à Decreto impoſitã, vt patet ex verbis Decreti, nam reſpondetur, quòd illud verbum, *pro ſuo libito*, intelligitur, ſine iuſta cauſa, & non quòd poſſit pro ſua libera voluntate abeſſe; nec per pœnam à Decreto impoſitam pro tertia tranſgreſſione tollitur facultas Superiori, imponendi aliam pœnam, pro prima, vel ſecunda tranſgreſſione.

Eſt etiam aduertendum circa hoc Decretum, quod per A.R.P. Generalem D. Philippum Mariam Guadagnum, & ſuos Conſultores die 22. Martij 1628. vt apparet in libro Conſultationum fol. 24. fuit decretum, vt Præpoſitus, & Patres Capituli domus ſtatim condemnent ad pœnam ſuſpenſionis vocum, Vocalem illum, qui per tres continuas vices pro ſuo libito abfuerit à Capitulis domus.

c. §. 14. In Decretis parte 3. capite 7. numero 19.

Vt.

Vt charitatis,paciſq; fædus,minimè turbetur,caueăt Patres ante præſtitutum tempus aliquo modo detegere, vel aperire, quæ ſiue in Generalibus, ſiue in particularibus Capitulis acta fuerint, quæve in noxam, aut præiudicium alicuius eſſe queunt, qui ſecus fecerit, tanquam violati ſecreti reus, prima vice à vocis ferendæ ſuffragio per quadrimeſtre, ſecunda vice per ſemeſtre ſuſpendatur. De modo autem inquirēdi in huiuſmodi criminis reos id ſeruetur, quod in murmuratores ſtatutum eſt; quòd ſi Præpoſitus in hoc crimine inciderit, res ad P. Generalem deferatur.

Cum hoc Decreto, vide etiam pœnam ſtabilitam (contra illos, qui facta religionis alijs extra religionem manifeſtant) à Capitulo Generali anni 1624. die 5. Maij in Decreto quod incipit, *Qui ſiue Vocales*, in verſiculo, *ſignificentur etiam* &c. & à P. Generali in ſuo Ordine facto die 6. menſis Decembris anni 1625.

r.§.15. Ponamus quòd aliquis Præpoſitus localis,in Capitulo ſuæ domus ordinet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vt nullus manifeſtet alijs extra Capitulum, id, quod in dicto Capitulo tractatum, vel concluſum ſit, Vtrum ſi Titius Vocalis dicti Capituli manifeſtet N. Vocali dictæ domus, qui dicto Capitulo non interfuit, incurrat in dictam excommunicationem?

Reſpondeo quod ſic, & ratio eſt, quia tranſgreſſus eſt præceptum Superioris, & ita fuit iudicatum ab A.R.P. Generali D. Vincentio Giliberto, & ſuis Conſultoribus, cum voto Aſſeſſorum, iu ſimili caſu,qui accidit in vna ex domibus noſtræ Religionis anno 1625. die 2. Iulij. Nec obſtat

dicere,

dicere, quòd N. cum ſit aſſignatus in illa domo eſt de gremio Capituli, & per conſequens debet ſcire, quæ in Capitulo aguntur, quia reſpondetur, quòd quamuis N. ſit de gremio Capituli illius domus, non tamen eſt de gremio illius Capituli particularis, quod fuit congregatum ad ſonũ campanæ, more ſolito, & ipſe N. non interfuit. Præterea ſi eſſet licitum manifeſtare ea, quæ in dicto Capitulo tractata fuerunt. N. qui non interfuit in dicto Capitulo, ſequeretur fruſtratorium eſſe præceptum, & intentum Superioris, quia N. cum non ſit aſtrictus præcepto Superioris, quia non interfuit dicto Capitulo, & ei non fuit intimatum dictum præceptum, poſſet alijs extra Capitulum manifeſtare, & illi alijs, & ſic præceptum non detegendi, quæ in Capitulis aguntur, & intentio Superioris, quæ reſpicit bonum pacis eſſet fruſtratoria.

In Decretis p.3.cap.7.nu.20. Sacerdos, qui ad ſecularium tam virorum, quàm mulierum confeſſiones audiendas erit exponendus, approbetur per ſecreta ſuffragia à Præpoſito, & duabus partibus Vocalium ex tribus eorum, qui Capitulo Domus interſunt. Deinde ad P. Generalem deferatur, qui ex conſenſu maioris partis Conſultorum per ſecreta ſuffragia facultatem audiendi confeſſiones præſtet, pro certo tamen tempore, & loco tantum, in quo tunc ſacerdos deget.

t.§.16. Hic dubitari poteſt, ſi aliquis ſacerdos eſſet aſſignatus Neapoli, in noſtra domo S. Mariæ Angelorum, & ab A. R. P. Generali eſſet ei conceſſa licentia audiendi cõfeſſiones ſecularium pro illo loco, & poſtea eſſet aſsignatus in domo S. Pauli, nihil dicendo de licentia audiendi confeſsiones, Vtrum in dicta domo S. Pauli poſſet mini-

ſtrare ſacramentum Pœnitentiæ ſecularibus? Reſpondeo affirmatiuè, quia ſub nomine loci intelligitur Diœceſis, in qua eſt noſtra domus, & non domus tantum; Vnde ſiue ſit aſsignatus, ſiue non, in domo S. Pauli poteſt audire ſecularium confeſsiones abſque noua licentia, cum domus Sancti Pauli ſit in eadem Ciuitate, & Diœceſi.

In Decretis p. 3. cap. 7. nu. 23. Secularibus negocijs nemo noſtrum ſe immiſceat, & præſertim in matrimonijs contrahendis abſque peculiari ſui Præpoſiti licentia.

t §. 17. Negocia ſecularia, & maxime odioſa, ſunt Iudicia arbitraria, Executiones teſtamentorum, Defenſiones litigantium, Diſpenſationes aliorum bonorum, Matrimonia, Confidentiæ bonorum, & ſimilia; nam ex talibus negocijs oriri ſolent odia, damna, & ſcandala Congregationi, & fratribus cum ſecularibus.

De Ordine, & loco cuiuſque inter ſe[a]. Cap. X.

Summa Capitis X. Conſtitutionum.

Præcedentia quibus datur ex Conſtitutionibus. nu. 1.

Locum profeſsionis, qui ſua culpa amiſerint, ijs ſi pæna poſt aliquot annos remiſſa fuerit, in priſtinum profeſsionis locum reſtitui eſſe ne intelligantur. Vbi autem ſint collocandi habetur. num. 2.

Præ-

1 PRAEPOSITVS in ſua quiſque Domo primum locum obtineat. Si plures Præpoſiti conueniant, omnes poſt Præpoſitum, ſuo quiſque profeſsionis loco collocentur. Poſt Præpoſitos Vicarius, tum cæteri ſacerdotes iuxta Profeſsionis [b] ordinem, ſiue ij Vocales ſint ſiue non ſint: tum Clerici profeſsi pro ſuo quiſque ordine: poſt hos Nouitij: tum Hoſpites, poſtremo fratres laici locum habeant. Viſitatores cætero quidem anno Profeſsionis locum teneant: Viſitationis [c] tamen tempore poſt Præpoſitos collocentur. Licet ij qui maioribus Ordinibus initiati ſunt præcedant eos, qui minoribus: his tamen ad eundem Ordinis gradum eueᵔtis, non amplius Ordinis, ſed profeſſionis ratio habeatur: niſi quis ſua culpa, & pro pœna, ad Ordines non fuerit admiſſus [d]: Quod ſpeciatim de vnoquoque erit declarandum. b c d

2 Qui ſua culpa locum profeſsionis amiſerint, ijs ſi pœna poſt aliquot annos remiſſa fuerit, in priſtinum profeſsionis locum reſtituti eſſe ne intelligantur, ſed poſt eos omnes, qui Superiores aliquos Ordines iuxta conſtitutum à Capitulo tempus ſuſceperint, maneant.

Eos verò qui ante id tempus neceſsitate, aut rationabili cauſa promoti fuerint, præcedant: niſi iam antea elapſum ſit tempus à Capitulo, & à Conſtitutionibus conſtitutum.

Commentaria in Caput X.

Summa Commentariorum ſuper Caput X.

Si tres, vel quatuor Clerici noſtræ Congregationis in eodem die, ſed in diuerſis locis profeſsionem emittant, quis eorum debeat præcedere? lit.b.

Viſitator qui in Capitulo Domus interuenit tempore Viſitationis, non pro negocijs Viſitationis, ſed domus, & vt vocalis aſsignatus in illa domo; Vtrum ſedere debeat, & ferre ſuffragium immediatè poſt Præpoſitum? lit.c.

Qui ad tempus non ſunt admiſsi ad Ordines quando locum amittunt. lit.d.

Vicepræpoſitus S. Syluestri, Vtrum teneatur accipere benedictionem à Præpoſitis localibus, quando adeſt in illorũ Domibus? lit.d.§.1.

Conſultores quo loco ſedere debent. lit.d.§.2.

Si vltimus Conſultor eſſet Vicepræpoſitus S. Syluestri, in quo loco ſedere deberet in conſultatione, & dare votum ſuum? lit.d.§.3.

Conſultores vtrum debeant benedictionem petere à Vicepræpoſito S. Syluestri? lit.d.§.4.

Conſultores vtrum ſubdantur iuriſdictioni Vicepræpoſiti S. Syluestri? lit.d.§.5.

Conſultores quando incipiant habere locum Conſultorum? Et quando finiant officium? lit.d.§.6. & 7.

Tranſiens ad aliam Religionem amittit locum ſuæ profeſsionis redeundo ad noſtram. lit.d.§.8.

Reli-

Religioſus tranſiens de vna Religione ad alteram, ad quam illarum pertineant bona ante tranſitum acquiſita? lit.d.§.9. & 10.
Religioſus extra monaſterium viuens cui acquirat? lit.d.§.11.
Apoſtata & à Religione eiecti cui acquirant? lit.d.§.12.

a CVM hac Rubrica concordat alia Rubrica Decretorum p.3.c.8.

b Iuxta profeſsionis ordinem &c. Hic quæri poteſt, ſi tres, vel quatuor Clerici noſtræ Congregationis eodem die, ſed in diuerſis locis profeſsionem emittant, quis eorum debeat præcedere? Reſpondeo, quòd ſi ſciri poſſet qua hora profeſsionem emiſerint ille deberet præcedere, qui primo loco profeſſus fuiſſet, ſed dum ſciri non poteſt, ille debet præcedere, qui primo habitũ ſuſcepit. Sed ponamus, quòd eodem die habitum etiam ſuſcepiſſent, quis debet præcedere? Reſpondeo, quòd ille qui primo loco hoſpitij tempus incæpit, iuxta Decretum Capituli Generalis anni 1610. quod eſt par.2.cap.4.nu.15. tenoris ſequentis, *Hoſpitij cuiuſlibet tempus, incipiat à die, qua in domũ nouitiatus quis excipitur?* Sed ponamus etiam quòd eadem die Hoſpitij tempus incepiſſent, in diuerſis tamen domibus, quis debet præcedere? Reſpondeo, quòd ille, qui eſt maioris ætatis, & ita eſt vſus noſtræ Congregationis. Et prior in tempore, ſemper potior eſt in iure, cap. quia potior de reg. iur. in 6. l. quoties vtriuſque ff. de reg. iur.

c Viſitationis tamen tempore &c. Hic poteſt dubium occurrere: N. Viſitator eſt aſsignatus in domo S. Pauli Neapoli, & tempore viſitationis in dicta domo congregatur Capitulum, pro ordinatione alicuius Clerici, vel ad alium finem non pertinentem ad viſitationem, & N Viſitator

ſitator ſolus ingreditur in Capitulum, vt Vocalis aſsignatus in illa domo. Quæritur, Vtrum ſedere debeat, & ferre ſuffragium poſt Præpoſitum, vel in loco profeſsionis? Reſpondetur quòd in loco profeſsionis. Et ratio eſt quia Prælatus vbicunque intereſt in aliquo Collegio, non vt Prælatus, ſed tanquam vnus de Collegio, non debet tenere rationem capitis ipſius Collegij, licet eius dignitas ſit excellentior, ita Panorm. in c. poſtulaſtis, de conceſſ. præb. n. 8. & Marcus Anton. Genuen. in ſua praxi Archiep. Neap c. 86. nu. 8. dicit, quòd Vicarius Canonicus interueniens in Choro vt lucretur diſtributiones, debet ſedere in loco ſui canonicatus, per tex. in c. a collatione de appellat. in 6. & iſta eſt communis opinio, Menoch de arbitr. iudic. caſu 68. nu. 23. & ita pluries fuit deciſum in ſacra Congregatione Rituum, quas Deciſiones affert idem Genuenſis ibidem in fine in annotatione. Nec obſtat, quòd in Choro, & in Refectorio manet poſt Præpoſitum, quia in dictis locis manet vt Viſitator, ſed quando ingrederetur in Capitulum cum alio Viſitatore pro negocijs viſitationis ſedendum eſſet poſt Præpoſitum.

d Quod ſpeciatim &c. Ex hoc loco colligitur, quòd illi, qui mortificationis gratia à Superioribus per aliquod tempus non ſunt admiſsi ad ordines, licet alij ordinentur, & præcedant ſupradictos mortificatos non ordinatos; tamen cum ordinantur, debent habere locum ſuæ profeſsionis, quia non amiſerunt locum per ſententiam, & ita fuit declarata præſens Conſtitutio à P. Generali D. Eliſeo Nardino, & ſuis Conſultoribus, in tertio triennio ſui Generalatus.

d. §. 1. Hic dubitari poteſt, Vtrum Vicepræpoſitus S. Syluestri teneatur accipere benedictionem à Præpoſito S. Andreæ Romæ quando ſe confert ad illam domum? Reſpondeo

pondeo quòd non, & ratio eſt, quia eſt delegatus ſupremi Præpoſiti, & vt talis ex determinatione Capituli Generalis præfertur Patribus Conſultoribus, (vt patet ex p 3. Decretorum cap. 8. num. 1.) qui ſunt Prælati & non ſubduntur Præpoſitis. Et ita fuit declaratum à P. Generali D. Vincentio Giliberto P. D. Stephano Falco Vicepræpoſito in illo tempore S. Syluestri.

In noſtris Decretis Capitularibus par. 3. cap. 8. ſunt duo Decreta quæ pertinent ad præſentem rubricam, quæ oportet commentis explicare.

d. §. 2. In Decretis p. 3. cap. 8. nu. 1. Viua voce actum eſt Patres Conſultores tempore, quo Cōſultores munus exercent, poſt Vicepræpoſitum S. Sylueſtri proxime collocandos.

Hoc Decretum fuit limitatum pro domo S. Sylueſtri tantum, à Capitulo Generali anni 1627. die 8. Maij, per Decretum quod incipit, *Decretum anno* 1621 *&c.*

d. §. 3. Sed ponamus, quòd vltimus Conſultor ſit Vicepræpoſitus S. Sylueſtri, Vtrum inter Conſultores debeat ſedere, & proferre votum ſuum immediate poſt Patrem Generalem, vel vltimo loco? Reſpondeo quòd vltimo loco, quia in Collegio Conſultorum manet vt Conſultor, & non vt Vicepræpoſitus, & Prælatus vbicunque intereſt in aliquo Collegio non vt Prælatus, ſed tanquam vnus de Collegio, non debet tenere caput ipſius Collegij, licet dignitas ſua ſit excellentior, vt ſupra probatum eſt in hoc eodem cap. 10. in commentario.

Præterea primo Conſultori præiudicari non poteſt.

In Capitulis vero domus, & in Choro, ſedet, & profert votum ſuum immediatè poſt P. Generalem; & ita in praxi fuit obſeruatum, quando contigit caſus.

d. §. 4. Secundo dubitari poteſt, Vtrum Patres Conſultores

tores debeant benedictionem petere à P. Vicepræpoſito S. Syluestri quando diſcedunt è Choro, & in alijs ſimilibus caſibus, in quibus à ſubditis peti ſolet benedictio à Superiore? Reſpondeo quòd non, quia per Decretum Capituli Generalis, quod eſt p.3.c.8.nu.1. Effecti ſunt Prælati, quia habent locum in ſtallo, & non ſubduntur Præpoſitis, (licet ab illis benedictionem petant in illorum Domibus ex alio Decreto Capituli Generalis anni 1627.) habent iuriſdictionem tam temporalem, quàm ſpiritualem in totam Religionem, vnà cum P. Generali. Et ita fuit declaratum à P. Geuerali D. Vincentio Giliberto, Patri D. Stephano Falco Vicepræpoſito. Et idem ſeruatum eſt quando Vicepræpoſitus erat Conſultor, vt in facti contingentia fuit obſeruatum anno 1625. dum P. D. Baſilius Scorza erat Conſultor, & Viceræpoſitus ſimul.

d.§.5. Hinc colligitur, quòd Conſultores non ſubduntur ſub iuriſdictione Viceræpoſiti S. Syluestri, nec Viſitatorum, nec etiam Præpoſitorum localium quando aliquis illorum maneret extra Romam in alijs domibus.

d.§.6. Tertio dubitari poteſt, quando Conſultores incipiant habere locum Conſultorum, Vtrum ſtatim quod electi ſunt, vel licentiato Capitulo Generali? Reſpondeo, quòd licentiato Capitulo Generali. Et ratio eſt, quia tempore Capituli Generalis, omnes Patres Capituli ſunt loco Conſultorum durante Capitulo, & vnà cum P. Generali faciunt vnum corpus, vnde durante Capitulo non debet diuidi; & ita obſeruatum fuit anno 1627.

d.§.7. Quarto dubitari poteſt, quando Conſultores finiant eorum officiũ, & per conſequens ſedere debeãt loco profeſsionis? Reſpondeo, quòd ſtatim quod P. Generalis renunciauerit ſuo officio in manu Præſidentis Capituli, quia tunc ceſſat officium Conſultoris; & ideo in præſenti Decreto ſunt ſequentia verba, *tempore, quo Conſultoris munus*

nus

mus exercent. Et ita fuit obſeruatum anno 1624. & 1627:

d.§.8. In Decretis p.3.c.8.nu.2. Si quis noſtrum animi leuitate ductus à noſtra Congregatione facultatem, & copiam adeundi arctiorem exquiſiuerit, ſignificetur ei, quòd ſi regreſſus fuerit, præter alias pœnas Superiorum arbitrio decernendas, vltimo inter eos, qui in eodem ordine, & gradu fuerint, collocabitur loco.

d.§.9. Hic primo quæritur, quando Religioſus licitè tranſit ab vna Religione, quæ eſt ſuccedendi capax,(vt eſt noſtra) in alteram, quæ ſimiliter eſt ſuccedendi capax, ad quam illarum pertineant bona ante tranſitum acquiſita?

Tres ſunt Doctorum opiniones, quas refert Sanchez in præcep.decal.to.2.lib.7.c.32.nu.4.7. & 8.

Prima docet poſterius monaſterium recuperare omnia bona priori monaſterio ratione eius Religioſi acquiſita, quæ eſt probabilis.

Secunda ſuſtinet, bona priori monaſterio acquiſita, remanſura apud illud quo ad proprietatem,at quo ad vſumfructum, pertinere ad poſterius, dum Religioſus in eo vixerit, ne Religioſus illi poſteriori monaſterio oneroſus ſit. Et hæc opinio eſt magis probabilis quàm prima.

Tertia opinio (cui tanquam longe probabiliori accedit Sanchez vbi ſupra nu. 8.) ait, vniuerſa bona priori monaſterio acquiſita ratione religioſi, remanſura omnino apud illud, ſiue ad aliud monaſterium diuerſi Ordinis, ſiue ad Epiſcopatum tranſeat, quam probat rationibus, & auctoritatibus, & ad quam breuitatis gratia remitto lectorem. Hanc etiam opinionem tenet Couarruuias in cap. 1.à n.20. vſque ad finem de teſtam. Nauar.comment.4. nu.24.verſ. 11.de Regularibus,& lib.3.conſil.in 2.editione de Regula-

ribus, conſil. 55.nu.9. Surdus de alimentis tit.9.q.27.nu.8. Molina de Iuſtitia, to.1.diſp.140.col.13.verſ quando Religioſus, Azor.to.1.inſtit.moral.lib.12.c.15.q 3. & c.16.q 8. Emanuel Rodriq.in ſuis qq.regular.to.3.q.5.art.5. & to.2. q.79.art 1. & 2.

d.§ 10. Secundo quæritur, quando Religioſus licitè tranſit de monaſterio capaci ad aliud etiam capax alterius religionis, & in priori delata eſt hæreditas morte teſtatoris, at ante eius aditionem tranſit Religioſus, & profeſſus eſt in alia religione, veri ex his religionibus hæreditas acquiratur? Duæ ſunt DD. opiniones, Prima ait hæreditatē ſpectare ad poſterius monaſterium; Secunda vero ait pertinere ad prius monaſterium, quam ſequitur, & probat Sanchez in præcep. decal to.2.lib.7.c.32.nu.15. ad quem breuitatis gratia remitto lectorem, à nu.17. vſque ad 20.

d.§ 11. Tertio quæritur, quando Religioſus ex legitima Summi Pontificis, aut Superioris licentia extra monaſterium viuit, cui acquirat?

Reſpondetur acquirere monaſterio, quia manet verus illius Religioſus, ita Molina to 1. de iuſtitia diſp.140. col. 12. verſ. idem dicendum eſt, & alij quos refert, & ſequitur Sanchez in præcep.decal. to.2.lib.7.c.32.nu.60. ſecus vero ſi Religioſus ille ex priuilegio S. Pontificis exemptus factus eſſet omnino à Prælatorum obedientia, quia tunc acquireret S. Pontifici, & non monaſterio, ita Azor. to.1. inſtit. moral.lib.12.c.10.q.7. Leſſius lib.2. de iuſt. cap 41. dubit. 11 nu.89. quos refert, & ſequitur Sanchez vbi ſup.nu.61.

d.§.12. Quarto quæritur, cui acquirant Apoſtatæ, vel à Religione eiecti, ſiue tranſierint ad aliam Religionem, ſiue ad beneficium eccleſiaſticum? Vide Sanchez in præcep. decal.to.2.lib.7.cap.33.

APPEN-

APPENDIX AD COMMENTARIA IN CONSTITVTIONES CLERICORVM REGVLARIVM.

Summa Appendicis.

Quid obſeruare debeant Patres & Fratres noſtri aduenæ, qui de Domo, in qua aſsignati ſunt, in aliam ſe transferunt, ſiue negociationis, ſiue itineris cauſa. lit. A.
Aduertenda pro Vocalibus electis pro Capitulo Generali. lit. B.
Facultas Conſultorum Clericorum Regularium. lit. C.
Facultas A. R. P. Præpoſiti Generalis Clericorum Regularium. lit. D.
De Viſitatione Regularium notabilia. lit. E.
Aduertenda à Viſitatoribus noſtræ Congregationis. lit. F.
Diſcutiuntur aliqua dubia, quæ in Viſitatione occurrere poſſunt. lit. G.
De Viſitatione eccleſiæ. lit. H.
De Viſitatione Perſonarum. lit. I.
De Viſitatione Domus. lit. K.
De Viſitatione Prouiſionum pro victu fratrum. lit. L.
De ſanctimonialium Viſitatione. lit. M.

A Quid obſeruare debeant Patres & Fratres noſtri aduenæ, qui de Domo in qua aſsignati ſunt, in aliam ſe transferunt, ſiue negociorum, ſiue itineris cauſa.

1 LICENTIAM Superioris manu ſcriptam, vel ſubſcriptam, & ſigillo Religionis obſignatam, quam ſecum deferre debent, ſtatim legẽdam tradant Superiori eius domus in quam deuenerint, conſt. p. 2. c. 9. Licentiam Superioris &c.

2 Sciant ſe ſubeſſe Præpoſito eius domus, ad quam deueniunt, non ſecus, ac ſi in aſſignata ſibi domo eſſent. in Decretis p. 2. cap 7. nu. 1.

3 Quaſcunque pecunias, & à quocunque quouis nomine habent illico ante cubitum Præpoſito, vel cuipiam alij, cui onus regendæ domus erit, præbeant. in Decretis par. 2. cap. 7. num. 2.

Et fidem Superioris domus vnde diſceſſerunt pecuniarũ, quas ſecum portant, & diei diſceſſus, & aliorum Superiorum domorum per quas tranſierunt, diei aduentus & diſceſſus. In ordinibus A. R. P. noſtri Generalis, tit. Ordines diuerſi pro conſeruatione obſeruantiæ nu. 17.

4 Pecunias quas ſecum tranſtulerunt impendere non poſſunt abſque facultate Præpoſiti domus, in qua morantur. in Decretis p. 2. c. 7. nu. 4.

5 Non poſſunt vltra ſpatium trium dierum in aliqua extera domo moram protrahere, abſque P. Generalis licentia. in Decretis p. 2. c. 7. nu. 5.

6 Quæcũque negocia gerere voluerint, ſuo Superiori prius

nota

nota facere debent. conſt.p.2.c.9. Ad quæcunque &c. & in Decretis p.2.c.7.nu.6.

7 Si in illa Ciuitate in qua manent vt aduenæ, ſint duæ domus noſtræ Religionis, tunc ad aſſignatam ſibi à Præpoſito eant, & in alia nec pernoctare, nec comedere poterũt, niſi de licentia Superioris domus ſibi aſſignatæ. in Decretis p.2.c.7.nu.6.in fine, Quòd ſi in aliqua &c.

8 Poſt primum diem aduentus, permittere non debent, vt aliquis in eorum cellam ingrediatur. conſt p.2.c.8. Ne poſt primum diem &c.

9 Poſt biduum cibis communibus debent eſſe contenti: In choro, cum alijs conuenire debent, & reliquas Religionis obſeruantias ſeruare debent, non ſecus ac ſi in ſibi aſſignata domo forent. conſtit. p.2.c.8. Is vero &c. & in Decretis p.2.c.7.nu.6. ibi, Interim die &c.

B Aduertenda pro Vocalibus electis pro Capitulo Generali.

1 Vocalis à Patribus cuiuſque domus electus, vt totius domus nomine Capitulo Generali interſit, debet ſecum ferre literas Capituli domus, directas Capitulo Generali, quibus teſtetur, ſe fuiſſe legitimo tempore, & iuxta formam noſtrarum Conſtitutionum, & Decretorum Capitulorum Generalium electum, vt totius domus nomine, Capitulo Generali interſit.

2 Debet ſecum ferre notam omnium Patrum, & Fratrum ſuæ domus, illorumq; ſtatum bene agnoſcere.

3 Antequam domo iter arripiat pro Capitulo Generali, certior fieri debet à Patribus, & Fratribus domus de ijs, quæ tractanda erunt pro communi, vel cuiuſque particularis vtilitate, & de eis notam ſecum ferre.

4 Inter alia de quibus certior fieri debet eſt, communis

ſenſus

ſenſus circa electionem noui Præpoſiti, & quæ perſonæ eſſent aptæ pro illa domo, vt poſſit Definitoribus manifeſtare.

5 Debet ſecum ferre notam accepti,& expenſi illius triennij, debitorum, & creditorum domus, & iurium, quæ habet cum alijs domibus.

6 Patrum vocalium, & Sacerdotum ſuæ domus, qui ſunt apti ad exercendum officium Præpoſiti, Viſitatoris, Conſultoris, Vicarij, Magiſtri Nouitiorum, vel Profeſſorũ Præfecti debet habere perfectam notitiam,& ſimiliter qui ſunt ad confeſſiones mulierum admittendi iuxta Decretum Catuli Generalis anni 1627. quod incipit, *Vt autem &c.* factũ die 30. Aprilis, vt poſſit in definitorio relationem facere.

7 Si aliquid notabile occurrerit in illo triennio in illa domo, debet habere de illo perfectam notitiam, vt ſi occaſio ferat in Capitulo, poſſint Patres habere integram relationem.

8 Quia non ſolum pro bono particulari illius domus eſt electus ad Capitulum Generale, ſed etiam pro communi bono totius Religionis, ideo debet conſiderare, & diſcurrere cum alijs Patribus, de ijs, quæ ad id ſunt conſideratione digna, vt poſsit Proponentibus Capituli Generalis notam dare.

9 Procuret habere nomina & cognomina omnium Vocalium, qui interuenturi ſunt in Capitulo Generali,& de qualitate illorum habere perfectam notitiam. Et ſi in electione illorum adeſt aliqua difficultas, procuret ſcire difficultatem, & illam conſiderare, vt votum ſuum in ratione fundatum poſſit proferre.

10 Debet conſiderare ſuper omnia, qui ſint idonei pro officio Generalatus, quia ex ipſo capite dependet bonum aut malum totius Religionis.

Quis ſit idoneus vt poſſit Præſidere in Capit. Generali.

Qui

Qui ſint idonei ad exercendum officium ſecretarij in Capitulo Generali.

Qui ſint idonei pro officio iudicandi in Capitulo Generali.

Qui ſint idonei ad exercendum officium Conſultorum Patris Generalis.

Qui ſint idonei pro officio Definitorum.

11 Quia ille, qui fuit Præſidens in præcedenti Capitulo Generali, non poteſt eligi in idem o ficium in Capitulo immediate ſequenti, ſcire debet, qui fuit Præſidens in præcedenti Capitulo.

12 Similiter quia illi, qui bis immediate fuerunt Definitores in Capitulis Generalibus, non poſſunt tertio immediate eligi, ideo debet habere notitiam illorum, qui fuerunt Definitores in duobus Capitulis præcedentibus, & videre ſi in illo Capitulo adeſt aliquis Pater, qui bis fuerit Definitor in Capitulis præcedentibus, vt non poſſit eligi.

13 Debet habere notam Sacerdotum totius Religionis, qui in illo Capitulo in Vocalium numerum ſunt cooptandi, & ſcire qualitates illorum, & conſiderare qui ſunt digni, & qui non: & ſignanter ipſius domus.

14 Magnam debet habere notitiam Conſtitutionum, & Decretorum Capitularium noſtræ Congregationis.

C

Facultas Conſultorum Clericorum Regularium.

VIgore noſtrarum Conſtitutionũ Conſultores habent votum deciſiuum in iſtis caſibus.

1 Si recipiendus erit ad noſtram Congregationem aliquis, qui alterius Ordinis habitu tantum fuerit indutus. conſt. p.2.c.5. verſ Qui alius Ordinis.

2 Ad confirmandos, de nouo eligendos, & amouendos Præpo-

Præpoſitos, & Viſitatores. conſt.p.3.c.5. verſ.Quot annis.

3 In Conſtitutionibus pro re graui interpretandis, ſi quæ forte dubitationes oriantur. conſt p.3.c.5. & c.7.

4 In pœnis grauioribus imponendis. p.3.c.5.

5 Conſultore mortuo, vel amoto, alij Conſultores habent votum deciſiuum ad electionem noui Conſultoris, loco mortui, vel amoti. conſt.p.3.c.5.

6 Ad acceptandum, vel reſpuendum locum, Conſultores habent votum deciſiuum. conſt.p.3.c.5.

7 Quando P.Generalis ſedes vacare contigerit intra triennium, vel per obitum, aut quauis alia ratione, ad conſtituendum diem pro Generali Capitulo. conſt.p.3.c 5.

8 Similiter in eodem tempore ſede vacante, habent votũ deciſiuum in omnibus negocijs, quæ pertractanda erunt, & differri non poſſunt vſque ad tempus Capituli Generalis. p.3.cap.5.

9 Anno ante Capitulum Generale ſi transferendi ſunt Vocales, Conſultores habent votum deciſiuum. p.3.c.7.

10 Si Nouitius aliquis ante profeſſionem ad ſtudium Logicæ, Philoſophiæ, aut Theologiæ tum ſcholaſticæ, tum moralis erit admittendus, Conſultores habent votum deciſiuum. in Decretis p.3.c.5.nu.5.

11 In poſterum ſi aliquis ſacerdos erit promouendus ad cõfeſſiones audiendas, tam virorum, quàm mulierum. in Decretis p.3.c 5.nu.5.

12 Si in aliqua domo vltra aſſignatas in Capitulis Generalibus, erunt educandi Nouitij, P. Generalis vnà cum Conſultoribus poterit etiam alijs domibus non aſſignatis eandem licentiam impartiri. in Decretis p.2.c.4.nu.1. in fine.

13 In electione Aſſeſſorum Conſultores habent votum deciſiuum. in Decretis p.3.c.9.nu.3.

Conſultores etiam vigore noſtrarum Conſtitutionum habent votum conſultiuum, in infraſcriptis caſibus.

Primo,

Primo, quando mittendi ſunt Patres, & Fratres de loco ad locum. in conſtit. p. 3. c. 7. verſ. Cum transferendi &c.

Secundo, In diſtribuendis concionatoribus. in conſtit. par. 3. cap. 7.

Tertio, Ad eligendum Ordinarium, & Confeſſarium monaſterij Sapientiæ. conſtit p. 1. cap. 6.

Quarto, In omnibus rebus, quæ conſultatione aliqua indigere videbuntur. in conſt p. 3. cap. 7.

D Facultas A. R. P. Præpoſiti Generalis Clericorum Regularium.

1 PRæpoſitus Generalis noſtræ Congregationis, eo ipſo quod à Capitulo Generali eſt electus, gaudet, & vti poteſt omnibus, & ſingulis præeminentijs, facultatibus auctoritatibus, priuilegijs, & indultis, quibus alij aliarum Congregationum Generales vtuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent. Sixtus V. noſtræ Congregationi die 8. Aprilis 1588. Pontificatus ſui anno 3.

2 Supradicta facultas Præpoſiti Generalis noſtræ Congregationis, fuit poſtea per Clem. VIII. die 13. Iunij 1595. Pontificatus ſui anno 4. limitata quo ad gubernationem noſtræ Cõgregationis, quæ limitationes ſunt infraſcriptæ.

3 Vt Præpoſitus Generalis plenam habeat auctoritatem regendi, gubernandi, & corrigendi vniuerſam noſtram Congregationem, iuxta Conſtitutiones à Generali Capitulo factas, & deinceps faciendas.

4 Idem Præpoſitus Generalis ius habet mittendi de loco ad locum quem voluerit ex Patribus & Fratribus nullo expectato conſenſu, ſed habito tantum conſilio Patrum Conſultorum, præterquam in caſu infra dicendo.

5 Idem ſolus valet concedere licentiam Clericis ipſius, ordines ſacros ab ijs, quos ſpectat petendi, & ſuſcipiendi,

eoſq; ad confeſſiones audiendas, & conciones habendas deſtinare, ſeruatis reſpectiuè Conſtitutionibus in ſimilibus ſuper auctoritate dicti Præpoſiti Generalis factis, & faciendis, & à Sede Apoſtolica approbandis, vt ſupra.

6 Vt Præpoſitorum, & Viſitatorum electio tempore Generalis Capituli, non ab omnibus Capituli Patribus fiat, ſed à Præpoſito Generali, cum octo Definitoribus canonicè à Capitulo Generali electis.

7 Licet Præpoſitus Generalis hactenus in qualibet Congregatione tum generali, tum priuata, duplex votum habuerit, poſt hac tamen, excepto caſu paritatis votorum publicorum, tam in Capitulo Generali, quàm in quibuſcunque Congregationibus, aut etiam in quibuſve negocijs ipſius Congregationis etiam cum Conſultoribus habentibus votum deciſiuum pertractandis, vnum tantum ſuffragium ferre valeat.

8 Vt quatuor Conſultores eligantur, qui in caſibus iam in Conſtitutionibus expreſſis, habeant in ferendis ſuffragijs, vnà cum Præpoſito Generali votum deciſiuum.

9 Quod poſt hac, Præpoſitus Generalis non poſſit ſolus vnquam nec eligere, nec confirmare, nec de loco ad locum transferre Præpoſitos, & Viſitatores, nec etiam poſſit mutare de loco ad locum Vocales anno immediate antecedēti celebrationem Capituli, niſi cum interuentu dictorum quatuor Conſultorum. Qui quidem Conſultores non ſolum in caſibus in Conſtitutionibus, vt præfertur expreſſis, verumetiam in confirmatione, & mutatione tum Præpoſitorum, tum Vocalium ſupradictis, cum eodem Præpoſito Generali, votum deciſiuum habere debeant.

10 Vt electio Patrum Vocalium nonniſi in Capitulo Generali fiat, iuxta antiquam legem, & conſuetudinem Congregationis, nec aliquem ſolus Generalis eligere valeat.

11 Præpoſitus Generalis ſolus poteſt creare Vicepræpoſi-

tum

tum domus Sancti Syluestri de Vrbe.

12 Qui Generalis officio per triennium functus fuerit, non poſſit ad idem officium, niſi lapſo ſexennio iterum eligi. Clem. VIII. & Vrbanus VIII.

E De Viſitatione Regularium Notabilia.

1 Viſitare nihil aliud eſt, quàm exceſſus inquirere, & inquiſitos corrigere, & emendare, atque obſeruantiam obligationum iuxta cuiuſque perſonæ, ac rei exigentiam, vbi adhuc viget, conſeruare: & vbi deficit, in ſtatum priſtinum reſtituere. Auguſtinus Barboſa de officio & poteſtate Epiſcopi, p.3.alleg.73.n.1. & colligitur ex Conc. Trid ſeſſ.24.c.3. ſub decreto de reformatione, verſic. Viſitationum &c.

2 Viſitandi poteſtas competit Generalibus, Prouincialibus, Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, alijsq. præſidentibus in monaſterijs Religioſorum, vel deputatis in ijſdem, c. in ſingulis, c. ea quæ de ſtatu monachor. Barboſa vbi ſup. n. 23.

3 In Viſitationibus procedendum eſt ſummariè, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij. Barboſa vbi ſupra par. 3. alleg. 73. nu. 43. in fine.

4 Viſitans tanquam ſuſpectus recuſari non poteſt, niſi modum in Viſitatione exceſſerit. Barboſa de off. & poteſtate Epiſcopi, alleg. 73. nu. 38. & Marcus Anton. Genuenſ. in ſua praxi Archiepiſcopali Neapolitana cap. 21. in noua impreſſione.

5 Appellatio in Viſitatione etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, non impedit, aut ſuſpendit illius executionem, Conc. Trid. ſeſſ. 24. c 10. de reform. dummodo procedatur ſine proceſſu, & ſine ſcriptis. Barboſa vbi ſup. allegat. 73. nu. 32. p. 3. & alij quos ipſe refert.

6 Viſitationi nullus certus terminus præſcribitur, ſed arbitrio Viſitatorum relinquitur, Barboſa de off & poteſtate Epiſcopi, alleg. 73. nu. 39. debent tamen quanto citius poſſunt ſe expedire, idem vbi ſup. nu.40.

7 Viſitationis acta plenam inducunt probationem. Barboſa vbi ſup. p.3. alleg. 73. nu.43.

F Aduertenda à Viſitatoribus noſtræ Congregationis.

1 IN Viſitatione prorſus abſtinendum eſt à iuramento exigendo à ſubditis, c. Romana Eccleſia, § ſane de cenſibus in 6. dicit tamen Spatharius in ſua praxi, de modo corrigendi Regulares, tract. 2. cap. 3. nu. 5. quòd licet prorſus abſtinendum ſit à iuramento, tamen (vbi opus fuerit) præcepto adſtringi poterunt, vt veritatem plane aperiant, & conſcientiā exonerent ſuper omnes, quas ſciuerint quomodocunque tranſgreſsiones, quò Prælati poſsint iuxtà Regulæ præſcriptum paternè ſuos fratres monere, humiliterq; & charitatiuè illos corrigere.

Et Lucas Antonius Reſta in ſuo Directorio Viſitatorum p.1. c.88. verſic ſingulisq; &c. inquit quod Viſitatores mādare poſſunt ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, vt omni mendacio, ambiguitate, & tergiuerſatione remota, veritatem dicant circa ea, de quibus ab ijſdem Viſitatoribus interrogandi erunt ſigillatim in ſecreto, & ipſi ſubditi tenentur veritatem dicere, dum legitimè interrogantur. idem Reſta vbi ſupra, verſ. ipſi quoque fratres &c.

2 Inquiſitio generalis debet præcedere ſpecialem, nec ad ſpecialem inquiſitionem alicuius certæ perſonæ deuenire debēt Viſitatores, niſi aliquod crimen eis innoteſcat contra illam certam perſonam, vel per ſceleris euidentiam, vel

vel publicam famam, aut per delationem aliorum in viſitatione factam clareſcat. Reſta vbi ſup.p.1.c.88.in princ.

3 Separatim ſcribant viſitationem cuiuſque domus.

4 In omnibus domibus notent numerum fratrum, qui ſunt in illa domo, & qualitatem illorum: nempe qui nam ex his ſint Prædicatores, Sermocinantes, Confeſſarij, &c. & aptitudinem illorum. Item quot fratres ſuſtineri poſſunt, & numerum profeſſorum illius domus.

5 Viſitent inter alia clauſuram monaſterij.

6 An barbæ, & veſtimenta fratrum ſint vniformia.

7 An fratres conueniant ad orationem mentalem, iuxta decretum p.1. c.5.nu.1.

8 An ſacerdotes non vocales legant communi menſæ, iuxta decretum p.2.c.3.nu.4.

9 An in noſtris eccleſijs vbi eſt cura animarũ obſeruetur, quod ſtatutum eſt in decreto p.1.c.3.nu.6.

10 Aduertant etiam, quod ſunt Iudices differentiarum, quæ vertuntur circa veſtes, vt patet ex Notamento Capituli Generalis anni 1621. die 14. Maij.

11 Munera recipere non poſſunt qualitercunque offerantur, Conc.Trid.ſeſſ 24.cap.3. ſub decreto de Reformat.c.1. §.procurationem, &c. exigit de cenſibus in 6. Hoc autem intelligitur à fratribus noſtræ Religionis, & etiam ab extraneis eorum nomine, vel intuitu donatis.

Secus vero à ſecularibus, Viſitatorum conſauguineis, benefactoribus, vel amicis, cum ab iſtis non donetur intuitu officij, ſed ex affectu perſonæ.

12 Diligenter inquirant de vita, & moribus ſacerdotum, qui in Vocalium numerum in proximo Capitulo Generali ſunt adſcribendi.

Et de illis qui ad confeſſiones audiendas ſunt admittẽdi.

13 Si aliquis frater diſceſſit ex aliqua domo (quam viſitãt) in illo anno, inquirãt cauſam diſceſſus, & quomodo ſe geſſit in illa domo.

Viſita-

14 Viſitatores quamuis viſitationis tempore à caſibus Præpoſito reſeruatis facultatem abſoluendi habeant: hanc tamen nemini ipſi impertiri poſſunt. in Decretis p.3.c.6.n.5.

G Nunc aliqua dubia quæ in Viſitatione occurrere poſſunt diſcutienda ſunt.

PRima dubitatio, Ponamus (quod abſit) vt aliquis Viſitator ex noſtris, extra tempus viſitationis aliquid delictum committeret, Vtrum Præpoſitus domus, vbi manet poſsit cognoſcere de dicto delicto, & iudicare Viſitatorem delinquentem?

Reſpondeo, quòd attenta diſpoſitione noſtrarum Conſtitutionum poſſet de delicto cognoſcere, & illum iudicare, tum quia eſt ſuus ſubditus, & in illo tempore nullam habet iuriſdictionem, tum quia ratione delicti efficitur ſubditus, & ſortitur forum Præpoſiti domus, in qua deliquit, c. fin. de foro competenti.

Et à fortiori, ſi Epiſcopus delinquens in aliena diœceſi efficitur ſubditus, & poteſt puniri ab Archidiacono habente iuriſdictionem in loco delicti. c. cum inferior vbi Abbas, & Felinus de maior. & obed. multo magis puniri poterit Viſitator extra tempus viſitationis à ſuo Præpoſito. Dixi extra tempus viſitationis, quia in dicto tempore, non eſt ſubditus, & habet iuriſdictionem ſupra Præpoſitos, licet ſit inferior in dignitate.

Dixi etiam attenta diſpoſitione noſtrarum Conſtitutionum, quia attento decreto Capituli Generalis anni 1621. quod eſt parte 3. capite 9. num. 8. cuius tenor talis eſt;

Viſitatores etiam extra Viſitationis tempus ſint Iudices ordinarij in ſecundis cauſis, ad quos datur appellatio à definitiua ſententia Præpoſiti.

In

In primis etiam cauſis datur eis præuentio, non tamen definitiuam ſententiam ferunt abſque Præpoſito præuento, modo ſemper adſit vnus è deſignatis Aſſeſſoribus. Hucuſque Decretum: nunc dato quòd extra tempus viſitationis delinquat, cognoſci, & iudicari nō poteſt à Præpoſito domus in qua deliquit; & ratio eſt, quia vigore dicti decreti eſt Iudex ordinarius etiam extra tempus viſitationis, ad quem appellatio conceditur à Præpoſitorum definitiuis ſententijs, & in primis etiam cauſis præuentionem habet.

Vnde quamuis Præpoſiti ſint dignitate maiores, iuriſdictione tamen, ac adminiſtratione ſunt Viſitatoribus inferiores; nam non datur appellatio niſi à minore Iudice ad maiorem, l. 1. §. ſiquis in appellatione, & ibi glo. & DD. ff. de appellationibus, late Scac. in ſuo tract. de appellat. q. 2. art. 1. & art. 2. nu. 30. & Card. Thuſcus v. Appellatio, concl. 349. ſed iuriſdictio non exercetur in Superiorem quo ad iuriſdictionem, ſed in inferiorem dumtaxat, cap. cum iuferior 21. diſt. Scac. de appellationibus q. 2. ar. 1. nu. 10. Thuſc. in v. Par in parem concl. 89. nu. 28. Ergo Viſitator noſtræ Congregationis ſi delinquat etiam extra tempus viſitationis, cognoſci & iudicari non poterit à Præpoſito domus in qua deliquit, & confirmatur quia Archiepiſcopus delinquens iu Diœceſi ſui ſuffraganei, quamuis ratione delicti efficiatur delinquens ſubditus, tamen quia eſt Iudex appellationis ſententiarum ſuffraganei non poteſt cognoſci, neque puniri à ſuffraganeo, ita Abbas, & Felinus in c. cum inferior de maior. & obed.

Eſt tamen aduertendum, quòd quando periculum eſſet in mora, & probabilis ſcandali timor, tunc Viſitator delinquens poſſet à Præpoſito carcerari, & contra ipſum informatio capi, quia Iudex incompetens efficitur competens propter

propter periculum in mora, & ſcandali formidinem, vt habetur per Bart, in l. 1. nu. 5. verſ. vnum tamen ſcias, ff. de officio eius. Decius in c. prudentiam, nu. 10. de officio delegati quos refert, & ſequitur Card. Thuſcus v. Par in parem concl. 89. nu. 28.

Secunda dubitatio eſt, Vtrũ inchoata viſitatione in vna domo ſuæ prouinciæ, poſſit Viſitator audire confeſſionem fratris alterius domus eiuſdem prouinciæ, in qua viſitatio non ſit inchoata, nec intimata? Reſpondeo affirmatiuè, quia habet iuriſdictionem per totam prouinciam, ſecus vero dicendum eſt de fratribus illius domus, in qua viſitatio eſt completa, & vt dici ſolet licentiata, quia tunc expirauit iuriſdictio reſpectu illius domus, c. Romana, §. ex quo tamen, de cenſibus in 6.

Tertia dubitatio eſt, Vtrum inchoata viſitatione Neapoli in vna Domo ſuæ prouinciæ, poſſit Viſitator audire confeſſiones Monialium monaſterij Sapientiæ, quæ ſunt ſub noſtra iuriſdictione, & cum illis colloqui, non publicata viſitatione in dicto Monaſterio? Reſpondeo, quòd poteſt audire illarum confeſſiones, & cum illis alloqui de rebus pertinentibus ad viſitationem, quia habet iuriſdictionem per totam prouinciam, ſecus vero de alijs negocijs, vel de rebus non pertinentibus ad viſitationem. Non poteſt tamen ingredi intra clauſuram monaſterij, nec ſolus, nec cum alio Viſitatore, niſi tempore viſitationis d. Monaſterij.

Quarta dubitatio eſt, ſi aliquid donatum eſt Viſitatoribus, non vt Viſitatores ſunt, nec à viſitatis, cui domui acquiratur? Reſpondeo, quòd acquiritur domibus in quibus ſunt aſſignati, non autem domui loci, in quo reperiuntur tempore donationis, nec domibus profeſſionum. Et ratio eſt, quia à domibus, in quibus ſunt aſſignati alimentantur, & proinde ex conſuetudine Religionis illis acquiritur.

Vlterius

Vlterius dubitari poſſet, Vtrum dictas res eis donatas poſſint alijs donare abſque alicuius licentia? Reſpondeo deciſum eſſe hoc dubium ſupra in hac tertia parte cap. 5. in fine.

H

De Viſitatione Eccleſiæ.

De Particulis conſecratis, & Pixide.

VIſitandum eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentũ primo, & ante omnia, ad quod viſitandum, accedere debent Viſitatores induti ſuperpellicijs, ſuper impoſita ſtola, inſuper candelæ accendi debent.

Circa quod, hæc ſunt animaduertenda, 1. Quantitas particularum, 2. An ſint recentes, 3. An ſint mundæ, 4. Quantitas fragmentorum.

Circa Pixidem 1. Ex qua materia ſit confecta, 2. An ſit deaurata ſaltem intus, 3. An firmiter occludatur, & An faciliter manibus aperiri poſſit, 4. Nodus an talis ſit vt cõmodè capiatur, 5. An in ſummitate operculi ſit parua crux, aut imago Chriſti crucifixi vel reſurgentis, 6. Intra cuppam, ſit ne corporale mundum, & benedictum, & ad formam pixidis aptatum, vt omnes ſacræ particulæ intra ipſum contineantur, tum ad defendendas particulas ab humiditate metalli, tum etiam propter myſterium, ſignificandum ſyndonis lineæ, in qua inuolutum, ſepultum fuit Corpus Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & vt commodius fragmenta colligantur, 7. An habeat ſolitum ornamentum ex ſerico colore iuxta Eccleſiæ vſum, 8. An in Sacriſtia ſit alia Pixis ad particulas conſecrandas, & ad deferendam ſacram Euchariſtiam infirmis.

De Cuſtodia, & Oſtenſorio.

Circa Tabernaculum ligneum (ſeu Cuſtodiam) animaduertendum eſt, 1. ex qua materia ſit confectum, nam talis eſſe debet, vt ſanctiſſima Euchariſtia ab humiditate defendatur, An ſit politè elaboratum, 3. An in eo ſit aliqua ſciſſura, 4. An intus ſit ex panno ſerico ornatum, 5. An exterius ſit inauratũ, 6. An in ſummitate ſit crux, 7. An oſtiolum ſit tale, vt facile Pixis poſsit educi, 8. An claue ſit bene clauſum, 9. An bene ſit firmatum ſuper altare, 10. Sub hoc tabernaculo nullum debet eſſe armariolum, nec pro aſſeruandis libris, vel ſupellectili eccleſiæ. 11. Intra vbi eſt ſanctiſſimum Sacramentum, vel ſupra, nec Reliquiæ, nec aliud quidquam aſſeruetur, 12. An intra ipſum tabernaculum, vbi pixis apponitur, ſit corporale, vt facilè permutari poſſit, 13. Sunt videndæ veſtes tabernaculi, 14. Vt claues tabernaculi non maneat in oſtiolo affixa, ſed in ſecretiori loco aſſeruetur, 15. Tabernaculum ita in altari debet eſſe aptatum, vt commodè depromi poſſit.

Circa Oſtenſorium, videndum eſt, 1. Ex qua materia ſit confectum, 2. An ſit deauratum, vel argentatum, 3. An lunula ſemiſpheralis ſit aurea, vel argentea, 4. Duo chriſtalla quantum diſtent, 5. An benè occludatur, 6. In ſummitate an ſit parua crux, vel imago Chriſti crucifixi, vel reſurgentis.

De Lampadibus, & Baldachino.

Circa Lampades, 1. An ſint in conſpectu altaris, & non à latere, 2. An diſtent à terra vltra ſtaturam hominis, 3. An ſint mundæ, 4. An ſemper ardeant, ſaltem vna in diebus feriatis; & in diebus feſtiuis dum Diuina officia celebran-

lebrantur, ſaltem tres, 5. An ſint decentis formæ, 6. Præter lampadem, quæ ardet ante ſanctiſſimum Sacramentum, an alia ardeat in eccleſia.

Circa Baldachinum, 1. An ſit ſuper altare vbi tabernaculum, ſeu cuſtodia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ inſidet, 2. An adſit Baldachinum cum aſtilibus pro proceſſionibus ſanctiſſimi Sacramenti.

De Reliquijs, & ſacro Oleo extremæ vnctionis.

Circa Reliquias, 1. Viſitator accedere debet indutus ſuperpelliceo ſuperimpoſita ſtola, ac vlterius accendi debent candelæ, 2. Viſitanda ſunt monumenta ſi quæ ſunt, 3. Loca vbi Reliquiæ oſtenſibiles cuſtodiuntur, 4. Vaſa vbi ſunt repoſitæ, 5. Inſcriptiones nominum Sanctorum, 6. An decenter cuſtodiantur, & conſeruentur, 7. An ſint certæ, & authenticæ, 8. Eſt aduertendum, quòd populo non ſunt exponendæ niſi ſint antiquæ, & iam approbatæ, & quas certo ſciatur eſſe Reliquias. Et de expoſitione ſacrarum Reliquiarum, videndum eſt Concil.Trid.ſeſſ.25. & Canones de Reliquijs, & veneratione Sanctorum, 9. Non quotidie, & paſſim oſtendi debent populo, ſed ſtatutis diebus, & cum magna veneratione, 10. Nouæ Reliquiæ iuxta Côc. Trid. & ſacros Canones exponi non debent populo, niſi prius fuerint approbatæ ab Epiſcopo, 11. Lampas ante Reliquias ſemper ardeat, ſi fieri poteſt, vel ſaltem ſtatutis diebus, vel horis, 12. An adſit inuentarium reliquiarum.

Circa viſitationem ſacri Olei extremæ vnctionis videndum eſt, 1. A quo illud accipitur, 2. An illo anno ſit conſecratum, 3. Locus vbi aſſeruatur, 4. Vas vbi eſt repoſitũ, 5. Quomodo cautè cuſtodiatur.

De ſacris Imaginibus, Confeſſionalibus, & Tempore audiendi Confeſsiones.

Circa ſacras Imagines aduertat, 1. An in eccleſia, aliove loco ſit aliqua ſacra Imago, quæ falſum dogma contineat, vel rudibus occaſionem præbeat periculoſi erroris, 2. An ſacræ Scripturæ, vel traditioni eccleſiæ repugnet, 3. An vſui eccleſiæ conueniat, 4. An ſint apocripha, 5. An in ea ſit aliquod curioſum, quod ad pietatem homines non inducat, vel fidelium mentes lædere poſsit, 6. An in quolibet altari ſit imago D.N.Saluatoris Ieſu Chriſti crucifixi, 7. An in frontiſpicio eccleſiæ ſit aliqua imago Sancti, vel Sanctæ cuius nomine nuncupatur eccleſia, 8. An in pauimento eccleſiæ ſit aliqua ſculptura ſacræ hiſtoriæ, ſacræ Imaginis, vel Crucis.

Circa Confeſsionalia videndum eſt, 1. Confeſsionalia in eccleſia an ſint in loco patenti, 2. An lamina ferrea ſit ſana, & foramina ſint minuta, 3. Confeſsionalia hominum an ſint in loco patenti, 4. An adſint tot confeſsionalia, quot ſunt Confeſſores.

Circa tempus audiendi confeſsiones, 1. Confeſsiones an audiantur ante Solis ortum, & poſt occaſum, & maximè mulierum, 2. An confeſsiones illorum qui ſani ſunt, & abſque impedimento, audiantur in domibus priuatis, 3. An ſacerdotes dum pœnitentiæ ſacramentum miniſtrant ſint induti ſuperpelliceo, & ſtola, & maxime in eccleſia, & diebus feſtiuis.

De Cœmeterio, Campanili, & Campanis, & de Sacrario.

Circa Cœmeterium aduertat, (an in eccleſia aliquis ſepeliatur) 1. An parietibus ſit circundatum, & ſint ita alti, vt

vt aditus omnibus pręcludatur, 2. An in medio ſit crux, 3. An habeat cappellam, 4. An ſit in eo aliqua pictura indecens, 5. An in eo ſint vites, arbores, herbæ vireſcẽs, &c. & ſi inueniuntur, tollantur, 6. An oſtium ſit claue munitũ, 7. Mortui, qui ibi ſepeliuntur an in aliquo libro ſint adnotati, 8. An cum ordine aliquo ſepeliantur, & ſi fieri poſſet ſacerdotes, & alij clerici ab alijs ſeparatim, 9. An adſit feretrum, in quo mortuorum corpora deferuntur ad ſepulturam.

Circa Campanile, & Campanas, videat 1. An campanile in conuenienti loco ſit conſtructum, 2. In quo loco funus pendeant, 3. Quot campanæ ſint, & an ſaltem ſint duæ, 4. An aliqua campana ſine ſolemni benedictione iuxta Eccleſiæ inſtitutum ſit in campanili collocata, 5. Campanarum ſonus an diſtinguatur in diebus feſtiuis à non feſtiuis: Et an ſit aliqua regula in hoc ſtatuta & deſcripta.

Circa Sacrarium, 1. videndum eſt an ſit remotum à populi conſpectu, 2. An ſit prope Sacriſtiam, 3. An ſit conuenientis formæ, 4. An ſit mundum, 5. An habeat clauſurã.

De Sacriſtia.

Circa Sacriſtiam, aduertat Viſitator, 1. An ſacra indumenta ſint humida, ſine plicis, maculiſq; ſeruentur, 2. An ſint bene collocata, 3. Vaſa ſacra, & argentea an ſint bene cuſtodita, 4. Portæ Sacriſtiæ an firma claue ſint clauſæ, 5. In capite Sacriſtiæ an ſit altare, vel menſa, ſiue armariũ ad formam altaris, vbi ſacerdotes celebraturi ſacris veſtibus induantur, 6. An in dicta menſa ſiue altari ſit aliqua crux, vel ſacra imago, 7. An adſit aliquod Oratorium quo Sacerdos ſacra facturus, poſſit ſe recipere, & poſt miſſam, poſſit Deo gratias agere, 8. An in ipſo Oratorio, ſit aliqua ſacra imago, cum tabella orationum ad miſſæ præparationem,

nem, & ad gratias agendas poſt celebrationem miſſæ, 9. Videat lauacrum vbi ſit, & an ſit mundum, & an lintea munda ſint prope ipſum ad manus tergendas, 10. Armaria vbi ſacra ſupellex reponitur an ſint diſtincta, vt veſtes ſacræ, linea, calices, &c. & an à puluere, muribus, aqua, oleo, alijsq; huiuſmodi immunditijs, immunia ſeruentur. 11. Petat inuentarium à Sacriſta, & ſi non adeſt, mandet vt conficiatur, 12. An eccleſia iuxta vires ſuas ſacra indumenta omnium colorum ex Eccleſiæ inſtituto habeat, 13. Linea an ſint in ea quantitate, vt habita ratione eccleſiæ, & Cleri numeroſitate nitida, & munda, ſingulis hebdomadibus mutari poſſint, 14. Calices an careant illis maculis, quæ à vino produci ſolent, & an aliquando ſapone, vel alia re lauentur, 15. Videat paramenta Calicum, vt burſas, vela, corporalia, & purificatoria an ſint munda, & ſæpe mutentur, 16. An vinum album, & recens quotidie in ſacrificio miſſæ adhibeatur, 17. Vrceoli pro ſacrificio miſſæ an ſint mundi, 18. Videat Miſſalia cum ſuis ſignaculis, Breuiariũ chori, Pſalteria, & an ſint correcta, lacera, & vetuſtate conſumpta, 19. Luminaria cerea qua magnitudine in diebus ſolemnibus, & qua in alijs accendantur: & an ſit ſtatuta regula, & ſcriptis redacta, iuxta Eccleſiæ conſuetudinem, habita tamen ratione paupertatis domus, 20. Interroget an pluries mundetur in hebdomada, an ibi colloquia, & tumultus fieri ſoleant, 21. Videat an aranearum telis ſit munda, ſimiliter & eccleſia, 22. An ſit alius locus, in quo alia ſupellectilia pertinentia ad Sacriſtiam reponi, & conſeruari poſſint, vt ſuſtentaculum crucis, baculi baldachini, triangulum, lectorilia, & alia huius generis, vt armarium ſepulchri, &c. 23. Videat Turribulum.

De

De Libris Sacriſtia.

Circa Libros Sacriſtiæ aduertat Viſitator, 1. An Bulla Cœnæ Domini ſit ibi affixa, 2. An tabula Caſuum reſeruatorum tam S. Pontifici extra Bullam Cœnæ, quàm Epiſcopo, 3. An ibi adſit edictum S. officij Inquiſitionis, 4. An tabula feſtorum], quæ ex præcepto, conſuetudine, voto, aut deuotione ſeruantur in Ciuitate, 5. An in ea ſit Pontificale nouum, vel ſaltem beuedictiones corporalium, & indumentorum, &c. manuſcriptæ ex nouo Pontificali, 6. An in ea ſit ceremoniale noſtræ Religionis, 7. An ibi ſit Rituale Romanum Pauli V. iuſſu editum, 8. An ſit liber Profeſſionis fratrum, in quo ſint etiam deſcriptæ Orationes, quæ ſunt dicendæ tempore Capituli, & quando Prælatus accipit poſſeſſionem Præpoſituræ, 9. An ſit ibi ordo recitandi officium, 10 An ibi ſint libri proceſſionum iuxta ritum noſtrum, 11. An ibi ſit liber, in quo mortui, qui in eccleſia, vel cœmeterio ſepeliuntur ſint deſcripti.

De Altaribus.

Circa Altaria aduertat Viſitator, 1. An habeant longitudinem, latitudinem, & altitudinem ad ſacrificium Miſſæ conuenienter celebrandum, 2. An ſuper vnumquodque altare ſit gradus ligneus, vel lapideus, ſuper quem candelabra, & crux ponantur, isq. in cappellis vnus tantum, in maiori vero altari duo, vel tres eſſe poſſunt, 3. An aliquod altare ſit in aliquo loco, in quo ſacerdos celebrans terga vertat altari maiori, 4. In altari non debet eſſe aliquod foramen, vel aliqua feneſtra, vbi quicquam aſſeruari, recondiq; poſſit, 5. Sacerdos ſacrificans, & clericus miniſtrans debēt aliquo cancello ligneo, vel ferreo à populo ſegregari.

Circa

Circa Altare portatile videndum eſt 1. Ne lapides ſint ita parui, vt nec hoſtiam, & calicem capiant, 2. Ne in lapide ſit aliqua fractura, 3. An ita ſit in altare inſertum, vt non moueatur, & vt à menſæ ſuperficie paululum aliquid extet, quo ſacerdotis celebrātis tactu dignoſci poſſit, 4. An ſit tela coopertum, 5. An tres mappæ lineæ, & integræ ſint, & an ea ſint longitudine, vt tota fere menſa altaris conſternatur, & an inter ſe diſtinctæ, ac ſeparatæ ſint, an ea ſint longitudine vt totam altaris menſam contegant.

1 De Viſitatione perſonarum.

QVando viſitantur perſonæ, (vltra id quod ſponte dicunt) fieri debent interrogatoria generalia circa mores, & vitas fratrum, & regularem obſeruantiam; ita Lucas Antonius Reſta in ſuo Directorio Viſitatorum p. 1. de Viſitatione Monaſterij cap. 11. nempe.

An Diuinum officium deuotè, diſtinctè, & debitis horis, ſine riſu, & colloquio, & non curſim celebretur.

An omnes diu, noctuq; conueniant in choro ad Horas Canonicas, & alia Diuina officia celebranda.

An officium aliquod, vel aliqua eius pars, in eccleſia omittatur.

An ſacrificium Miſſæ ab aliquo celebretur cum magna celeritate; & An obſeruetur Decretum p. 1. c. 3. nu. 5.

An ſeruetur ſilentium ſuis locis, & temporibus.

An ſemel in menſe cellæ viſitentur à Superiore.

An Superior opere, & ſermōe benè tractet ſuos ſubditos.

An ſubditi debitum obſequium, reuerentiam, & obedientiam præſtent ſuo Superiori.

An aliquis ſit nimis implicatus negocijs ſecularibus.

An aliquis ſit ſuſpectus de incontinentia, vel habeat nimiam familiaritatem cum mulieribus.

An

An in conuerſationibus fiant colloquia impertinentia ſtatui noſtro.

An aliquis ſit rixoſus, vel contentioſus, vel communem pacem turbet.

An Superior ſæpius quam expediat domo exeundi fratribus licentiam concedat.

An ſine perſonarum delectu, defectus corrigat.

An ſint Officiales omnes ſecundum Conſtitutiones:

An ſeruetur Conſtitutio, vt in cellam alterius nemo intret.

An ſeruetur Conſtitutio, vt nemo literas, vel munera mittat, vel recipiat, abſque Superioris licentia.

An in Refectorio, vel extra, aliqua ſingularitas ab aliquo ſeruetur.

Capitulis Domus, an omnes Vocales conueniant: Et an in illis cum pace, & charitate tractentur negocia.

An Domi, vel extra Domum aliqua actio fiat, quæ poſſit ſcandalum afferre, vel ſuſpicionem malam contra aliquem ex noſtris.

An aliqua diſcordia ſit inter fratres; Et an viuant cum obſeruantia.

An habeatur notitia alicuius rei, quæ progreſſu temporis poſſit aliquam infamiam generare Religioni.

Interrogatoria facienda Sacriſtis poſt viſitationem ſacriſtiæ.

Quot Miſſæ quotidie in eccleſia celebrentur.

An omnes ſacerdotes quotidie Miſſam celebrent.

An Rituali Romano vtantur, præcipuè in adminiſtratione Sacramentorum.

An fores eccleſiæ opportune claudantur, & aperiantur:

An deambulationes, colloquia, riſus, tumultus, & ſimilia fiant in ſacriſtia.

An eleemoſynæ quotidianæ manuales pro quotidianis miſſis celebrandis accipiantur.

An adſit liber, in quo deſcriptæ ſint dictæ eleemoſynæ.

An expendantur dictæ eleemoſynæ antequam miſſæ celebrentur?

An ſatisfactum ſit præteritis oneribus miſſarum, ita vt noua onera recipere valeant.

An habeant onera perpetua, & illis ſatisfactum ſit temporibus debitis.

Quando vocati ſunt Confeſſarij ad confeſſiones audiendas, an ſtatim obediant.

An in eccleſia aliquid occurrat, quod ſcandalum generare poſſit.

An ſacerdotes miſſam celebrent temporibus aſſignatis; Et vocati an ſtatim obediant.

An Clerici, & Laici benè miſſis deſeruiant.

Interrogatoria pro diuerſis perſonis.

Pro Cõfeſſarijs Domus. Quot Confeſſores ſunt in Domo, pro confeſſionibus fratrum audiendis;

An ſæpius in hebdomada peccata ſua confiteantur ſacerdotes, & alij.

Pro Depoſitario domus. An ſint aliqui, qui habeant pecuniam depoſitatam apud ſe, vel apud Superiorem.

An Domus contraxerit debita, & cum quibus, & in qua ſumma, & quibus de cauſis.

An aliqua bona immobilia pretioſa ſint alienata, vel pignorata, & cui, & quanto pretio, & qua de cauſa.

Ad quam ſummam aſcendant eleemoſynæ, quæ fieri ſolent monaſterio quot annis, ſimiliter & expenſæ.

Videant Viſitatores libros rationum, & expenſas, quæ in recreationibus fieri ſolent; Et quando ſeculares recipiuntur in hoſpitio.

An habeat librum, in quo ſcribantur concluſiones Capituli Domus, *Pro Secretario domus.*

An habeat librum, in quo ſcribantur profeſſiones fratrũ.

An habeat librum, in quo ſcribantur hiſtoriæ Domus, nempe Præpoſiti qui quot annis Domum gubernant; Fratres, qui ad ordines promouentur, qui permanent, veniunt, vel diſcedunt, &c.

An apud ſe habeat noſtras Conſtitutiones, Decreta Capitularia, ordines P. Generalis, & Viſitatorum, Compendium priuilegiorum, Decreta Congregationis Reformationis, & Conc. Trid., Decreta miſſarum, & illorum Declarationes.

An habeat inſtructionẽ Nouitiorum, & illam obſeruet. *De Magiſtro Nouitiorum.*

Quomodo ſe gerant Nouitij circa mores, ſpiritualia, & regularem obſeruantiam.

Quomodo ſint eruditi in cæremonijs Eccleſiaſticis.

An bene poſſideant linguam latinam; Et qui non bene poſsident, an inſtruantur in illa.

An ſeruentur Decreta p.2.c.4.nu.13. & 14. circa receptionem Nouitiorum.

An inter eos ſit aliqua diſſenſio, vel particularis amicitia. *Pro nouellis Profeſſis.*

Ordines facti ab A. R. P. Generali pro Clericis nouiter profeſsis an ſeruentur.

An in recreationibus, tam in Domo, quàm extra Domum, fiat aliqua diſſolutio. *Pro laicis, qui alios comitãtur*

Quando comitantur alios, an ſint in loco, in quo videre, & videri poſsint à ſocio.

Quot ianuæ ſint in Domo. 2. Qua hora claudantur, & aperiantur. 3. Quis cõſeruet claues ianuæ in nocte. 4. Quot ianitores ſint, & an ſæpe mutentur, 5. An ianua in die ſoleat eſſe aperta, abſque neceſsitate. 6. An ianuæ eccleſiæ in die clauis reſerẽtur. 7. An aliquis ex noſtris fratribus, ſæpẽ *Pro ianitõre domus.*

ſoleat in ianua manere, & ad quem finem. 8. Quando aliqua litera alicuius fratris eſt ianitori ab aliquo ſeculari cōſignata, cui prius illam tradat, fratri, vel Superiori. 9. An aliquis ex fratribus literas, vel munera mittat, vel accipiat inconſulto Superiore. 10. An aliquis ex fratribus negocijs ſecularibus, plus quam decet ſe intromittat. 11. Quando aliquis ex fratribus (non Confeſſarius) ab aliquo ſeculari expoſcitur, an illum vocet inconſulto Superiore. 12. Quādo vocat aliquem Confeſſarium pro cōfeſsionibus audiendis, an ſtatim veniat.

K

De Viſitatione Domus.

De Dormitorio

AN in Dormitorio in nocte ſemper lumen adſit. 2. An cellæ aperiri poſsint cōmuni claue à Superiore. 3. An in cellis ſint, ſtipi, ſiue capſæ clauſæ cum claue. 4. An in cellis ſit aliquid contra noſtras Conſtitutiones. 5. An aliquid deficiat ex neceſſarijs. 6. Viſitentur libri, & ſcripturæ, quæ detinentur in cella. 7. An in cellis ſit imago ſanctiſsimi Crucifixi, & beatiſsimæ Virginis Mariæ.

De Bibliotheca.

An libri ſint ad ſufficientiam pro ſtudio. 2. An adſit index librorum. 3. An adſit index librorum prohibitorum, cum Decretis poſtea publicatis de eadem materia. 4. An ibi ſint libri prohibiti, ſuſpenſi, vel profani. 5. An debitè cuſtodiantur, & à puluere, & araneis cuſtodiantur. 6. An ibi ſit nota librorum, qui fratribus, vel aduenis commodantur.

De Infirmaria.

An ſint, qui curam infirmorum habeant. 2. An pro curādis ægrotis ſit medicus, & aromatarius. 3. An infirmorum cura habeatur, & omnia neceſſaria eis cum charitate miniſtrentur, & præcipuè ſacramenta, & ſpiritualia. 4. An cum charitate gubernentur, & à fratribus viſitentur. 5. An ſint vaſa, & ſupellectilia ad infirmorum curam neceſſaria, &

locus,

locus,ſiue cubiculum,in quo conſeruentur. 6. An ſint cubicula ſeparata, apta, & ſalubria pro infirmis.

De Hoſpitio. An cellæ hoſpitij ſint ſeparatæ à dormitorio. 2. An habeant neceſſaria pro hoſpitio accipiendis aduenis. 3. An ſit, qui curam habeat hoſpitum. 4. An cum charitate recipiantur, & tractentur. 5. An quæ de hoſpitibus ſtatuta ſunt, ſeruentur.

De Veſtiario. An in eo ſint linteamina ad ſufficientiam, & alia neceſſaria pro vſu fratrum; 2. An bene conſeruentur. 3. An indumenta Nouitiorum ibi conſeruentur. 4. An omnia, quæ ibi conſeruantur ſint communia. 5. An ſit inuentarium.

De Refectorio An Refectorium ſit commodum pro fratribus,& menſæ ſufficientes. 2. Qui libri legi ſoleant intra menſam. 3. An panis & vinum, & aliæ res omnibus æqualiter diſtribuātur, in eadem qualitate,& quantitate. 4. An ſæpe ad ſecundam menſam alij remaneant, præter eos, qui ex neceſsitate id agunt; Et an plures quam duæ menſæ conſtruantur. 5. An menſa habeat mantilia, oriſtergia, & mappas ad ſufficientiam, quæ poſsint munda & alba mutari. 6. An ſit inuentarium. 7. An omnia benè in ſuis locis conſeruentur.

L De viſitatione Prouiſionum pro victu fratrum.

AN in horreo ſit frumentum ſufficiens pro victu fratrum, & bene conſeruetur. 2. An in cellario ſit vinum, & videant quantitatem, & qualitatem. 3. An dolia, & vaſa vinaria bene conſeruentur. 4. An vinum ex negligētia Officialis corrumpatur. 5. An adſit oleum pro victu fratrum: Et an ſit diſtinctum ab illo, quod pro lampadibus & lucernis deſeruit. 6. An adſit prouiſio lignorum pro coquina,& alijs indigentijs.

De

M

De Sanctimonialium viſitatione.

ENixe Viſitatoribus monialium laborandum eſt, omniſq; cura impendenda, vt obſeruentur tria Religionis vota; Ab his enim cætera pendent, & ad ea Regulæ, Conſtitutiones, Statuta, Clauſura, & cætera omnia, quæ ſunt regularis obſeruantiæ diriguntur.

Viſitata igitur eccleſia exteriore modo ſupradicto de viſitatione eccleſiæ, quia magna obſeruantia monialium eſt clauſura, ab illa incipiendo, hæc ſunt de ea aduertenda.

De clauſura in eccleſia

Primo in eccleſia aduertant Viſitatores feneſtram ſacræ communionis, an ſit claue bene obſerata intus ex parte monialium, & foris. 2. Rotam vbi ſacræ veſtes ad miſſæ ſacrificium exponuntur. 3. In altare ſolet eſſe alia feneſtra, vbi moniales miſſæ ſacrificium audire poſſint; aduertant an clathrato ferreo duplici ſit munita, & intrinſecus valuas habeat claue munitas, quæ ſit apud Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam. 4. Si habet palcum ſupra ianuam eccleſiæ, in quo chorus monialium fieri ſolet, aduertant, an moniales in eccleſiam exteriorem proſpicere poſſint; Et ſi proſpicere poſſunt, quamuis clathrata ſit feneſtra, vbi fieri poteſt non toleretur, quia iſti aſpectus in eccleſia, occaſionem multarum tentationum, & curioſitatum præbent. 5. Viſitent locum vbi confeſſiones monialium excipiuntur.

De clauſura in Ianuis monaſterij.

In ianuis monaſterij primo aduertant quot ianuæ ſint, duæ enim, nec plures eſſe debent, Vna quæ auditorij dicitur, Altera quæ dicitur ad iumenta, vel vehicula. 2. An ſint bene clauſæ, & in loco non obſcuro. 3. Qua hora clauduntur, & aperiantur. 4. In ianua auditorij an ſit feneſtricula munita lamina ferrea, minutis foraminibus. 5 An ianua ſit in loco, vt quando aperitur nullus proſpectus monialibus in viam publicam eſſe poſſit. 6. An prope ianuam

ſit cellula vbi Ianitrices permaneant. 7. An prope ianuam ſit rota omni ex parte bene munita, ita vt nulla ſit rimula vnde foras ſpectetur, & ab interiori parte claue claudatur.

De clauſura in feneſtris collocutionis.

Circa feneſtram collocutionis aduertant Viſitatores, 1. An ſit bene munita opere clathrato ferreo duplici, interuallo inter vnum & alterum interiecto. 2. An intus lamina ferrea ſit infixa, vel ſaltem claue obſerata, quæ ſit aliquot foraminibus perforata. 3. Aduertant quòd vbi monialium eſt multitudo, duabus aut pluribus feneſtris opus eſt. 4. Hæ feneſtræ non in eccleſia, non in ſacriſtia, vel cõfeſſionario eſſe debent, ſed in cellis particularibus, tam intra, quàm extra monaſterium, muris tranſuerſis. 5. Rota parua in vno tantum collocutionis loco permitti poterit. 6. Auſcultatrices ſemper paratæ eſſe debent in iſtis feneſtris.

De clauſura intra monaſteriũ

Intra monaſterium aduertant Viſitatores primo. An parietes ſint firmi, & eminentes, ita vt è nullo loco ingreſſus, vel egreſſus præterquàm è ianua patere poſſit. 2. An in illis ſint foramina, vel ſciſſuræ aliquæ, quæ extra monaſteriũ reſpondeant. 3. Accuratè videant feneſtras, & loca eminentia ſi habeant, vnde moniales videre, vel videri poſsint à vicinis, vel in viam publicã. 4. Omnia à parietibus amoueant, diligenterq; inſpectent, an aliquis aditus ex aliqua parte ad monaſterij ingreſſum, vel ad videndum pateat. 5. Non dedignabuntur Viſitatores ad omnia infima loca deſcendere.

De viſitatione locorum monaſterij.

Quando Viſitatores viſitant clauſuram intra monaſterium, in eodem tempore viſitare poſſunt Dormitorium, Infirmariam, locum Nouitiarum, qui ſeparatus eſſe debet à profeſsis, Refectorium, Chorum.

De

De Viſitatione perſonali, quæ extra clauſuram fit.

Viſitatores ſingulas moniales in loco collocutionis viſitent, habeantq; tabellam ante ſe, ſeu notam omniū monialium, cum illorum cognominibus, ætate, ac quæ profeſſæ, quæ ve non profeſſæ fuerint. & primo ſint cauti Viſitatores, ne facile omnia credant, nam mulieres vehementer anguntur à paſsionibus. 2. Cum magna prudentia inueſtigent veritatem, & aduertant ne vllo pacto in cognitionem delatricis deueniri poſsit. 3. Videant an omnes viuant de communi menſa, & in Refectorio, & an idem ſit veſtitus omnium. 4. An aliqua habeat pecuniam particularem, vel redditus, & quomodo illos expendat. 5. Munera, quæ monialibus ſunt donata, ſi ſunt alicuius momenti, an in communi reponantur; Et ſi à monialibus foras tranſmittūtur, an tranſmittantur conſanguineis, benefactoribus, vel alijs, & cum licentia Prioriſſæ vel non: & nomine communi, vel particulari. 6. An quælibet ſuum lectum habeat, & ſola in ſuo lecto cubet. 7. An catulos habeant. 8. An familiaritatē habeant cum hominibus, qui non primo, vel ſecundo ad ſummum gradu illis ſint coniuncti. 9. An munuſcula, & literas ab illis ſedulo mittantur: & an à Ianitrice, vel Roteria primum Præfectæ, quàm moniali denuncietur, 10. An Ianitrix ſæpe abſque neceſsitate oſtium clauſuræ aperiat, & quæ per Rotam recipi, vel dari poſſunt, an per portam det, vel recipiat. 11. An Ianitrix artifices, aut alios famulos, vel pueros non habita licentia in ſcriptis à Superioribus, introduxerit in monaſterium. 12. An Ian itrix oſtio aperto permiſerit ſecularibus etiam fœminis loqui cū monialibus etiam conſanguineis. 13. An permiſerit ſecularibus loqui cum monialibus abſque licentia in ſcriptis ſui Superioris: Et an illam prius oſtenderit ſuæ Præfectæ: Et an auſcul-

auſcultatrices ſint præſentes quando moniales loquuntur cũ ſecularibus, vel alijs Religioſis. Et an loquantur cũ ſecularibus diebus feſtiuis, Quadrageſimæ, & Aduentus. 14 An ſint aliquæ, quæ rixas, & contentiones excitent, vel ſint aliquæ nimis familiares inter ſe. 15. An capillos nutriant, annulos, vel chirothecas deferant. 16. An omnes debitam reuerentiam, & obedientiã Abbatiſſæ deferant. 17. Quomodo quælibet in ſuo officio ſe gerat. 18. Abbatiſſa, vel Cancellaria det inuentarium bonorum omnium, tam mobilium, quàm ſtabilium ipſius monaſterij, & ſimiliter actionum. 19 Cancellaria oſtendere debet volumina monaſterij, accepti & expenſi. Et à Viſitatoribus videndum eſt, an bene introitus miniſtretur: An fidelitet & cum integritate à procuratoribus tractetur. Et an dicti procuratores quolibet anno rationem adminiſtrationis ſuæ reddant. 20. Videant etiam Viſitatores publica inſtrumenta monaſterij, an accuratè ſeruentur 21. An omnes moniales laborent in communi laboris loco. 22. An bene in choro verſentur: An omnes in choro conueniant: Et an ſine cauſa abeſſe permittantur. 23. An tempore quo cãtatur in choro, moniales cum ſecularibus in parlatorio loquantur. 24. An alia ſpiritualia exercitia, & orationes ſtatutis horis perſoluant, ſecundnm eorum Conſtitutiones. 25. An obſeruetur Regula, ſub qua militant. 26. An ſua peccata ſaltẽ ſemel in menſe confiteantur, & ſacratiſſimam Euchariſtiam ſaltem ſemel in menſe ſuſcipiant. 27. Confeſſarij extraordinarij an fuerint bis, vel ter in illo anno iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 25, cap. 10. Et an omnes adeant Confeſſarium extraordinarium. 28. Vltra perſonas, quæ ordinariè ſeruiunt monaſterio, an aliæ accedant ad ſeruiendum particulari moniali. Et iſtæ eradicandæ ſunt à monaſterijs. 29. Confeſſarius, & Cappellani quomodo rectè ſua munera exerceant. 30. Quibus applicentur miſſæ, quas Cappel-

lani dicunt. 31. An habeant aliqua onera miſſarum, vel orationum &c. Et an ſatisfactum ſit præteritis oneribus. 32. An Rituali Romano vtantur, præcipuè in adminiſtratione Sacramentorum. 33. An habeat Concionatorem, virum grauem, à quo audiant verbum Dei, ſaltem in diebus feſtiuis. 34. Quibus libris vtantur in Diuinis officijs: & quibus libellis vtantur ad proficiendum in ſpiritu. 35. Quæ dos ſoluatur à moniali ingrediente monaſterium. Et an pecunia dotis bene applicetur in beneficium monaſterij, & tuto ſeruetur.

LAVS DEO.

1407304

INDEX
RERVM NOTABILIVM
TEXTVS CONSTITVTIONVM
CLERICORVM REGVLARIVM,

Ordine Alphabetico diſpoſitus.

A

ABſentibus Vocalibus ſacerdotes Præpoſiti iura exercent. fol. 347. nu. 5

Abſente Præpoſito, ſine neceſſitate, egrediendi de Domo facultas ne detur. fol 242 nu. 3

Abſente Præpoſito nemo literas ſcribere, aut aliquid innouare audeat, quod ſi neceſſitas coegerit, res tota Præpoſito aperiatur cum reuerſus fuerit. 351. nu. 27

Alba ſchedula nemo vti poterit in aliqua electione, ſi forte reperiatur quid agendum. 249. nu. 7

A multitudine præceptorum caueant noſtri Superiores. 5. nu. 2

Annales libros, & accepti, & expenſi faciat Præpoſitus in ſua domo. 351. nu. 29

Annorum numerus à profeſſione tranſactus requiritur, ad hoc vt ſacerdos poſſit in Vocalium numerum adſcribi. 285. nu. 6

Arcas, vel Armaria clauibus obſerata noſtri ne habeāt, exceptis ijs, qui res cōmunes adſeruant. 128. nu. 21

Armaria noſtris prohibita ſunt. 128. nu. 10

B

BArbam, & capillum omnes tondeant. 184. nu. 5

pro Benefactoribus orandum eſt poſt cœnam in eccleſia. 108. nu. 3

C

CApitulum generale noſtræ Congregationis habet auctoritatē nouas condendi leges, & veteres abrogandi. 6. nu. 4

Capitulum generale tantum poteſt noſtris Conſtitutionibus aliquid mutare addere, vel minuere. 6. n. 4

Capitulum generale quando, & vbi celebrari debeat. 269. nu. 1

Quo die incipi debeat. 269. nu. 2

Capituli generalis modus, forma, & ritus. 270. nu. 4

ad Capitulum generale, qui poſſunt venire, vel non. 248. nu. 1

Capitulo generali quibus intereſſe nõ competit, ad illam Ciuitatem ne accedant. fol.251.nu.12
Capitulo incepto, ſi quis ex Patribus venerit, rata ſunt omnia eo vſque ſancita. 270 nu.3
Capitulum generale quomodo dimittendum. 275.nu.19
in Capitulo generali ſancitis nemo contradicere audeat. 275.n.20
Carnibus abſtinemus quarta feriâ. 186 nu.3
Caſtitatem ita ſeruare debemus, vt Angelicam quodammodo in terris puritatem imitemur. 125.n.5
Cellam alterius ne intrent, ne Lectoris quidem, neque Concionatoris, neque externi. 237 nu.3
Ceremoniæ aptè exerceantur. Eligatur ſacerdos, qui ceremonijs præſit, & cæteros inſtruat. Ante ſolemnitates præexerceantur. 56.nu.1
qui in Chorum ad Horas Canonicas poſtquam inceptæ fuerint venerint, quid agere debeant. 44.n.12
Ciborum parſimonia decet pauperes. 185.nu.1
Cibum ſumere extra menſam non licet abſque Superioris licentia. 187.nu.11
Cibos ſumere extra Refectorium, & extra tempus recreationis, nulli liceat, neque domi, neque foris abſque Superioris licentia. 246.n.2
Claues Domus & eccleſiæ, totâ noctẽ apud Præpoſitũ maneant. 237.n.5
Clerici, qui ſtudiorum cauſa exempti ſunt à Choro, matutinis horis ad eccleſiam prius veniant, orationes ante altare maius fundant, & benedictionem à Superiore in Choro petant. 44.n.10
Communicãdi quibus diebus Clerici, & laici ſimul ſunt. 110.nu.4
Concionatores eleemoſynas pro ſtipendio ne petant, neque eo nomine oblatas recipiant. 104.nu.3
Alio nomine vltro datæ, cui domus aſſignandæ. ibid.
Concionatori peregre abeunti ſocius deſignetur, eiq; obediat. 104.n.2
Prope tempus concionandi proficiſcantur. ibid.
Ne deflectant de via. ibid.
Viaticum quæ domus ſoluat. ibid.
Concionandi munus quibus concedi poſſit, & quibus negari debeat, & à quo. 103.n.1
Confeſſarij munus quibus committendum. 71.n.2
Confeſſarij ne nimium occupentur cõfeſſionibus. 71.nu.2. *V. Curent Præpoſiti.*
Confeſſarios pro noſtrorum confeſſionibus audiendis Præpoſitus deputet, & ex eis cui voluerit quiſque confiteatur. 110.nu.3
Confeſſarij ne incipiant confeſſiones audire, ſine licentia Præpoſiti. 71.nu.2. *V. Qui ita.*
Confeſſarij priuſquam ad Ordinariũ mittantur, domi examinentur. 71.nu.2
Confeſſarium, & Ordinarium Sanctæ Mariæ de Sapientia quis eligere, & reficere poterit. 99.n.2. *V. Pater Generalis.*
Confeſſionalia ſeu ſedilia pro mulierum

rum confeſſionibus audiendis, ita in eccleſiis ſint collocata, vt & mulieres, & ſacerdotes facilè videri poſsint. 73.nu.4
Virorum vero, aut ſint in eccleſiis, aut in locis ad id aſsignatis. ibid. V. Virorum.
Confeſsionibus mulierum ne exponantur ſacerdotes iuniores. 72.n.3
Eas raro domi viſitent, & ex graui cauſa. ibid. Verſiculo Domus.
Confeſſarij mulierum in Congregatione viuentium, confeſsiones audire non poſſunt regulariter; fallit ſi vt extraordinarij mittantur. 99.nu.1
domi mulierum Confeſsiones ita audiant, vt à ſocio conſpici poſsint. 73.n.3. V. Quæ ſi.
Ne longius æquo ſermonem producant, neue de ijs rebus agant, quæ ad pœnitentiæ ſacramentum pertinere minime videantur. 73.n.4 V. Dum earum.
Confeſsio ſacramentalis ſumptioni Eucharistiæ eſt præmittenda à noſtris Clericis, & Laicis. 110.n.1
Confeſsiones ne dentur niſi poſt annũ à ſacerdotio, & de licentia P. Generalis. 71.nu.2
Conſanguinei in primo, vel ſecundo gradu coniuncti, ne ſuccedant inter ſe in Præpoſitura, nullo interiecto anno. 296.nu.5
Conſcientiæ examen bis in die habeatur. 108 nu.2
Conſtitutiones noſtræ non obligãt nos ad culpam, ſed ad pœnam tantum. 5.nu.1
Conſtitutiones, & Decreta facere poſſunt Patres in Capitulo generali congregati. 275.n.18
Conſtitutionum verba legãtur in Capitulo generali à Secretario quãdo proponitur aliqua res, de qua in Conſtitutionibus ſit mentio. 274.nu.16
Conſultor profeſsione ſenior vicem obtinet P. Generalis ſi mori contingat, vel munus abdicare; Ne ſedeat tamen in Generalis loco. 310.nu.11
Quid facere debeat hoc tempore. 310.n.12
Ius ingrediendi generale Capitulum non habet, niſi more ſolito eligatur. 311.n.13
Conſultore deficiente per mortem, vel per aliam cauſam, qui poſſunt aliũ eligere. 309.n.6
Et quando teneantur eligere. ibid. nu.7
Conſultores eligantur per generale Capitulum. Et ſunt quatuor numero, & durant per triennium. 308.nu.1
Vnus ex eis ſolus refici poteſt per aliud triennium. 308.n.2
Eorum poteſtas. 308.n.3
In quibus rebus habent votum deciſiuum. 308.n.4
Conſultor pro generali Capitulo electus ſi moriatur, quid agendũ ſit. 309.n.8
Corrigere lectionis menſæ errata nemo audeat præter Superiorẽ. 187.n.6
Culpam dicant in Choro noſtri clerici, & ſacerdotes de erratis commiſsis in

in Diuinum cultum. 45.n.13
Culpa, quæ in domeſticis operibus, non autem eccleſiaſticis commiſſæ fuerint, in principio menſæ flexis genibus in Refectorio dicantur. 387.nu.7

D

DEfinitorum officium. 296.n.2
Quæ officia, & orationes ſunt recitandæ pro defunctis fratribus. In obitu Summi Pontificis, vel Epiſcopi. 120.nu.1
Depoſitum nullum apud extraneos noſtri teneant ſine licentia Præpoſiti. 126.nu.9
Domicilium nouum quomodo acceptandum, vel acceptatum repudiandum ſit. 300.n.9
Domum ære alieno (niſi opus ſit) ne grauet Præpoſitus. 349.n.18
Donare aliquid non poſſumus, neque alijs ex fratribus, neque ſecularibus ex ijs, quæ à Superioribus nobis conceſſa ſunt. 126.n.10
Dubitationes circa electionem Vocalium, qui Capitulo generali debent intereſſe, ſimpliciter, & ſola rei veritate inſpecta ſoluantur. 271.nu.7

E

ECcleſiarum nitori & ornamento vacetur. 57.n.1
Egredientes de domo quid ſeruare debeant, & quid redeuntes. 242.n.1
Egredietes. Vide Abſente Præpoſito.
Electio Generalis quomodo fieri debeat. 273.nu.14
Electio Conſultoris pro Capitulo generali. 349.nu.4
Electus pro Capitulo generali, ſiue Vocalis, ſiue Conſultor ſit, ſi poſtea moriatur, vel ſi impeditus, alius eligatur in eius locum. 250.n.10
qui in Electione aliquem nominare nolit, ab electorum numero erit mouendus. 250.nu.8
Electio Vocalis pro Capitulo generali quando ſit facienda. 248.n.3
Electione facta Vocalis pro Capitulo generali, cæteris fratribus, & domibus per literas ſignificetur. 250.nu.9
Electioni Vocalis pro Capitulo generali, nec Præpoſitus, nec Viſitatores ſe immiſceant. 248.nu.2
Electioni ſui ipſius nemo accedere poteſt augendo numerum, niſi omnes & ſinguli Electores conſentiunt. 249.nu.6
Electio per Procuratorem non ſit in noſtra Congregatione. Excipitur Præpoſiti. 249.n.5
Eleemoſynas alijs ſecreto erogandas, noſtri ne procurent. 127.14
Eleemoſynæ à ſecularibus nobis ſpõtè datæ, vt alijs erogẽtur, neque apud ſe habere, neque diſpenſare quis audeat, abſque Superioris licentia. 127.n.16
Eleemoſynæ datæ emigraturis de domo in domum, vel concionatoribus cuius domus cenſeantur. 127.n.17
Eleemoſynas ne noſtri vllo pacto petant, neque pro ſe, neque pro alijs quibuſuis, neque vt alij pro nobis

petant

petant permittatur. 127.nu.15
Eleemoſynæ, ac bona omnia Superiori tradantur, & in communi reponãtur. 125.n.7
Eleemoſyna. Vide Pauperibus.
conſcientiæ Examen bis in die habeatur. 108.n.2
Examinentur ſcholaſtici antequam de vna ſcientia ad aliam tranſeãt. 232.nu.3
Exemptionem à Choro aſſumere ne audeant Lectores, Prædicatores, & Scholaſtici, qui actu non legunt, prædicant, & lectionibus non inter ſunt. 44.n.9
Exemptio à Choro quibus Prædicatoribus eſt concedenda. 105.n.4
Exemptiones à Choro aſſumere nemo audeat, niſi is cui à Conſtitutione conceſſæ fuerint. 43.8
Superiores noſtri habent facultatem excommunicandi. 5.nu.3
Raro vero, nec ſine conſilio dicto gladio vti debent. ibid.

F

FRuctum aliquem decerpere, aut comedere ex hortis noſtris, etiã tempore recreationis nemini liceat. 246.nu.3

G

GEneralis Præpoſitus regendi habet facultatem noſtram Congregationem iuxta Conſtitutiones à Capitulo generali factas, aut pro tempore faciendas. 324.n 1
Generalis Præpoſitus cæteris diſciplinæ exemplum eſſe debet. 326.n.8
Duas cellas poteſt habere. ibid. Et laicum adminiſtrum. ibid.
Generalis primus rem proponat, primus ſententiam dicat in Capitulo generali. 275.n.17
Generalis ſuffragium eſt ſimplex, ſed in pari voto eſt duplex. 325.n.5
Generalis Præpoſitus Conſultorũ conſilium in quibus caſibus requirere debet. 326.nu.7
Generalis quæ ſolus facere poteſt. 326.nu.6
Finito triennio non ceſſat auctoritas P. Generalis. 325.n.2
Ad omnia alia munera Religionis obeunda erit idoneus, præter ad Generalatum per ſex annos. 325. nu.3
Eius facultas. nu.4. & 5
Generalatum procurans quomodo puniatur. 276.nu.22
Generalis Præpoſitus ex quibus cauſis amoueri poteſt ab officio. 327.n.9
Generalis præteritus vbi ſedere debeat in Capitulo generali. 274. nu.15. & n.12. verſic. Is vero.

H

HOris Canonicis omnes interſint. 43.nu.7
Horæ Canonicæ quomodo erunt à noſtris celebrandæ. 41.nu.3
Horologia noſtri ne habeant. 128. nu.19
Hoſpites noſtri quomodo tractandi. 238.nu.1

Hoſpi.

Hoſpites biduo cibo lautiore recreentur. 239.n.2
Quid eis cauere debent. 239.n.3
In eorum cellā nemo poſt primam diem intret. 239.nu.4
Hoſpites poſt biduum in Chorum cū alijs conueniant, & religionis obſeruantias ſeruent. 239.n.5
Hoſpitio ſeculares ne facile recipiātur. Cum eis hoſpitio receptis neminem Præpoſitus conuerſari facile ſinat, præter ſacerdotem à ſe delectum, qui eos comitetur. 239.nu.7

I

IEiunia, quæ noſtri Eccleſiaſticis ieiunijs addunt. 185 n.2
Ieiuniorum tempore, in ſerotina cænula, quæ ſeruanda ſint. 187.n.9
Imagines Sanctorum magni pretij noſtri ne habeant. 128.n.19
Infirmi diligenter, & beneuolè ſunt curandi. Quotidie, aut alternis diebus ab omnibus viſitentur; Ne tamen multi ſimul. Pijs monitis ſunt roborandi; Vanæ vero confabulationes in eorum cellulis vitandæ. 189.nu.1
Infirmis ſacramenta opportunè ſunt miniſtranda, & ad cæleſtem patriā ſunt diſponendi. 111.n.6
Infirmis, qui in lectulis diurno tempore detinentur ſemel in menſe ſacratiſſimum Domini Corpus deferatur. ibid.
Inſignia familiarum in eccleſijs noſtris, quando, & à quo concedi poſſunt. 57.nu.3
Interpretari ex Conſultorum cōſenſu Conſtitutiones, & leges factas à Capitulo generali poterit P. Generalis, non tamen nouas edere, aut veteres abrogare. 325.n.4.& 5
Itinerarium recitetur ab ijs, qui peregrè proficiſcuntur. 239.nu.6
Iudices cauſarum tempore Capituli generalis, quam auctoritatem habent. 323.n.1
Iuramento adſtringuntur Patres de ſilentio ſeruando ante electionem Vocalium. 284.n.4
Iuramento de ſecreto ſeruando adſtringuntur P. Generalis, & Patres Definitores antequam Definitorium incipiant. 295.n.1

L

LAici ad matutinas preces vnà cū alijs ſurgant, & benedictionē à Superiore in Choro ſimul petant poſt Inuitatorium. 44.n.11
Laici fratres legere, aut ſcribere ne diſcant. 296 n.14
Miſſæ interſint quotidie. ibid.
Quas preces quotidie fundere debeant. ibid.
Latinam linguam qui non callent, ad Logicam, vel Philoſophiam audiendam non admittātur. 232.n.2
Lectione ſacra, menſa communis cōdiatur. 186.n.5
Lectulorum noſtrorū forma. 184.n.3
Capitulum generale noſtræ Congregationis habet auctoritatem nouas condendi leges, & veteres abrogandi. 6.nu.4

Libros

Libros auro, vel ſericis coopertos noſtri ne habeant. 128.n.19
Licentia, & benedictio Superioris requiritur, vt aliqua re vti poſſimus. 126.n.8
Literas, aut munera mittere, vel recipere, nemo poteſt abſque ſui Superioris licentia. 350.n.24
Literas commendatitias ſecum habeat profecturus. 243.n.6
Nec ſine ſocio mittatur. 243.n.7
Literas ad P. Generalem mittere, vel recipere quiſque poteſt abſque licentia. 350.n.25
Alijs vero quando poſſit. 351.n.26
Literas aperire quis nequit, quas poteſt Præpoſitus 350.n.23
Locum profeſſionis, qui ſua culpa amiſerint, ijs ſi pœna poſt aliquot annos remiſſa fuerit, in priſtinum profeſſionis locum reſtitui eſſe ne intelligantur. Vbi autem ſint collocandi habetur. 387.n.2

M

MAgiſtrum Nouitiorum quis eligere, vel recuſare poterit, & qualis eſſe debeat. 194.n.4
Medicorum iuſſa infirmarij, & infirmi exequantur. 190.n.2
Medicus vnicus pro omnibus à Superiore deligatur, neque alius ſine eius licentia adhibeatur. 190.n.5
Menſa communis ſacra lectione condiatur. 186.n.5
Menſæ primæ omnes interſint, exceptis legitimè impeditis, & de licentia Superioris. Nullum ſit diſcrimen inter primam, & ſecundam menſam. 186.n.4
Menſa completa, cum ſilentio lotis manibus in eccleſiam abeant, pro benefactoribus oraturi. 187.n.8
Miſſa ſolemnis diebus feſtis celebretur. 41.n.3
Miſſam quotidie audiant Clerici, & Laici, & Sacerdotes quibus diebus ſacrum non fecerint. 111.n.5
Moniales S. Mariæ de Sapientia ſub noſtro regimine retinemus. 99.n.2
Moniales S. Mariæ de Sapientia viſitandæ ſunt quotannis à Viſitatoribus noſtris. 100.n.3
Mores compoſitos noſtri habeant, & maximè in eccleſiis. 59.n.1
Mortuo Præpoſito intra tres menſes alius ſufficiatur; Interim Vicarius, vel eo abſente ſenior Vocalis regimen ſuſcipiat. 352.n.32
priuata munuſcula à Monialibus ne recipiantur. 100.n.3. *V. Priuata munuſcula.*
Mulierum confeſſiones. Vide Confeſſarij, & Confeſſiones.
Muſica noſtri non vtantur, nec in Miſſis celebrandis, nec in Horis Canonicis recitandis. 43.n.6
Secularibus concedi poterit bis in anno, & in Oratione publica. ibidem.

N

NAturales, & non legitimi ad actiuam tantum vocem intelliguntur admiſſi prima vice. 286.n.8

Negocia gerenda Superiori nota fiāt. 242.n.2
Negocia domeſtica differantur, ad hoc vt in choro intereſſe poſſint noſtri. 43.n.7
Nona poſt menſam dicitur, exceptis diebus ieiunij. 187.n.8
Nouas res inducere Præpoſitis non licet, nec veteres conſuetudines immutare. 350.n.22
Nouitij antequam ad Religionem acceptentur, de quibus ſunt examinandi. 192.n.1
Nouitij de quibus ſunt informandi à Magiſtro Nouitiorum. 194.n.5
Nouitij qui recipiendi non ſunt in Religione. 193.n.3
Nouitij inhabiles ſub ſpecie charitatis non admittantur. 196.n.13
Nouitij Præpoſito diſſentiente recipi non poſſunt a Capitulo Domus. 193.n.2
Nouitius admiſſus, per aliquot dies habitu ſeculari indutus permaneat. 195.n.6
Eius veſtes ſeculares in veſtiario reponantur vſque ad profeſſionem. 195.n 7
Quando in ſuo ordine miniſtrare poſſit ſi ſit in ſacris. 195.n.8
Ad nullum ſacrum ordinem promoueatur, ſed ſola clericali tonſura, ſi eam non habet, erit initiandus. 195.n.9
Si ſit ſacerdos, nullo pacto confeſſionibus audiendis exponatur. 196.n.10
Scientijs audiendis ne admittatur, ſed tantum humanioribus literis ſtudeat. 196.n.11
Nouitij cum profeſſis ne verſentur. 196.n.12
Nouitijs dum bonis ſuis ante profeſſionem renunciant, ne permittant, vt annuos redditus quo ad vixerint Congregationi noſtræ relinquant. 126.n.12
Nouitius ſi erit dimittendus à Religione ante profeſſionem, fieri debet cum Capitulo domus. 349.n.17
Nouitiorum Magiſtrum quis eligere, vel recuſare poterit, & qualis eſſe debeat. 194.n.4

O

OBedientiam non tantum externam, ſed etiam internam præſtare debemus noſtris Superioribus. 125.n.2
Obtemperandum eſt obedientiæ Præfecto non aliter, ac Superiori ipſi. 125.n.4
Officium Diuinum iuxta ritum Breuiarij Romani noſtri Sacerdotes, & Clerici in choro ſtatis Horis recitent. 41.n.1
Officium paruum B. Virginis, & Defunctorum iuxta Rubricas recitetur in choro; & priuatim, quādo non recitatur in choro. 41.n.4
Onera communia qui ſubire non poſſunt, ne eligantur Præpoſiti, nec Viſitatores, nec Conſultores. 296. nu. 6
Onera perpetua nullo modo recipiantur. 58.n.5
Oratio mentalis per dimidiam horam bis

bis in die habeatur in choro, vel in eccleſia. 108.n.1
Orationes recitandæ quoties Patres conueniunt pro qualibet re delibe- randa. 270.n.6
pro benefactoribus Orandum eſt poſt cœnam in eccleſia. 108.n.3
Orationes recitandæ durante Capitu- lo Generali. 270.n.5
Ordinandi licentiam impartiri non tenetur ſtatim P. Generalis adue- niente tempore à Conſtitutionibus præſcripto. 60.n.5
Ordines minores quibus, quando, & à quibus concedi poterunt. 59.n.3
Ordines ſacri cum licentia P. Gene- ralis conferantur. 60.n.4
Quando conferri poterunt. ibidem.
V. Ad Subdiaconatum.
Ordinarium, & Confeſſarium S. Ma- riæ de Sapientia quis eligere, & reficere poterit. 99 nu.2. *Verſic. P. Generalis.*

P

PAupertas priuatim enitеat. 128. nu.18
Pauperibus duos aureos in menſem largiri poterit Præpoſitus, plus etiã cum aſſenſu Vocalium. 149.n.19
Præpoſiti, & Viſitatores creantur per annum; Confirmari tamẽ poſſunt à P. Generali, & Conſultoribus vſque ad annum tertium. 296.n.3
Præpoſiti, & Viſitatores à quibus creantur. 296.n.9
Præpoſitus non poteſt eſſe quis vltra tres annos in eadem domo, vel Ci- uitate. 296.n.4
Præpoſito abſente qui eius vices gerit ea faciat, quæ differri non poterũt, & à ſua voluntate non ſenſerit eſſe alienum. 348.n.13
Præpoſito abſente, & Vicario, primus Vocalis Præpoſiti iura, & quæ ad regimen ſpectant exercet, etiam ſi actiuam tantum vocem habeat. 346.n.4. & 6. & 12
Præpoſitus quandoque omnes vna cõ- uocet, & de quotidianis erratis verba faciat. Vocales conſulat in rebus grauibus. Quæ autem ſint, habentur. 349.n.16
Præpoſitus in Choro ſit aſſiduus, & ſubditis forma diſciplinæ. 345.n.1
Præpoſitus ne ad prædicãdum peregre eat niſi in Quadrageſima, ex graui cauſa, & de P. Generalis licentia. 346.n.2
Præpoſitus rationem reddere non tene- tur Vocalibus accepti & expenſi; libros tamen offerre tenetur tẽpore Viſitationis, & Capituli generalis. 352.n.30
Præpoſitus etiam expleto anno in ſuo munere maneat, donec ſucceſſor Præpoſituram ineat. 352.n.31
Præſes, & Secretarius per ſecreta ſuf- fragia eligantur. 271.n.9
Præſes quis eligi non poteſt. 271.n.10
Præſide creato quid agi debeat in Ca- pitulo generali. 272.n.12
Præcedentia quibus datur ex Conſti- tutionibus. 387.n.1
Prima tonſura initiare licebit Noui- tios. 59.n.2
Profeſſio quotidie eſt iterãda. 124.n.1

Proficiſci in aliam Ciuitatem nemo poteſt abſque P. Generalis licentia. 242.n.4

Quid ſi neceſſitas vrgeat. 243.n.5

Proprium nemo neque poſsideat, neque nominet. 125.n.6

Pſalmi Pœnitentiales, & Graduales iuxta Rubricas recitētur in choro. 42.n.5

R

Recreationes, quæ concedēdæ ſunt fratribus noſtris. 244.n.1

Quomodo ſe gerere debeant noſtri dū recreantur. 246.n.4

Redditus in communi poſsidere non prohibemur, voluntariè tamen ab illis abſtinemus. 126.n.11

annui Redditus quo ad vixerint noſtri à quouis ne procurent, vt eis relinquantur. 126.n.13

Refectorij fores finita ſecunda ſerotina cœnula, claudantur. 187.n.10

Reliquiaria (vt vocant) aurea, aut argentea ne noſtri habeant. 128. nu.19

S

Sacerdotes quotidie celebrent, & ſæpius in hebdomada confiteantur. 110.n.2

Sacerdotes Vocalibus loco Superiores, etiam ipſi Patres nominentur, & ab inferioribus Vocalibus benedictionem ne petant; In cæteris ſubduntur, ſicut & alij. 348.n.15

Sacella cum inſignibus antea probatis concedi poterunt ſecularibus. 58. nu.4

Sanctorum alicuius Ciuitatis officiū, quando debeant noſtri celebrare. 41.n.2

Scribere quando poſſunt noſtri Viſitatoribus, vel Patribus, qui ad Capitulum generale ſunt ituri. 250. nu.11

Scripta omnia contra quoſcūque acta, completo officio P. Generali dentur, & in Generali Capitulo decernatur, quænam ſeruanda ſint, & quæ comburenda. 276.n.23

Secretarij Capituli generalis officiū. 271.n.11

Secretè ſunt tenenda, quæ in Capitulis generalibus, vel particularibus fiunt, alias grauiter puniuntur. 276.n.21

Sedere poſſunt noſtri in choro quando recitantur Pſalmi Graduales, Lectiones ad Matutinas preces, Martyrologium ad Primam, & Officium defunctorum. 42.n.5

Seminaria nulli noſtrum regere permittatur. 100. nu. 3. *V. Nulli noſtrum.*

Senes, & imbecilles mitius ſunt tractandi. 190.n.3

Sententiam ſuam in ſcriptis nemo ponat abſque Præpoſiti licentia. 251.n.28

Silentium cum quibus perſonis ſeruandum eſt. 237.n.7

Silentium, quando ſeruari debet. 236.n.1

In quibus locis. 236.n.2

Silentium ſeruetur dum poſt cœnam lauantur

lauantur manus, & in eccleſiam abeunt. 108.n.3
Studijs certæ Domus deſignentur. 232.n.4
Studijs quos viderint eſſe aptos curent Præpoſiti, vt per Lectores erudiantur. 232.n.1
Studentes Magiſtro abſente quid facere debent. 233.n.9
Otio aut ſomno exemptionem ne conſument. 233.n.10
Orationem ne negligant. 233.n.11
Studentes ſingulis hebdomadis diſputationes habeant. 233.n.6
Iis libri proficui aſſignentur à Lectore, & Præpoſito, & cæteri auferantur. 233.n.7
Studentibus exemptio à choro quando concedi debet. 233.n.8
Studijs. Vide Latinam linguam. Tempus ſtudijs.
Superiores noſtri habent auctoritatem obligandi nos ad culpam etiam mortalem. 5.n.2
Superiores noſtri ne temerè præcipiant. ibidem.
Suppellex ſacra munde curetur. Ne alienis commodetur. In ea ne apponantur inſignia familiarum. 57.n.2

T

Tabulæ nuceæ noſtris prohibitæ ſunt. 128.n.10
Tempus ſtudijs deſtinatum. 232.n.5
Confeſſarij ne ſe immiſceant ad teſtamenta facienda, ad eleemoſynas erogandas, & ad res temporales. 71.n.1

V

Valetudinarij, qui cœli mutatione indigere videntur, P. Generali notum faciant, & eius reſponſo acquieſcant. 190.n.4
Veſtes ſeruentur in veſtiario, & vendæ diſtribuātur Præpoſiti arbitrio. 184.n.4
Veſtes omnium ſint eiuſdem pretij, modi, & qualitatis. 184.n.2
Veſtium Clericorum, & Laicorum forma. 183.n.1
Vicarij ſinguli in ſingulis domibus eligantur. 347.nu.9
Vicarij deſignatio ſpectat ad Præpoſitum, & electio ſpectat ad P. Generalem. Quomodo autem ſit facienda. 347.n.10
Vicarius ad Præpoſiti nutum eſt amouibilis. Abſente Præpoſito eius vices gerit. Ipſo præſente ad regimen ſe ingerere non audeat. Si abeſſe contingat, quid agendum. Ad generale Capitulum ne accedat, niſi ab alijs Vocalibus electus fuerit. 347.n.11. & 12
Vicarij S. Mariæ de Toro electio, ſpectat ad P. Generalem. 348.n.12
Vicepræpoſiti S. Syluestri ceſſat auctoritas per obitum P. Generalis, vel eius muneris abdicationem. 310.n.10
Viſitet P. Generalis triennio ſemel totam Congregationem, ſi ei videbitur. 342.n.15
Viſitatores quis eligere poteſt. 339.nu.1

Viſitatores eſſe non poſſunt Præpoſiti, nec Conſultores. 296.n.7.& 339.nu.3
Viſitationem quando facere debent. 339.n.4
Viſitatores qua forma munus ſuum obeant. 340.n.8. & ſeq.
Viſitatores parem auctoritatem habẽt, ſed in aliquibus rebus præcedit ſenior. 339.n.5
Viſitator eſſe non poteſt quis in eadem Prouincia vltra tres annos, niſi tribus alijs elapſis. 296.n.8
Viſitator aliquis ſi ſit conſanguineus in primo, vel ſecundo gradu Præpoſiti domus, quam viſitant, vel alter Viſitatorum de altero aliquid agnoſcere oporteat, ſocium ſibi adiungat ex Vocalibus eiuſdem domus. 339.n.6
Viſitatores leuiora per ſeipſos corrigant. 341.n.13
Viſitatores confeſſiones cuiuſque noſtrum audire poſſunt. 341.n.9
Viſitatores munera non recipiant. 341.n.11
Viſitatores in diuerſis domibus Prouinciæ habitent. 339.n.2
Viſitatores communi victu poſt biduũ vtantur. 341.n.10
Siquis noſtrum ad alterum tantummodo ex Viſitatoribus quidpiam deferre voluerit, is ſua manu ſubſcribat. 339.n.7
Quæ notatu digna ſunt manu vtriuſque Viſitatoris ſubſcripta ſint. 342.n.14
Viſitatorum impenſas itinerum ſoluant domus iuxta præſcriptum. 341.n.12
Viſitationis tempore P. Generalis cũ conſilio Viſitatorum poterit expedire negocia, quæ celeritate indigent. 308.n.5
Viſitatores extraordinarij non adeunt Capitulum generale. 342.n.16
Viſitentur quandoque cellæ à Præpoſito. 128.n.22
Vocalium electio ſpectat ad Capitulũ generale. 284.n.1
Et fit per ſecreta ſuffragia. 285.nu.5
Vocalium electio in Capitulo generali fiat, antequam P. Generalis eligatur. 272.n.13
Vocalium eligendorum merita referãt ambo Viſitatores, Præpoſitus, Vocalis domus, & cæteri ſi qui norũt. 285.n.5
Vocalis vt poſſit quis eligi, quæ requirantur. 284.n.2
Vocales eligi non poſſunt, qui communia Congregationis onera ferre nequeunt; & qui Confeſſarij non ſunt. 285.n.7
Vocalem non idoneum eligens peccat, & ſimiliter ſi idoneum prætermittit. 284.n.3
Vocales duo ſaltem aſſignentur à P. Generali in vnaquaque domo, imò plures. 347.n.7
Vocales conuocati cum aliquid tractant, id fiat quod maior pars Vocalium cenſuerit eſſe faciendum. 350.n.20
Vocales coniunctos inter ſe, primo, vel ſecundo conſanguinitatis gradu, ſi plures adeſſe contingat, duo tantum

tantum ex eis, qui antiquiores Vocales fuerint ſuffragium ferant, tum in Capitulis generalibus, tum in ſingulis domibus. 348.n.14

Vocales in quacunque domo adſint, ſi in ea aſsignati non fuerint, Vocalia iura non exercent, niſi omnes & ſinguli Vocales loci cõſenſerint. 347.n.8

Vocales de nouo electi, licet ius habeant conueniendi cum alijs in Capitulo domus, in qua ſunt aſſignati, ſuffragium tamen, atque ſententiam ſuam dicere non poſſunt, niſi prius à Præpoſito, & Vocalibus facultas ei data ſit, quæ differatur in quartum à dimiſsione Capituli Generalis menſem. 286.n.9

Votalis voce tantum actiua, quæ facere poteſt, & quæ non. 347. nu. 6

Vocalis qui compertus fuerit Capitulo generali non poſſe adeſſe, à maiori parte Capituli admitti non poterit, niſi omnes & ſinguli conſentiant. 271.n.8

Vocem in Capitulo nemo habet quãuis profeſſus ſit, vel ſacris initiatus, niſi ad id à Capitulo generali ſit admiſſus:. 346.n.3

Vocales qui non rectè ſe gerunt in Capitulis, quomodo puniantur. 250.n.21

Voluntas Superiorum debet eſſe regula noſtrarum actionum. 125. num. 3

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM COMMENTARIORVM IN CONSTITVTIONES CLERICORVM REGVLARIVM,

Ordine Alphabetico diſpoſitus.

A

ABſolutio Generalis à cenſuris dari debet non ſolum ante electionem Generalis, ſed etiam Præpoſitorum. fol. 279. lit. b

Aduenæ cui ſubdūtur: & ſi aliquid eſt eis donatū cui domus acquirant? 240. lit. b. §. 1

Quid obſeruare debeant Patres, *& Fratres noſtri aduenæ, qui de domo in qua aßignati ſunt, in aliam ſe transferunt, ſiue negociationis, ſiue itineris cauſa. 396. lit. a*

Alba. vide Schedula. vide Numerus.

Alimenta. vide Nouitius.

Ambitioſus. vide Electio.

Quænam impediant ſalutem animarum. 106. lit. e

Annus probationis Nouitiorum an poſſit ex iuſta cauſa prorogari? 141. lit. c. §. 11

Annus Præpoſituræ intelligitur de anno Eccleſiaſtico, & non ſolari. 315. lit. c. §. 1

profeſsionis Annus, & ætatis ad profitendum, an debeat eſſe completus de momento ad momentum? 158. lit. c. §. 6

Annus Nouitiatus an requiratur vt ſit continuus ad hoc vt validè quis profiteatur? 139. lit. c. §. 8

in Anno Biſſexto an duplex dies pro vna debeat computari, ad effectum implendi annum probationis? 158. lit. c. §. 7

Apoſtatæ, & a Religione *eiecti cui acquirant? 394. lit. d. §. 12*

ſemel Approbatus in vno officio, ſeu munere non poteſt in eodem, vel in ſimili reprobari. 68. lit. b. §. 4

In recitatione officij requiritur attentio. 51. lit. c

B

BEneficium renunciare. vide Nouitius.

Biſſextus. vide Annus.

Capi.

C

Capitulum generale an poſſit nouas leges ſtatuere obligantes nos ad culpam mortalem. 16. lit.a §. 17
Vtrum Capitulũ generale noſtræ Religionis poſſit edere decretum irritans profeſſionem eius, qui occultans impedimentum aliquod ex his quæ à noſtris Conſtitutionibus præſcribuntur, Religionem adijt, & in ea profeſſionem emiſit. 211. lit.d.§.1
Capitulum generale non poteſt diſpenſare cum illegitimo, vt poſſit eligi in Generalem. 291 lit.e.§.1
Cum vocandi ſunt Vocales ad Capitulum, monendi ſunt antequam de domo exeant, ſi ea die congregandum ſit Capitulum. 357.lit.b.§.1
Quid ſi non moneantur, Vtrum Capitulum ſit nullum? 358.lit.b.§.2
Quando aliqua Capitulariter tractãda ſunt, & conuocatur Capitulum ad ſonum campanulæ, Quæritur ſi aliquis Vocalis eſt in domo infirmus, qui non poteſt adire locum Capituli, Vtrum teneantur Patres Capituli ire ad cubiculũ infirmi, & ibi tractare ea, quæ capitulariter ſunt tractanda? 357.lit.b
Capitulum. Vide Nouitius.
Carcer quid ſit? 356.lit.b.§.2
Præpoſitus localis quãdo poſſit ſacerdotem aliquem carceribus mancipare? 14.lit.a.§.11
Ad quem pertineat decernere, an cauſa expedienda ſit regulariter, vel iudicialiter. 15.lit.a.§.16
Clerici profeſſi qui ſunt ſub Magiſtro, an confiteri poſſint alijs Confeſſarijs noſtræ Religionis. 116. lit.e.§.6
An Religioſus profeſſus, & pro Clerico admiſſus, poſſit Superioris auctoritate ad ſtatum Conuerſorum, ſeu Laicorum transferri? 216.lit.l
Præpoſitus non poteſt cogere ſuos Clericos, & Laicos, vt ſacramentaliter ſacroſanctam Eucharistiam ſumant diebus non deſignatis à noſtris Conſtitutionibus. 119.lit.e
Præpoſitus non poteſt prohibere Communionem ſacramentalem noſtris Clericis, & Laicis, diebus ad id non deſignatis. 119.lit.e.§.1
Confeſſarius monaſterij Sapientiæ non ſolum non poteſt confirmari in dicto officio Confeſſarij vltra triennium, ſed nec etiam expleto triennio, poteſt immediatè eligi in officium Ordinarij eiuſdem monaſterij; & è contra. 102.lit.e
Propoſito aliquo ad Confeſſiones audiendas in Capitulo domus, & facto ſcrutinio viua voce, non poteſt Præpoſitus ſuſpendere ſcrutinium pro ſecreta ſuffragia. 81.lit.e.§.1
Sacerdos admiſſus ad Confeſſiones audiendas à P. Generali, ſi per annum non ſit approbatus ab Epiſcopo ordinario, Præpoſitus domus poteſt, & debet denegare ei dimiſſoriam, abſque noua approbatione Capituli domus, & P. Generalis. 82.lit.e.§.2.

Sacerdos ex noſtris non admiſſus à P. Generali ad Confeſſiones audiendas, non poteſt eligi ab Epiſcopo in ſuum Confeſſarium. 75.lit.c

Præpoſiti locales noſtræ Religionis, Vtrum poſſint eligere in ſuum Cõfeſſarium ſacerdotem noſtræ Religionis non admiſſum à P.Generali ad Confeſsiones audiendas? 77.lit.e.§.1. ſed hic dubitari.

Sacerdos non admiſſus ad Confeſsiones audiendas à P. Generali, nec ab Epiſcopo loci, ſi confeſsiones audiat & dicat ſe abſoluiſſe pœnitẽtem à venialibus peccatis tantum, non tenetur Superior illi credere, & poterit illum punire. 83.lit.e.§.3

Ad licentiam P. Generalis pro Confeſsionibus audiendis, debet præcedere approbatio Capituli domus. 80.lit.e

Præpoſitus localis an posſit deputare in Confeſſarium ſuæ domus, ſacerdotem noſtræ Religionis admiſſum ad confesſiones audiendas, qui non ſit aſsignatus in ſua domo. 117.lit.c.§.7

Semel admiſſus in vno loco à P.Generali ad confeſsiones audiendas, non debet illum ſuſpendere abſque legitima cauſa. 84.lit.e.§.4

Si Præpoſitus prohiberet alicui Confeſſario ſuo ſubdito, ne audiret cõfeſsiones alicuius, & non obſtante prohibitione audiret: Cõfeſsio eſſet valida: ſed Confeſſarius puniri poſſet à ſuo Superiore. 86.lit.e.§.6

P. Generalis an poſsit ſuos ſubditos alias approbatos ad Confeſsiones audiendas, ſuſpendere ob occultum crimen extraiudicialiter ſibi notũ. 87.lit.e.§.7

Sacerdotes noſtri quando admitti poſſint ad Confeſsiones audiendas. 87.lit f. & 88.§.1

Admiſſo ad Confesſiones audiendas à Capitulo domus, & à P. Generali, non poteſt Præpoſitus localis abſque iuſta cauſa, manifeſtanda dicto P. Generali denegare dimiſſoriam, id eſt facultatem præſentandi ſe Epiſcopo loci. 90.lit.b.§.1

Confeſsiones factæ ſacerdoti Regulari, qui confeſsiones audit abſque licentia ſui Superioris, ſed cum licentia, & approbatione Epiſcopi, dubium eſt an ſint validæ nec ne. Poteſt tamen puniri dictus ſacerdos à ſuo Superiore. 85.lit.e.§.5

Admiſſus ad Confeſsiones audiendas virorum à Superioribus noſtræ Religionis, & ab Epiſcopo loci ſimpliciter admiſſus: ſi audiat confeſſiones mulierum, validè procedit, ſed poteſt puniri à noſtris Superioribus. 91.lit.i

Vtrum committat peccatum. 92.lit.i.§.1

Viſitatores, Conſultores, Vicepræpoſitus S. Sylueſtri, Vicarÿ, Vocales qui veniunt ad Capitulũ generale, Vtrum Confiteri poſſint quibus voluerint ex Confeſſarÿs noſtræ Religionis, vel comprehendantur in Decreto? 115.lit.e.§.5

Confeſsiones. Vide Nouitiorum Cõfeſsiones.

Fratres

Fratres aduenæ quando ad aliquam domum veniūt ſimul cum ſuo Superiore, Vtrum Confiteri teneātur ſuo Superiori, vel abſque licentia ſui Superioris confiteri poſſint Cōfeſſarijs deputatis in illa domo, vbi reperiuntur? 115.lit.c.§.4

Confiteri omittens aliquis ex noſtra Religione in diebus deſignatis à noſtris Conſtitutionibus, poteſt puniri à Superiore, Dato etiam quòd venialia tantum peccata habeat. 112.lit.b

Clerici profeſſi, qui ſunt ſub Magiſtro, an confiteri poſſint alijs Confeſſarijs noſtræ Religionis. 116.lit.c.§.6

Confiteri non poſſunt noſtri extero Sacerdoti, nec noſtris alterius domus. 113.lit.c

Quid dicēdum eſt de Prælatis noſtræ Congregationis. 113.lit.c.§.1

Ex præſumpta voluntate Superioris, an poſſint noſtri Confiteri Confeſſarijs noſtræ Religionis alterius domus. 115.lit.c.§.3

Vtrum P. Generalis, & Conſultores poſſint non Confirmare Præpoſitos, & Viſitatores pro ſua voluntate, ſi nulla ſit culpa ex parte Præpoſitorum, & Viſitatorum? 303.lit.b.§.1

Præpoſiti locales Vtrum poßint licentiam tribuere ſibi ſubditis vt Confiteri poßint Confeſſario extra noſtram Religionē abſque neceßitate. 114.lit.c.§.2

Coniunctus in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis non debet adeſſe in ſcrutinio ſui conſanguinei. 290.lit.d

Poteſt tamen ferre ſuffragium in eius fauorem. 290.lit.d.§.1

Conſanguinei in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, quando non poſſunt ſuccedere ſibi inuicem in officijs? 305.lit.d. & §.1

Quando Superiores debent aliquid facere cum Conſilio, & non faciunt, quomodo peccent? 360.lit.k.§.2

Vtrum actus ſit validus. 361.lit.k.§.3

Conſtitutiones noſtras nō obligare nos ad culpam, quomodo intelligatur. 8.lit.a

Quando ſit peccatum veniale tranſgreßio noſtrarum Conſtitutionum, & quando mortale. 9.lit.a.§.1.& 2

Noſtræ Conſtitutiones an abrogari poßint? 39.lit.g.§.7

explicatur Conſtitutio Gregorij XV. contra Confeſſarios ſollicitantes ad venerea &c. pœnitentes. 93.lit.m

Conſultores in quibus caſibus habeāt votum deciſiuum, & in quibus conſultiuum. 315.lit.d

Conſultores vtrum ſubdantur iuriſdictioni Vicepræpoſiti S. Sylueſtri? 392.lit.d.§.5

Conſultores in foro conſcientiæ vtrū habeant aliquam facultatē quando P. Generalis eſt abſens ab Vrbe? 316.lit.e.§.1

Conſultores quam auctoritatē habent dum P. Generalis eſt abſens ab Vrbe. 316.lit.e

Conſultores quo loco ſedere debeant. 315.

315.lit.b. & 391.lit.d.§.2.
Conſultor cui domui acquirat quod ei donatum eſt, quando extra Romam reperitur? 321.lit.g.§.6
quando Conſultor extra Romam reperitur in aliqua ex noſtris domibus, Vtrum poſſit abſque licentia Superioris illius domus aliquid donare? (loquor in ea quantitate qua non ſit prohibita) dum in illo loco non adeſt P. Generalis. 322.lit.g.§.7
Intra quod temporis ſpatium Conſultores debeant facere electionem Cõſultoris pro Capitulo generali? 261.lit.m
In caſu abſentiæ, vel infirmitatis ad longum tempus, vtrum licitum ſit eligere alium Conſultorem, ipſo conſentiente & renunciante? 319. lit.f
Conſultores quando incipiant habere locum Conſultorum? Et quando finiant officiũ? 392.lit.d.§.6.& 7
Conſultores vtrum debeãt benedictionem petere à Viceprapoſito S. Sylueſtri? 391.lit.d.§.4
Si vltimus Conſultor eſſet Viceprapoſitus S. Sylueſtri, in quo loco ſedere deberet in conſultatione, & dare votum ſuum? 391.lit.d.§.3
Conſultor poteſt eligi in Præſidem Capituli generalis. 278.lit.e
Si aliquis Conſultor extra Vrbem, & in aliqua domo noſtra Religionis delictum committeret, vtrum Præpoſitus illius domus poſſet illum punire? 312.lit.a
Facultas Conſultorum Clericorũ Regularium. 399.lit.c
Tria dubia de electione Conſultoris pro Capitulo generali. 260.lit.l
Conſultor. Vide Electio.
Quando dicatur quis peccare ex contemptu. 27.lit.b
Quiſnam ſit Contritionis effectus. 109.lit.b

D

Decretum Clem. VIII. quo ad Regulares ordinandos, cum declaratione Congregationis. 63. lit.a.§.4
Decretum Concil. Trid. ſeſſ.25.c.16. de Regularibus, vtrum intelligatur de omnibus Nouitijs, an de ſolis minoribus ſexdecim annis? 156.lit.q.§.3
contrahens Debita ſine licentia ſui Superioris an puniri poſſit vt proprietarius? 15 1.lit.e.§.2
Et qua pœna puniatur in noſtra Religione? ibid.
Definitores vtrum poſſint pœnas imponere, & alia facere, quæ non pertinent ad electionem? 298.lit.a
Officium Defunctorum pro fratribus defunctis, non tenentur noſtri recitare extra chorum. 121.lit.a
Sacrificia, & orationes quæ recitari debent pro Defunctis fratribus, quomodo recitari debeant pro illis, qui moriũtur in domo Tuſculana, & Vici aquenſis. 122.lit.b.§.1
Delictũ commiſſum per menſem ante viſitationẽ quomodo intelligatur. 15.lit.a.§.14
Dies pro electione Vocalis quando incipiat,

cipiat, & quando compleatur. 258.lit.i.§.1. & 4

Dies. Vide Terminus.

Literæ commendatitiæ ad Ordines ſuſcipiendos dari debent Regularibus à Prælatis Regularibus, non autẽ ab Epiſcopo Diœceſano. 65.lit.a. §.5

Diſculi, & inepti ad ſtudia non ſunt admittendi. 234.lit.b

Diſpenſans ſine iuſta cauſa an peccet. 37.lit.g.§.3

Præpoſiti Domorum an poſſint Conſtitutionibus diſpenſare. 36.lit.g. §.2

Noſtris Conſtitutionibus quis poſſit Diſpenſare. 33.lit.g

Vtrum Præpoſitus Generalis ex aliqua iuſta cauſa poſſit Diſpenſare cum Nouitio Clerico, vt poſſit indui habitu Religionis, non completis quatuor mẽſibus ſui hoſpitij? 217.lit.m

Diſpenſans in ſuis præceptis ſine iuſta cauſſa an peccet. 37.lit.g.§.4

Superiores an poſſint Diſpenſare cum ſeipſis in Conſtitutionibus, & Decretis? 38 lit.g.§.5

Diſpenſare. Vide Capitulum generale.

Diſtribuere. Vide Eleemoſynæ.

Dubia quæ occurrunt inter recitationẽ Officij, Præpoſitus poteſt determinare. 55.lit.k

E

Electiones Præpoſitorum & cet. quando fieri debeant à P. Generali, & Conſultoribus. 315. lit.c

Electio per ambitionem procurata annullari poteſt. 280.lit.l.§.2

in Electione Præpoſitorum, & Viſitatorum, vtrum requiratur vt omnes Conſultores interueniant? 299. lit.b

Si occurreret caſus eligendi Conſultorem, an Electores poſſent eligere Præpoſitum S. Andreæ de Vrbe, vel Vicepræpoſitum S. Syluestri in Cõſultorem? 320.lit.g.§.2

Qui per tres annos continuos fuit Præpoſitus alicuius domus, Vtrum in eadem domo per tres alios annos immediatè ſequentes poſſit eligi in Vicarium? 304.lit.c.§.2

Si aliquis Præpoſitus migraret è vita infra tres menſes ante Capitulum Generale, Vtrum P. Generalis, & Conſultores teneantur eligere alium Præpoſitum? 321.lit. g.§.3

Et quid ſi eſſent diſcordes? ibid lit. g.§.4. & 5

Si occurreret caſus eligendi Conſultorem, & Vicepræpoſitus S. Syluestri eſſet mortuus, Vtrum P. Generalis poſſet eligere Vicepræpoſitum ante electionem Conſultoris? 320.lit. g.§.1

Deciduntur tres difficultates circa electionem Vocalis pro Capitulo generali. 266.lit.p.§.2.3. & 4

Præpoſitus qua hora debeat Vocales congregare pro Electione Vocalis pro Capitulo generali. 259.lit.i. §.3

Si omnes Vocales domus (vno excepto) ſe ſubtrahant ab electione Vocalis pro Capitulo generali, vtrũ ille vnus, qui non ſe ſubtraxit, poßit venire ad Capitulum generale. 254.*lit.e*

Qui per duos annos continuos fuit Præpoſitus in vna domo, & poſtea vacauit per vnum annum, vtrum tranſacto illo anno poßit eligi in Præpoſitum eiuſdẽ domus? 304.*lit.c.§.*1

De materia Electionis qui tractant exactè. 253.*lit.d*

Si inter Vocales domus oriatur aliqua difficultas iu Electione Vocalis pro Capitulo generali, Vtrum Præpoſitus domus, vel Viſitator ſi adeſſet, poſſent illam definire? Vel punire culpabilem in illa actione? 254.*lit.f*

Verbum immiſceat *in electione quomodo intelligatur?* 254.*lit.f.§.*1

Et quos comprehendat. 255.*lit.f.§.*2

in Electione Vocalis pro Capitulo generali ſunt aliqua Decreta videnda. 258.*lit.g*

in Electione Vocalis pro Capitulo generali multa peccata grauia parũ cognita committi poſſunt. 255.*lit.f.§.*4

Electio per ſortes fieri non poteſt. 258.*lit.b*

vexans Electores ex eo quòd noluerũt eligere illum, pro quo vexans rogabat, eſt excommunicatus. 255.*lit.f.§.*3

Qui Vocales intereſſe poſſunt in Capitulo domus pro Electione Vocalis pro Capitulo generali. 258. *lit.b §.*1

Electio Vocalis pro Capitulo generali, nunc certo ſequitur. 260.*lit.k*

Electio Vocalis pro Capitulo generali fieri debet infra duos dies. 258.*lit.i*

Tria dubia de Electione Conſultoris pro Capitulo generali deciduntur. 260. *lit.l*

Electio. Vide Conſultor.

An Religioſus ex pecunijs quas aliquis ſibi tradidit diſtribuendas inter pauperes, & pijs operibus, poßit aliquid cum licentia Superioris ſibimet tanquam pauperi applicare? 180.*lit.k*

An poßit applicare ſuo monaſterio? 181.*lit.k.§.*1

An poßit applicare conſanguineis pauperibus. 181.*lit.k.§.*2

Quid ſi ſunt debita incerta, data pro exoneranda conſcientia? 181. *lit.k.§.*3

Conſilium auctoris in hac re. 181. *lit.k.§.*4

Religioſus an delinquat peccato furti, & contra votum paupertatis ſi Eleemoſynam à ſe pauperibus, aut alicui determinato pauperi petitã, applicat ſibi, aut alij pauperi. 181. *lit.k.§.*5

Religioſus ſi abſque Superioris licentia acceptat pecunias in pauperes diſtribuendas, & diſtribuat, an ſit reus voti paupertatis. 182.*lit.k.§.*6

Eleemoſynæ. Vide Nouitius.

De fratribus è domo egredientibus multa Decreta de nouo ſunt ſtatuta. 243.*lit.a*

Epi-

Epikeia quando uti poſſint noſtri Prælati. 36.lit.g.§.1
Epiſcopus confirmatus nondum tamē conſecratus, an poſſit licentiam concedere Nouitio, qui voluerit renunciare ſuis bonis ante profeſſionem? 172.lit.g.§.25
Vtrum Decretum illorum qui nominati ſunt ad Epiſcopalem dignitatem comprehendat P. Generalem? 372.lit.t.§.2
Vtrum comprehendat Vocales? 372. lit.t.§.3
Religioſus ad Epiſcopalem dignitatē aſſumptus, an gaudeat priuilegijs ſuæ Religionis? 373.lit.t.§.4
Religioſus ad Epiſcopalem dignitatē aſſumptus, ſi poſtea Epiſcopatum deponat, an compellatur redire ad Religionem? 374.lit.t.§.5
Archiepiſcopus conſecratus qui nondum pallium accepit, an poſſit licentiam concedere Nouitio, qui voluerit renunciare ſuis bonis ante profeſſionem? 172.lit.g.§.26
Quid de Capitulo Sede vacante? 173.lit.g.§.26
Quid de Prælatis qui habent iuriſdictionem Epiſcopalem? 173.lit. g.§.27
Quid de Vicario Capituli ſede vacante? 173.lit.g.§.28
An hæc licentia poſſit delegari? 173.lit.g.§ 29
An Prælati Regulares poſſint dictam facultatem concedere monialibus ſibi ſubiectis? 174.lit.g.§.30
An dicta licentia debeat eſſe in ſcriptis? 174.lit.g.§.31
An dicta licentia debeat eſſe obtenta? 174.lit.g.§.32
An dicta licentia præcedere debeat renunciationem? 174.lit.g.§.33
Epiſcopus. Vide Præpoſitus.
Epiſcopus. Vide Teſtamentum.
de Examine Confeſſariorum tam pro Vocalatu, quàm pro confeſſionibus audiēdis deciduntur aliqua dubia. 292.lit f.§.1
Studentes Examinati, & non approbati an poſſint in aliquo caſu iterum examinari? 235.lit.c.§.1
electio Examinatorum pro admittendis ad confeſſiones audiendas non poteſt fieri à ſolo Præpoſito, abſque Capitulo domus. 89.lit.g

F

Fructus. Vide Renunciatio.

G

Generalis an poſſit eximere ſubditum ab obedientia ſui Prælati? 149.lit.d.§.6
P. Generalis quam facultatem habeat. 329 lit.b. & 401.lit.d
P. Generalis an poſſit ſuos ſubditos aliàs approbatos ad confeſſiones audiendas, ſuſpendere ob occultum crimen extraiudicialiter ſibi notū. 87.lit.e.§.7
Tempus Generalatus conſideratur à Conſtitutione tanquam vacuum, ac ſi nullum officium exercuiſſet. 330.lit.d.§.1

Si extra Vrbem eſſet P. Generalis cũ vno Conſultore, Vtrum in negocijs agendis requiratur, vt omnes tres Conſultores concurrant in eodem voto? 322.lit.g.§.8

Completo ſexennio officiorum poteſt aliquis eligi in Præpoſitum Generalem, licet non in alijs officijs. 329.lit.d

Suffragium P. Generalis quando eſt duplex. 332.lit.f

Vtrum P. Generalis propria auctoritate Nouitium à Religione dimittere poſsit? 361.lit.l.§.1

P. Generalis non poteſt contra aliquẽ procedere pro culpis intellectis in Definitorio. 299 lit a.§.1

P. Generalis vtrum propria auctoritate poſſit conſtituere Vicarium Generalem cum plena poteſtate? 316.lit.c.§.2

P. Generalis finito triennio confirmari amplius non poteſt per aliud triennium. 329.lit.e

Vtrum P. Generalis in caſibus, in quibus Conſultores habent votum cõſultiuum tantum, teneatur illud ſequi? 337.lit.l

Generale. Vide Vocalis.

Generalis. Vide Nouitius.

H

HErmaphroditi profeßio an ſit valida? 142.lit.c.§.15

Vtrum noſtri teneãtur recitare Horas canonicas in choro? 47.lit.b

Quibus applicandæ ſint Horæ canonicæ quæ à noſtris recitantur, ſiue in choro, ſiue priuatim. 49.lit.b.§.6

Nouitij non profeßi non tenentur recitare Horas canonicas, nec in choro, nec priuatim. 49.lit.b.§.5

In recitatione Officij requiritur attentio. 51.lit.e

Noſtri profeßi non recitantes Horas canonicas in choro, tenentur priuatim illas recitare. 48.lit.b.§.4

Religioſus profeſſus noſtræ Congregationis, qui ſine iuſta cauſa omittit recitare Horas canonicas in choro, quamuis priuatim illas recites, peccat quandoque mortaliter, & quandoque veniàliter. 48.lit.b.§.3

Prælati mortaliter peccant, ſi ex ipſorum negligentia vna die omittatur in choro cantus omnium Horarum canonicarum; Immo etiam vnius ſolius Horæ. 47.lit.b.§.1

Religioſus deſtinatus ad chorum ſi iuſta aliqua de cauſa Superioris auctoritate ad conuerſorum ordinem transferatur, an ſit liber à Diuino officio perſoluendo? 51.lit.b.§.8

Siquis teneatur ex præcepto Horas canonicas recitare, & ſtatuat expreſsè, per illud opus impletum ſe nolle præcepto ſatisfacere, an verè nihilominus ſatisfecerit? 50.lit.b.§.7

Hoſpites noſtri an comprehendantur ſub nomine Nouitiorum. 63.lit.a.§.3

Hoſpes. Vide Nouitius.

Inter-

I

INterpretatio Conſtitutionum fieri poteſt etiam non occurrente aliquo caſu particulari. 330.lit.e
Interpretatio Conſtitutionis facta à P. Generali, & Conſultoribus, Vtrum habeat vim legis? 331.lit.e.§.1
Interpretatio Conſtitutionum nõ poteſt fieri à P.Generali dum abſens eſt ab Vrbe, etiam cum conſenſu Conſultorum, qui in Vrbe ſunt. 332.lit.e.§.3
Interpretatio Conſtitutionum non poteſt fieri à Patribus Cõſultoribus, abſente P Generali; Nec etiam ſi contingeret vacare officium Generalatus. 331.lit.e.§.2
Interpretatio alicuius Conſtitutionis fieri poteſt à P. Generali dum abſens eſt ab Vrbe viſitationis gratia, cum conſenſu Viſitatorum, tempore viſitationis, ſi differri non poſſet talis interpretatio, vſque ad reditũ ad Vrbem. 332.lit.e.§.4
Si Illegitimus eligatur ad vocam paſſiuam intelligitur cum eo diſpenſatum ad Prælaturas, excepto Generalatu. 290.lit.e
Infirmus. Vide Capitulum.
Iuramentum de ſecreto ſeruando, in quibus caſibus dari debeat. 289.lit.c
Et quando Superior diſpẽſare poſſit? 290.lit.c.§.1

L

LAborare. Vide Religioſi.
Vtrum fratres noſtri Laici teneãtur ex præcepto recitare orationes ei ordinatas per noſtras Conſtitutiones? 220.lit.r
Laicus. Vide Clericus.
Legata, & Donationes nobis factas non eſt nobis vetitum petere. 179.lit.i
Legata à Nouitijs relicta cuius domus ſint? 222.lit.r.§.2
quot Legibus particularib. regitur, & gubernatur noſtra Religio. 1.lit.a
Decreta Sacræ Congregationis inter Conſtitutiones, & Ordines poni debent. 2.lit.a.§.1
Capitulum generale an poſſit nouas Leges ſtatuere obligantes nos ad culpam mortalem. 16.lit.a.§.17
Facultas condendi Leges nobis data, quomodo intelligatur. 33.lit.f
Lex quando obligat ad culpam mortalem. 30.lit.c
Legi debent in Refectorio, noſtræ Conſtitutiones: Decreta Sacræ Congregationis Concilij, & Clem. VIII. & Decreta Concilij de celebratione Miſſarum. 283.lit.l.§.6
Qui in ſua hebdomada non legerit, qua pœna puniatur. 188.lit.c
Licentia localis audiendi confeſſiones intelligitur Diœceſis non autem domus. 385.lit.t.§.16
Licentiam Nouitio ad renunciandũ ſuis bonis, quis concedere poſſit. Vide verbo Epiſcopus.

Litanias in feſto S. Marci, & in diebus Rogationum, tenentur noſtri, qui choro non interſunt, priuatim recitare. 54.lit.g.§.1

Literæ communes ſcriptæ à P. Generali Præpoſitis, & Vocalibus domus, aperiri non poſſunt à Præpoſito, niſi in Capitulo domus. 362.lit.o. & p

Literas ſcribere ad Patres Conſultores, & ab eis literas recipere quiſque poteſt; Neque Præpoſiti locorum, neque alij poſſunt illas aperire. 370.lit.q

Literas dans, vel recipiens inſcio Præpoſito, qua pœna ſit puniendus? 363.lit.p.§.1

Literas aperire. Vide Præſes.

M

Magiſter Nouitiorum laicorum à quo eſt eligendus. 231. lit.r.§.15

Facta electione Magiſtri Nouitiorum à Capitulo domus cum cõſenſu Præpoſiti, Vtrum poſſit Præpoſitus ſolus, vel cum conſenſu Capituli domus illum amouere ab officio, (abſque eius conſenſu) infra annum magiſterij? 214.lit.i.§.1

An teneatur Præpoſitus antequã fiat electio Magiſtri Nouitiorum declarare ſuam voluntatem, ſeu diſſenſum: Vel id poſſit differre vſq; ad ſubſequutam electionem? 213. lit. b

Si Magiſter Nouitiorum compleat annum ſui officij tempore Capituli generalis, quando Præpoſiti renunciauerint Præpoſituris: Vtrum poſſit Vicarius cũ Capitulo domus, eo tempore confirmare Magiſtrum Nouitiorum per alium annum: vel alium de nouo eligere. 216. lit.i.§.4

Completo anno officij Magiſtri Nouitiorum Vtrum poſſit Præpoſitus cum Capitulo domus licentiare dictum Magiſtrum, & eligere aliũ, ſaltem vſque dum alius eligatur? 214.lit.i.§.2

Vtrum completo anno officij Magiſtri Nouitiorum, & quo ad eius confirmationem renuente Præpoſito, annuentibus vero domus Vocalibus, & P. Generali; poſſit ſolus Præpoſitus ſuo diſſenſu illum excludere? 215.lit.i.§.3

Vtrum poſſit Præpoſitus confirmare Magiſtrum Nouitiorum ante cõpletum magiſterij annum? 213. lit. i

Nouitiorum Magiſtri quas qualitates habere debent. 212.lit.g

Miſſarum ſacrificia ſecundum cuius intentionem applicanda ſunt à noſtris ſacerdotibus. 58.lit.a

Miſſam ſolemnem an teneantur noſtri celebrare in noſtris eccleſiis? 52. lit. e

Manifeſtans (quæ in Capitulis ſunt tractata, & ſub pœna excommunicationis prohibita manifeſtari) Vocali, qui fuit extra Capitulum, an incidat in excommunicationẽ. 384.lit.§.15

Quando Religioſus poſſit, vel teneatur

tur manifeſtare ſuis Prælatis, propria delicta, vel aliorum Religioſorum ſuæ Congregationis? 363. lit.p.§.2

Menſis quot dies debet habere. 15. lit.a.§.15

Sacerdotes noſtri applicare tenentur ſacrificium Miſſæ ſecundum intentionem ſui Superioris. 119. lit. d

Religioſus, qui à ſuo Superiore habet licentiam applicandi ad ſuum libitum aliquod ſacrificium Miſſæ, Vtrum poſſit abſque alia licentia illud applicare ſecundum intentionem alicuius ſui propinqui pauperis, pro quo ſacrificio dictus propinquus accipit ſtipendium ab aliquo, ſciente Sacerdote? 182.lit.k. §.7

Sacerdotes noſtri aduenæ, & Concionatores, quomodo debeant applicare ſacrificium Miſſæ. 119. lit. d.§.1

Mulierum conſortium & familiaritatem vitare debent Confeſſarij. 93.lit.l

Prælatus, vel Patres monaſterij an poſſint mutuo accipere a Nouitio, vel parentibus Nouitij, ex bonis Nouitij, tempore nouitiatus? 160. lit.g.§.8

N

Negotia ſecularia a nobis fugienda, quæ ſint. 386.lit. t.§.17

Nomen impoſitum alicui ex noſtris in ſuſceptione habitus, quis poſſit mutare? 219.lit.a

ſi Nouitius prima tonſura ſit ordinandus, quis Ordinarius debeat illi dimiſſoriam facere? 61.lit.a

Si Præpoſitus concederet dimiſſoriam Nouitio ad recipiendam primam tonſuram, Vtrum incurreret ſuſpēſionem ab officio? 62.lit.a.§.1

Nouitius an promoueri poſſit ad Ordines ſacros, etiam cum licentia P. Generalis? 62.lit.a.§.2

Si aliquis Nouitius eſſet approbatus a Capitulo domus ad profeſsionem emittendam, non poſſet Præpoſitus de eadem re de nouo Capitulū congregare, abſque noua cauſa, & licentia P. Generalis. Sed ſi de facto faciat, & concludatur contrarium, vt ſcilicet dimittatur, validum erit ſecundum Capitulū. 227.lit.r.§.12

Poſito quòd aliquis Nouitius tempore hoſpitij, vel nouitiatus fuerit a Religione Capitulariter licentiatus, nondum tamen domo eiectus, vel habitu expoliatus: Quæritur modo, ſi Patres maioris experimēti gratia vellent adhuc illum detinere, Vtrum id præſtare poſſent, & faciendo, vtrum continuaretur tēpus hoſpitij, vel nouitiatus? 218. lit.n.§.1

De iure communi quæ diſpoſita ſunt circa Nouitiorum bona. 152.lit.g

Admiſſus ad Religionem per Capitula ſi voluntate ſua differt ingreſſum per multos menſes, recipi non poteſt abſque nouis Capitulis. 211.lit.e

Nouitij quas qualitates habere debẽt. 212.lit.f.§.1

Si P.Generalis prohiberet alicui Præpoſito locali ne admitteret, aliquem Nouitium ad profeſſionem ex aliqua iuſta cauſa: Et Præpoſitus cũ conſenſu Capituli domus, hac prohibitione non obſtãte illi daret profeſſionem, Vtrum eſſet valida dicta profeſſio. 229.lit.r.§.13

De iure communi quæ diſpoſita ſunt circa Nouitiorum bona 152.lit.g

Nouitius an poſſit quocunque tempore teſtamentum concedere. 157.lit.g.§.4

Ad recipiendum Nouitium ante 14. annum in Religione, vltra licentiam P.Generalis, requiritur conſenſus Patris vel Tutoris. 223.lit.r.§.5

Nouitio quando incipiat currere tẽpus hoſpitalitatis. 226.lit.r.§.10

Nouitiorum confeſſiones quis poſſit audire? 216.lit.k

Parentes, vel Curatores Nouitiorum dantes aliquid monaſterio, vel Religioſis monaſterij tempore nouitiatus, ex bonis Nouitiorum, an incurrant ipſo facto in excommunicationem latam à Conc. Trid. ſeſſ. 25. c.16. de Regularibus? 160.lit.g.§.9

Nouitius, & monaſterium an poſſint anno nouitiatus renunciare? 141.lit.c.§.12

Nouitius ſi expleto anno nouitiatus fuerit expulſus, & habitu exutus: Vel ipſe Nouitius deſerat Religionem, & poſtea de nouo ſit acceptatus, Vtrum requiratur vt de nouo fiant tria Capitula iuxta Conſtit. Sixti V. & annus Nouitiatus iuxta Conc. Trid. 139.lit.c.§.9

Inter Capitula, quæ fiunt ad recipiendum Nouitium, debet eſſe ſpacium decem dierum inter vnum & alterum. 225.lit.r.§.8

Nouitius è monaſterio diſcedens ante profeſſionem, an teneatur ſoluere ſumptus, quos in eo alendo monaſterium fecit? 161.lit.g.§.10

Nouitius tempore nouitiatus an poſſit facere aliquam eleemoſynã de ſuis bonis abſque ſolemnitate requiſita à Conc.Trid. 159.lit.g.§.7

Nouitius ante 14. annum ne recipiatur. 223.lit.r.§.4

Nouitius habens beneficium eccleſiaſticum, an poſſit validè illi renunciare non ſeruata ſolemnitate Decreti Conc.Trid. 152.lit.g.§.1

Nouitius cuius domus ſit filius? 222.lit.r.§.3

Nouitius an poſſit quocunque tempore teſtamentum condere? 157.lit.g.§.4

Nouitius an recipi poſſit ante celebrationem trium Capitulorum in aliquo caſu. 225.lit.r.§.9

Si aliquis Nouitius eſſet excluſus à Capitulo domus, & poſtea de nouo congregato Capitulo de eadem re, eſſet admiſſus ad profeſſionem, & Prælatus de facto daret ei profeſſionem, eſſet nulla. 226.lit.r.§.11

Nouitius excluſus à Capitulo domus poteſt domi detineri à Præpoſito, cum eodẽ habitu, quouſque det relationem

lationem P. Generali. 230. *lit.r.* §. 15
Nouitius ſi delinquat à quo puniri debeat? 221. *lit.r.§.1*
Nouitius antequam recipiatur, tria debēt celebrari Capitula intra mēſem, & duæ partes Vocalium conſentire debent. 234. *lit.r.§.7*
Nouitius ſi ſpontè vult à Religione diſcedere, poteſt Præpoſitus abſque Capitulo illum dimittere. 361. *lit.l*
Quis propriè dicatur Nouitius? 223. *lit.r.§.6*
Nouitiorum Magiſter. Vide Magiſter.
Nouitius. Vide Generalis.
Nouitius. Vide Præpoſitus. & etiã verbo Vicarius.
Maior numerus Vocalium quomodo intelligatur quando alba ſchedula inuenitur in electione. 265. *lit.p*

O

OBedientia perfecta, quæ ſit? 149 *lit.d.§.7*
Subditus an teneatur Obedire Superiori quando eſt dubius an Superior ſit legitimè electus? 148. *lit. d.§.3*
Religioſus in dubio tenetur Obedire ſuo Prælato. 147. *lit.d.§.1*
Religioſus an teneatur Obedire Prælato coarctanti immunitates & libertates à Regula, vel ab altiori Superiore conceſſas? 148. *lit.d.§.4*
Si Prælatus tempore peſtis præcipiat Religioſo, vt ſacramenta infirmis adminiſtret; an teneatur obedire? 148. *lit.d.§.5*
In quibus caſibus non tenetur, & è contra tenetur Religioſus Obedire ſuo Prælato. 146. *lit.d*
Religioſus an in aliquo caſu teneatur Obedire ſuo Prælato præcipienti aliquid contra Regulam? 147. *lit.d.§.2*
quæ Occultè fiunt, ſola indicia, & conjectura violentæ ſufficiunt ad probandum. 280. *lit.l.§.1*
Officialis etiam completo tempore ſui officij, debet miniſtrare in ſuo officio, quoaduſque ſuperueniat ſucceſſor. 371. *lit.e*
Officium paruum B. Virginis an ex conſuetudine teneamur recitare in choro, vel extra? 53. *lit.f*
Officium mortuorum licet ſoleant noſtri recitare, non tamen ad id tenētur. 54. *lit.g*
Oppoſitio facta contra P. Generalē, vel Conſultorem in ſcrutinio, Vtrũ manifeſtari poſſit ſuppreſſo nomine opponentis, vt defendi poſſint. 281. *lit.l.§.3*
Orationes. Vide Laici.
Ordinationes à P. Generali, vel à Præpoſitis factæ, in ſuo robore permanent, quouſque à ſucceſſoribus abrogentur 376. *lit.t.§.7*
Ad promouendum aliquem clericum noſtræ Congregationis ad Ordines ſacros, Vtrum neceſſe ſit, vt ſit prius approbatus à Capitulo domus, quàm à P. Generali concedatur licentia illum ordinandi. 65. *lit.b*
Clericus approbatus à Capitulo domus

mus, & licentia obtenta à P. Generali ad Ordinem ſuſcipiendum, ſi non ordinetur inter Quatuor tempora determinatè aſſignata: inter alia ordinari non poterit abſque noua approbatione. 68.lit.b.§.4
Si P. Generalis denegat licentiã alicui ex noſtris Clericis ſuſcipiendi aliquem Ordinem ſacrum, non tenetur manifeſtare cauſam negationis. 67.lit.b.§.2
Excluſo à Capitulo domus ad aliquẽ Ordinem ſacrum. ſuſcipiendum, Vtrum P.Generalis poſſit licentiã concedere, vt ſuſcipiat talem Ordinem, non obſtante excluſione? 66. lit.b.§.1
Clericus Ordinatus abſque approbatione Capituli domus, ſed cum licentia P. Generalis, eſt benè ordinatus. 68.lit.b.§.3
Ad conſtituendum Ordinarium monaſterij Sapientiæ, requiritur conſilium Conſultorum. 105.lit.d
Qui ad tempus non ſunt admiſſi ad Ordines quando locum amittunt. 390 lit.d

P

POena graues quæ ſunt. 11.lit.a. §. 7
Pœnæ leues quæ ſunt. 10.lit.a.§.6
Quando imponitur aliqua Pœna à Capitulo domus, Præpoſitus ſequi debet determinationem factam à maiori parte Vocalium. 14.lit.a §. 13
Pœna regulariter dari non debet vbi non eſt culpa; Fallit ſi quis voluntariè ſe obligauerit ad pœnam. 9.lit.a.§.3
Pœna quando non eſt taxata, arbitrio Iudicis eſt taxanda. 10.lit.a.§.4
Pœna impoſita ab inferioribus Prælatis tolli non debent à ſuperioribus Prælatis ſine iuſta & rationabili cauſa. 12.lit.a.§.8
Quando agitur de Pœna imponẽda, vota dari non debent ſecretè, quia ſcrutinandæ ſunt rationes. 14. lit.a.§.12
Religioſus tenetur exequi Pœnitentiam ſibi à Superiore impoſitam. 10.lit.a.§.5
quam Paupertatem noſtri ſeruare debent in cellulis, veſtibus, & ſupellectilibus. 183.lit.k.§.8
Quando dicatur quis Peccare ex contemptu. 27.lit.b
Perniciosi communitati iudicio Vocalium, ſunt in carcere recludendi. 13.lit.a.§.10
Quiſnam ex noſtris Superioribus habent facultatem faciendi præcepta. 30.lit.d
Verbum Præcipimus, quando importat peccatum mortale, & quando non. 32.lit e
Quæ domus ſubminiſtrare tenẽtur neceſſaria Prædicatoribus; Et eleemoſynæ illis datæ cuius domus cenſeantur. 107.lit.f
Præpoſitus an poſſit admittere Nouitium ad Profeſſionem, abſque Capitulo domus. 206.lit.c.§.4
ſi Præpoſitus proponat in Capitulo domus Titium, qui cupit in Reli-

gionem

gionem ingredi, & facto ſcrutinio non ſolum voce, ſed etiam per vota ſecreta eſt acceptatus in tribus Capitulis, Vtrum poßit idem Præpoſitus diſſentire antequam recipiatur, vel teneatur illum recipere? in Religionem? 202.lit.c

Vtrum Præpoſitus habeat diſſenſum ſolum in acceptatione Nouitiorũ, vel habeat etiam quando habitu eſt induendus Nouitius, vel ad profeßionem admittendus? 204.lit.c.§.1

Præpoſitus ſi per accidens non haberet vocem in Capitulo generali, vtrũ poſſet alium Vocalem pro ſe delegare? 262.lit.n

Præpoſiti vtrum poßint ſecum diſpẽſare, & licentiam ſibi præſtare in illis caſibus, in quibus illam poſſunt præſtare ſibi ſubditis. 356.lit.c

Præpoſiti locales noſtræ Congregationis quam poteſtatem habeant? 355.lit.b

Præpoſitus ſolus abſque Capitulo domus poteſt deſignare ſocium Prædicatoribus, vel alijs, qui extra Ciuitatem mittuntur, ſi a P. Generali non ſit nominatus. 106.lit.d

Præpoſiti abſentia quomodo intelligatur. 356.lit.f

ſoli Præpoſiti poſſunt alium Vocalem loco ſui mittere ad Generale Capitulum: Et quando ſunt impediti. 253.lit.b

Impedimentum vero debet eſſe iuſtũ & probatum. 253.lit.b.§.1

Præpoſiti ſi fuerint nominati Epiſcopi, intra octo dierum ſpacium, vel accepient, vel renuncient, alias ipſo iure priuantur Præpoſitura. 371.lit.t.§.1

Præpoſitus localis poteſt licentiã dare Prædicatori ſibi ſubdito prædicãdi in ſua eccleſia, & in alijs eiuſdem Ciuitatis. 106.lit.c

Prælati negligentes ad extirpandas malas conſuetudines in monaſterijs peccant mortaliter. 29.lit.b.§.1

Præſes Capituli Generalis poteſt aperire literas communes miſſas Capitulo Generali. 279.lit.f

Præpoſitus an poßit aperire literas a Viſitatore, vel a Vocale Capituli generalis ſibi ſubditis miſſas? 267.lit.q.&§.1

Præpoſiti grauantes noſtras domos ære alieno quomodo puniantur? 362.lit.m

Præpoſitus. Vide Superior. Vox.

Prælati negligentes in corrigẽdo ſubditos, qui omittunt recitare Horas canonicas in choro, ſunt rei eiuſdẽ culpæ eius & tranſgreſſores. 47.lit.b.§.2

Præſes. Vide Conſul-or.

Prima tonſura. Vide Nouitius.

Probare. Vide occulta.

Profeßio fœminæ in monaſterio virorum facta, & è contra. an ſit valida. 142.lit.c.§.14

Profeßio quando eſt nulla ex parte emittentis, an ſufficiat ad eius validitatem nouus eius cõſenſus abſque noui Prælati conſenſu? 143.lit.c.§.17

Profeſſus in alia Religione tranſiens ad noſtram, an poßit ante annum profiteri?

profiteri? 143.lit.c.§.19

Profeſſio expreſſa an poſſit fieri per procuratorem abſente Nouitio? 205.lit.c.§.3

Profeſſio ſimoniacè in Religione facta, an ſit valida? 142.lit.c.§.13

Nouitius an poſſit interdum ante annum probationis profiteri? 140.lit.c.§.10

Inualidè Profeſſus volens profeſſionem ratam habere, an indigeat noua monaſterij acceptatione? 137.lit.c.§ 3

Generalis non poteſt annullare Profeſſionem. 229.lit.r.§.14

Inualidè Profeſſus ratificans ſuam profeſſionem, an amittat locum ſuæ profeſſionis? 158.lit.c.§.5

Inualidè Profeſſus volens ſuam profeſſionem ratificare, an teneatur illam publicè ratificare, vt fieri ſolet? 137.lit.c.§.4

Inualidè Profeſſus volens ſuam profeſſionem ratificare, an teneatur nouitiatum iterare? 136.lit.c.§.2

Inualidè Profeſſus ſi perſeueret in monaſterio, an teneatur profeſſionē ratificare? 136.lit.c.§.1

per Profeſſionem an peccata omnia quo ad pœnas Deo debitas remittantur? 135.lit.c

Profeſſus tacitus an efficiatur aliquis in noſtra Religione? 288.lit.c.§.6

Profeſſio ſenis, & infirmi an ſit valida? 143.lit.c.§.18

Profeſſio ob malum finens emiſſa, an ſit valida? 143.lit.c.§.16

Profeſſio ſolemnis in Religione emiſſa ſi ſit irrita & nulla, Vtrū obliget vt votum ſimplex? 210.lit.c.§. 8

Profeſſio an ſoluat omnia vota ſimplicia? 144.lit.c.§.20

Forma præſcripta in noſtra Religione ad Profeſſionem emittendam, an ſit de eius ſubſtantia? 207. lit. c. §. 5

Si tres vel quatuor Clerici noſtræ Cōgregationis in eodem die, ſed in diuerſis locis Profeſſionem emittant, quis eorum debeat præcedere? 389. lit. b

Profeſſio nulla ex defectu conſenſus Præpoſiti, an efficiatur valida ſi à Præpoſito ratificetur? & à quo tempore incipiat valere? 209.lit. c. §.7

Quot ſunt priuilegia Profeſſioni cōceſſa? 145.lit.c.§.21

Profeſſus. Vide Religioſus.

Pſalmos pœnitentiales licet noſtri recitare ſoleant, non tamen ad id tenentur. 54 lit.g

Pſalmos graduales recitare ſolent noſtri, licet non teneantur. 54.lit.g

R

Religioſus tranſiens de vna Religione ad alteram, ad quam illarum pertineant bona ante tranſitum acquiſita? 393. lit d. §. 9. & 10

Religioſus extra monaſterium viuēs cui acquirat? 394.lit.d.§.11

Religioſus in eadem, vel diuerſis Religionibus, non poteſt duas dignitates obtinere. 306.lit.e

Reli-

Religioſus profeſſus non poteſt eſſe Prælatus alterius Religionis, quã non eſt profeſſus. 360.lit.e.§.1
Religioſus habens ſuperflua ſecundum ſuum ſtatum, de licentia tamen iniuſta Prælati an committat peccatum proprietatis, & poſſit puniri vt proprietarius? 150.lit.e
Religioſus qualiter ad perfectionem per tria Religionis vota tendere obligetur. 134.lit.b
Religioſi, qui in Religione non laborant iuxta eorum profeſſionem, an peccent mortaliter? 219.lit.q
Religioſus donans, vel diſtrahens rem aliquam notabilem de licentia iniuſta Prælati, an peccet mortaliter, & incidat in pœnam proprietary? 151.lit.e.§.1
ſi Religioſus profeſſus alterius Religionis ſit acceptatus in noſtra Religione (non vt Religioſus profeſſus, ſed vt ſecularis) ob inaduertentiam Patrum, vel ob malitiam Nouity, & profeſſionem emittat in noſtra Religione, Vtrum eius profeſſio in noſtra Religione emiſſa ſit valida? 210.lit.d
Quot ſunt priuilegia profeſſioni conceſſa. 145.lit.e.§.21
annuos Redditus licet noſtri non poſſideant, tamen ſi eis relinquantur, acquirunt ius in illis. 179.lit.h
Renunciatio facta à ſeculari ante ingreſſum Religionis de ſuis bonis, an ſit valida? 153.lit.g.§.2
Renunciatio bonorum facta à Nouitio ſtatim poſt ſuſceptum habitum, ea conditione vt ſit irrita non ſequuta profeſſione, an ſit valida 158.lit.g.§.5
Vtrum poſſit dari modus, in quo Nouitius directè, vel indirectè validè diſponat de ſuis bonis, non ſeruata forma Conc.Trid. 171.lit.g.§.24
Si Nouitius ante finem anni nouitiatus, Religionem deſerat facta renunciatione, & pœnitentia ductus redeat in Religionem, renunciatio primo facta an ſit irrita? 170.lit.g.§.22
Et quid ſi finito anno nouitiatus egrederetur Nouitius? 170.lit.g.§.23
Si ex diſpenſatione Pontificia Nouitius octauo menſe profeſſurus eſſet, an ſufficeret in hoc caſu tempus bimeſtre ante profeſſionem ad renunciationem faciendam? 169.lit.g.§.21
Renunciatione, ſeu donatione facta à Nouitio in monaſtery fauorem ſeruata forma Decreti Conc.Trid. an bona ſint ſtatim tradenda monaſterio? 166.lit.g.§.16
an ſicut Renunciatio, & donatio à Nouitio facta cum ſolemnitate Decreti Conc.Trid. reuocantur nõ ſequuta profeſſione; poſſint quoque reuocari ab ipſo Nouitio volente in Religione perſeuerare? 168.lit.g.§.18
An neceſſario requiratur vt Renunciatio fieri debeat à Nouitio integro bimeſtri profeſſioni proximo? 168.lit g.§.20
Cuius ſint fructus illorum bonorum quibus Nouitius Renunciauit, nempe

nempe illius medij temporis à renunciatione vſque ad profeſſionẽ? 168.lit.g.§.19

Renunciatio facta à Nouitio iuxta formam Decreti Conc. Trid., an poſſit reuocari teſtando, ita vt ſi moriatur Nouitius non facta profeſſione, ceſſet valor renunciationis? 166.lit.g.§.15

Renunciatio facta a Nouitio cum ſolemnitate requiſita, an ad hoc vt ſit valida, requiratur vt profeſſio ſit valida? 167.lit.g.§.17

Renunciationis nomine an comprehẽdatur donatio inter viuos? 159. lit.g.§.6

Renunciatio facta a Nouitio iuxta Decretum Conc. Trid. in fauorem monaſterij, vel alterius, an corruat, ſi contingat mori Nouitium, ante profeſſionem. 164.lit.g.§.14

Renunciatio officij Conſultoris an acceptari poſſit? 288 lit.h.§.2

Renunciatio facta a Prępoſitis, vel Viſitatoribus quo ad ſua officia an acceptari poſſit? 288.lit.h.§.3

Renunciatio Vocalatus facta Prępoſito domus, vel Patri Generali, an ab illis acceptari poſſit? 287. lit. h.§.1

Renunciationis nomine qui cõtractus comprehendantur. 164.lit.g.§.13

Renocare. Vide Teſtamentum.

S

Sanctorum alicuius Ciuitatis officium quando debeant noſtri celebrare. 51.lit.d

Pœna, quæ in Choro imponi ſolent pro culpis commiſſis. 55.lit.i

Scrutinium Clericorum, & Laicorũ quando, & quomodo fieri debeat. 358.lit.i

de Schedula alba poſita in electione declarantur duo dubia. 264.lit.o

in Scrutinio P. Generalis an poſſit intereſſe Conſultor, & in ſcrutinio Conſultorum an poſſit intereſſe P. Generalis? 282.lit.l.§.4

completo Scrutinio P. Generalis, & PP. Conſultorum non poteſt aliquis contra eos aliquid opponere. 282.lit.l.§.5

Secreto ſeruentur, quæ in Capitulis tractantur. 381.lit.r.§.14

de Silentio & eius vtilitate. remiſſiue. 238.lit.a.§.1

Socium deſignare. Vide Prępoſitus.

Studium. Vide Diſculi, Theologia, Examen.

Noſtri licet nihil poſſideant in particulari, neque in communi, tamen non ſunt incapaces ad ſuccedendũ. 151.lit.f

licitum eſt Superiori ad præcauenda mala, aliquem detinere in cella aperta, cum aliquibus conditionibus. 355.lit.b.§.1

Quiſnam ex noſtris Superioribus habet facultatem faciendi præcepta. 30.lit.d

Superiores an poſſint coarctare ſubditis immunitates ipſis conceſſas a Conſtitutionibus, vel ab alijs Superioribus altioris Ordinis? 39. lit.g.§.6

Termi-

T

TErminus decem dierum datus ad proponendas difficultates ortas in electione Vocalis pro Capitulo Generali, quando incipiat currere. 266.lit.p.§.1

Tranſgreſsiones graues quæ ſunt? 13.lit.g.§.9

Religioſus profeſſus an poſſit Teſtamentum ante profesſionem a ſe factum, poſt profesſionem declarare? 178.lit.g.§.36

Religioſus profeſſus ad dignitatem Epiſcopalem promotus, an poſſit Teſtamentum ante profesſionem factum renocare? 178. lit. g. §.37

Teſtamentum factum a Nouitio ante ingreſſum Religionis, in quo non eſt inſtitutum monaſterium, an reuocetur eo ipſo ſequuta profesſione? 163.lit.g.§.11

Vtrum S. Pontifex poſſit diſpenſare Religioſo profeſſo, vt poſſit Teſtamentum ante profesſionem factum reuocare? 179.lit.g.§.38

Teſtamentum factum per Nouitium, an reuocetur per donationem bonorum validam, factam poſt teſtamentum, ante, vel poſt ingreſſum Religionis? 163.lit.g.§.12

Qualiter religioſis profesſis habentibus aſcendentes, aut deſcendentes Teſtari liceat inter eos. 179.lit.g. §. 39

Religioſus facta profesſione, an poſſit teſtari? 174.lit.g.§.34

Religioſus an poſſit Teſtamentum ante profesſionem factum, poſt profesſionem reuocare? 177.lit.g.§.35

Clerici Regulares noſtræ Congregationis, quare Theatini appellentur. 3.lit.b

Ad ſtudium Theologiæ quis admitti non debet, niſi prius ſit examinatus & approbatus in Philoſophia, dato etiam quod in ſeculo ſtuduerit, & fuerit approbatus. 335. lit. c

Tranſiens ad aliam Religionẽ amittit locum ſuæ profesſionis redeundo ad noſtram. 393.lit.d.§.8

Tranſmitti nõ poteſt quis de vna Prouincia ad aliam abſque licentia P. Generalis. 374.lit.i.§.6

de Translatione fratrum de vna domo ad aliam, vide Decretum Capituli generalis anni 1624. cũ eius declaratione. 335.lit.g.§.4

V

VErbum, cõſulat, quid ſignificet? 359.lit.k. & §.1

Verbum, præcipimus, quãdo importat peccatum mortale, & quando non. 32.lit.e

Vicarius, vel Vocalis, qui habet gubernationem domus cum conſenſu Capituli domus (quando Præpoſitus eſt mortuus, vel abſens a Ciuitate) Vtrum poſſit recipere Nouitios in Religione, & receptos admittere ad profesſionem, vel ad habitum, ſine licentia, & auctoritate

tate Præpoſiti? 204.lit.c.§.2
Vicarius vltra triennium in eadem domo ne prorogetur. 377.lit.t.§.8
qui Vicariatũ exercuit per tres annos continuos in vna domo, Vtrum vacare debeat Vicariatu per tres alios annos in eadem domo? 304.lit.c
Vicarius licet confirmari non poſſit vltra triennium: poteſt tamen cum conſenſu P. Generalis continuare officium per aliud paruum tempus. 377.lit.t.§.9
Vicarÿ officium quomodo finiatur. Qui eligendi ſint. 356.lit.e
Vicarius domus Vici Aequenſis, & Tuſculanæ domus, an habeant iuriſdictionem? 378.lit.t.§.10
Viceprapoſitus S. Syluestri quem locum habeat in alÿs domibus? 336. lit. k
Viceprapoſitus S. Syluestri, Vtrum teneatur accipere benedictionem à Præpoſitis localibus, quando adeſt in illorum domibus? 390.lit.d.§.1
Viceprapoſitus S. Syluestri quam auctoritatem habeat? 336.lit.i
Viceprapoſitus S. Syluestri de Vrbe ſi ſit Conſultor, Vtrum in electione Conſultoris, ſi caſus occurreret, habeat duo vota, vel vnum? 319. lit. g
Viſitator qui in Capitulo domus interuenit tempore viſitationis, non pro negocÿs viſitationis, ſed domus, & vt Vocalis aſſignatus in illa domo; Vtrum ſedere debeat, & ferre ſuffragium immediatè poſt Præpoſitum? 389.lit.c
Diſcutiuntur aliqua dubia, quæ in viſitatione occurrere poſſunt. 406. lit. G
de Viſitatione Regularium notabilia. 403.lit.E
Aduertenda à Viſitatoribus noſtræ Congregationis. 404.lit.F
de Viſitatione eccleſiæ. 409.lit.H
de Viſitatione Perſonarum. 416. lit. I
de Viſitatione domus. 420.lit.K
de Viſitatione prouiſionum pro victu fratrum. 421.lit.L
de Sanctimonialium Viſitatione. 422. lit. M
Vocales qui in Capitulo domus non conueniunt puniuntur. 379.lit.t. §. 12
Declaratur hoc Decretum. lit. t. §. 12
Deciduntur multa dubia de Vocali, qui tribus vicibus continuis abeſt à Capitulis voluntariè. 379.lit.t. §. 13
Vocalis profeſſione ſenior, licet habeat tantum vocem actiuam, poteſt exercere in omnibus iura Præpoſiti. 378.lit.t.§.11
Vtrum P. Generalis ſolus abſque interuentu, & conſenſu Conſultorũ poſſit transferre aliquem P. Vocalem de vna domo in aliam, anno ante Capitulum generale proximo; facta electione Vocalis pro Capitulo generali? 333.lit.g.§.1
Deciduntur duo alia dubia de tranſlatione Vocalis, facta anno ante Capitulum generale proximo. 333. lit.g.§.2. & 3
in translatione Vocalium anno ante

Capi-

Capitulum generale proximo, Vtrū requiratur vt interueniant omnes quatuor Conſultores? 332.lit.g

Vocalis miſſus ad Capitulum generale a Capitulo domus, quid facere debeat in Capitulo generali? 253. lit. c

Vocales domus non poſſunt ſe Capitulariter congregare pro electione Vocalis pro Capitulo generali, ſi Præpoſitus differat, vel nolit illos congregare. 259.lit.i.§.2

Vocalis, qui per ſuffragium ſui voti recipit ad religionem eum, qui eſt inutilis, ſeu non idoneus religioni, peccat mortaliter. 202.lit.b.§.2

Aduertenda pro Vocalibus electis pro Capitulo generali. 397.lit.B

Vocalis an peccet mortaliter ſi abſque iuſta & rationabili cauſa deneget votum alicui Nouitio aliàs idoneo ad ingrediendum in Religionem, vel poſtquam eſt ingreſſus ad habitum ſuſcipiendum, aut ad profitendum? 201.lit.b.§.1

Vniformes non ſolùm in choro, ſed etiam in cæremonijs, & obſeruantijs eſſe debemus. 55.lit.b

Votum. Vide Generalis.

In Capitulo domus Vtrum Præpoſitus primus omnium teneatur dicere votum ſuum? 362.lit.n

FINIS.

Errata ſic corrige.

Pag. 13. lin. 5. contenderit. 15. 11. differretur. 29. 4. illi. 39. 29. nullam. 50. 1. applicando. 66. 1. ſed. 77. 3. confeſsionem. 81. 14. eſſent. 83. 9. dimiſſoria. 87. 15. Fagnanus. 96. 8. limito ſecundo, modò. 103. 15. ijs. 104. 10. Præpoſito: 106. 13. Capitulo. 107. 15. dare. 109. 10. in. 116. 33. confitebitur. 119. 5. peccant. 127. 16. petant. 130. 32. lit. d. 134. 14. alij. 137. 22. Religio. 5. 139. 14. Religio. 5. 141. 8. poterat. 147. 14. regulam. 154. 18. Mendoſij. 161. 28. liberè. 178. 29. factum. 200. 16. &c. 213. 23. poteſt: 220. 10. miniſterijs. 226. 11. potuit. 247. 23. Vocalis. 263. 7. negatiua. 272. 20. deligere. 298. 2. officijs. 304. 26. eadem. 315. 29. diem ſtatutam. 316. 18. deſignatos. 391. 12. Conſultoris. 404. 19. ſpecialem. Reliqua Lector facilè corriget.

REGESTVM.

✝ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T
V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn
Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk
Lll Mmm.

Omnes ſunt ſimplicia ſolia.

ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ.
M DC XXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

LEGATORIA
[illegible] Salvator.
Via Giovanni [illegible], 15
NAPOLI

Digitized by Google